


Google


Google


Digitized by Google

SUPPLEMENTUM PATRUM COMPLECTITUR

Multa SS. Patrum, Conciliorum, Scriptorumque Ecclesiasticorum opera, quæ primùm e MS. codicibus eruit, notis & dissertationibus illustravit.

R. P. JACOBUS HOMMEY *Augustinianus, Communitatis Bituricensis.*



PARISIIS,
Apud DANIELEM HORTHEMELS, via Cytharæa, sub Mæcenate.

M. DC. LXXXVI.

Cum Approbationibus, & Privilegio Regis.



ILLUSTRISSIMO
ECCLESIÆ PRINCIPI
D. D. FRANCISCO
DE HARLAY,
ARCHIEPISCOPO PARISIENSI,
REGIORUM ORDINUM
Commendatori, Duci & Pari Franciæ,
Sorbonæ Provisori, Navarræ, &c.



RIMUM illud SUPPLEMENTI PATRUM volumen in lucem emissurus, ut tibi devoveam, ARCHIPRÆSUL ILLUSTRISSIME, & argumentum libri me perpulit, & accepti beneficii memoria, & obser-

vantiæ solemnis tibi profitendæ animi mei propensio singularis.

Prima pars Epist.

Enimvero Collectionem illam quæ insignium Doctorum SVPPLERE proponit editiones & labores, cui decentius æquiusque, quam tibi, ECCLESIÆ PRINCEPS ILLVSTRISSIME, conveniat nuncupari, qui eorum Doctrinam, institutionem, propositum, fidem assecutus, *ceu quoddam scientiæ, qua exornati floruerunt, prudentiæ, zeli, vel etiam præsentiæ SVPPLEMENTVM, Pastor populi, Doctor Cleri, Principum Consiliarius, id tutamenti, utilitatis, splendoris nostro sæculo confers Ecclesiæ, quod illi præstiterunt suo. Atque adeo, ut volumen istud, eo sane nomine uni Amplitudini vestræ*

2. Tim. 3. 10.

debitum, Sanctorum Patrum Ambrosii, Augustini, Bernardi, &c. sinu suo complectitur lucubrationes, ita & eorum in te colligis dotes, PONTIFEX INCOMPARABILIS, mellifluus Augustus, Ambrosius, Theologus simul, Canonista & Ecclesiastes. Tua vetat modestia, ne plura dicam.

Verùm quì taceam de omnibus bene-merendi beneficentissimam eam magnanimemque indolem: fama docet exteros, eos vero qui te convenerint convincit experientia, quam affabilis accedentes ad te admittas, gratus excipias, studiosus audias, remittas officiosus; tanta est urbanitas vestra, vestra benignitas, vestra charitas. 2. Altera.

Quæ quidem & maximè in nostram Communitatem enitet, quam excepta semper prosecutus teneritudine, ubique commendas, ubiquè promoves, ubique defendis, jura, disciplinam, pacem ejus. Quam & ob rem, ob tantam in nos benevolentiam, hocce litterario munere, ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME, qualescumque rependo grates. Quod etsi quidem Scriptorum quorum hactenus inusitata exhibet opuscula, Observationum, Dissertationumque nostrarum merito commendabile sit satis, nihilominus, ne id unum ponderes velim; quin & attendas affectum in Amplitudinem vestram jam ab electione vestra in Ecclesiæ Parisiensis Archiepiscopum

tota devotione proclivem. Id rememorare delectat, eaque pagina ceu columna, æternùm inscribere posteritati.

Statim namque ac promotus fuisti, ANTISTES ILLVSTRISSIME, quod Rothomagi consueveras, pariter Parisiis omne vigilantissimi Pastoris explevisti negotium (cumulatim dicam) verbo, sollicitudinibus, exemplis; atque ut cognosceres oves tuas, vicissimque te cognoscerent ipsæ, universam Diœcesim perlustrare satagens, operarios ad messem, in missionem delegasti, qui, prævenientes faciem tuam in omnem civitatem & locum, quo eras ipse venturus, *pararent vias tuas, aptarentque populos Sacramentis, verbi Dei, Eucharistiæ, Confirmationis, quæ eras ipse*

3. Tertia.

Ioan. 20. Luc. 10. Luc. 1.

Pontificia manu ministraturus. Ex iis Apostolicis Antecessoribus tuis, ECCLESIÆ PRINCEPS ILLUSTRISSIME, partim Sæculares delegisti, partim strictioris observantiæ Regulares; quos inter, cum, pro bona in communitatem nostram æstimatione tua nos semper annumerare soleas, etiam ad id muneris ex ejus alumnis assumpsisti; de quorum felici sorte cum unus fuerim, & minimus, tantis eo temporis intervallo, quod miratus, expertusque sum, nos omnes cumulasti favoribus, ut exinde acquisita in Amplitudinem vestram reverentiæ & observantiæ solemniorem profiteri cultum vehemens animi mei fuerit inflexio. Quæ quidem novis beneficiorum vestrorum firmata, aucta, perfecta

incrementis, hujusce Dedicationis præsidio sese tandem explicat; Idque sibi à benignitate vestra blanditur, fore ut præsens, futurumque meæ servitutis votum sibi placeat, eôque Amplitudini vestræ sit acceptum, ut me deinceps, meaque studia probes, foveas, tuearis, ceu ejus qui est præ cæteris, æstimatione digniori, propensione majori, veneratione obsequentiori,

Illustrissimæ ac Reverendissimæ
Dominationi vestræ devotissimus, & addictissimus
P. JACOBUS HOMMEY,
Augustinianus.



PRÆFATIO



UÆ fuerit præſentis ſuſcipiendi operis occaſio, quis ſcopus ſit, quamve obſervationem prima hæc ejus pars exigat, moneo, & proloquor paucis.

1. Ratio ſuſcepti operis.

Caſtigandis, locupletandiſque S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi operibus ſedulam, Bibliopola ſupplice, navabam operam, Lector Benevole; cum ecce, dum variis in bibliothecis MS. revoluerem codi-ces, Aliorum Patrum hactenus ineditos (aut ſi jam impreſſi, obſoleverunt) tractatus divina providentia objecit oculis, manibus ſuppoſuit; ceu me, qui eos ad publicum Eccleſiæ bonum à tineis vindicarem, provocaſſet, * prætermiſſaſque à majoribus meſſoribus ſpicas, quas lex præcipit in cibum pupilli permanere, colligere præcepiſſet.

Ex Bernardo, pag. 130. & auctore vitæ S. P. Auguſt. pag. 570.

Sacræ quam videbam ordinationi nihil reluctari auſus, interpolata, cùm ea de ratione, tùm ad bibliopolæ negotium, Iſidori cura, ad eam provinciam appuli animum, cui me concedens totum, quæque reperire licuit, hinc inde diſperſa neglectaque fragmenta & volumina, diſtinxi, coacervavi, tranſumpſi, in ſcritniolo repo-

sui, sub titulo, SUPPLEMENTUM PATRUM, ea succedentibus prælis, tomisque commissurus.

At vero quamvis in eo SUPPLEMENTO, præcipuè Patrum, Ecclesiasticorumq; Doctorum labores, animus sit referre; cætera tamen aliorum Auctorum cujusvis ordinis, disciplinæ, scientiæ constitutum est non abjicere monumenta; quin immò, quotquot devenerint in manus, modo hactenus invisi fuerint libri, elegantes, utiles, scriptorisque vel antiquitate, vel dignitate, vel pietate primarii, læto excipiam sinu, iisque in nostra collectione pro suo merito sedes erit. Auctor infidelis fidelium contubernio sanctificabitur. 2. Ejus scopus. 1. Cor. 7. 14.

Jam ad id quod hujus tomi est, veniamus. Cujus tametsi quaslibet partes, ubi materia paulo obscurior mendicabat lucem, necessariis præfationibus, notis, dissertatiunculis præmunierimus, illustraverimusque, adeò jam nulla nova observatione deficere videatur; nihilominus quò universa ejus suppellex, uno facilius patescat, conspiciaturque intuitu, prælibetur utilitas, ubi inspersus dignoscetur error reparetur integritas, opportunum judicavimus opuscula per singula recensere. 3. Observationes ad hunc tomum.

Primùm sese offert *S. Bernardi musica*, cui quidem in ea collectione primàs dedimus, tum quo lætior ejus studio incumbas, Lector, statim primo in limine, & melle mellifui doctoris, & melodia delinitus; tum quia initio consilium fuerat in eo volùmine solum referre tractatus qui priores operum S. Bernardi supplerent editiones, cumularent. At mutato, eam ob causam quam ad continuationem commentariorum S. Bernardi in Can-

tica Cantic. attulimus, proposito, adjecimus & alia; nec pœnitet.

Porro *S. Bernardi musica* (communicavit ex Bibliot. Sorbonæ Bibliotecarius Dominus Chevillier amicus noster, vir integritate, pietate, sapientia laudatissimus, quinque complectitur tractatus. 1. *Epist. ceu præfatio in Antiphonarium ordinis Cisterciensis.* 2. *De ratione hujus decantandi antiphonarii tractatus.* 3. *De ratione cantandi gradale* 4. *De tonis in genere.* Quæ desunt huic opusculo quære ad p. 188. Quintum. *De tonis in particulari.*

P. 8. quæ jam prelo exierat, dum Caroli Loci; Abbatiæ Ordinis Cisterciensis ad Silvanectum codices inspexi, (quorum quidem copiam humanissimè mihi fecit Dom. de Cardonville hujus asceterii Prior, Doctorque Sorbonicus) editionis hujusce nostræ lin. 11. & 12. legi debet ex iisdem M S. sicut antea editio Mabillonæa referebat, *compositio, compositionem.* Pag. 31. lin. 12. leg. *compositio autem consistit.* Pag. 33. lin. 25. *salutem* leg. *saltum.* Si quid vero tibi primum aut alterum legenti opusculum, *Epistolam* scilicet, & *tractatum de ratione cantandi antiphonarium*, aliquid difficultatis oboritur, aut etiam circa notas, quæ à regulis à S. Bernardo traditis dissonant frequentissime, consule elegantissimam Dissertationem in Cantum Gregorianum à D. Guillelmo Gabriele Nivers Capellæ Regis Organista, necnon Musicæ Reginæ Præfecto, nuper editam, præsertim cap. 4. 8. 9. 10. quibus singula D. Bernardi verba doctissimè expendit, explicuit regulas, applicuit. In votis fuisset amœnissimum peritissimumque symphoniarcham utilissimos quos novè producimus libellos

prius pervidisse, quàm dissertationem evulgasset. Haud dubium sanè quin manum plenè medicam cunctis *pleni cantusi* adhibuisset languoribus, & sanasset. Ea namque quæ hîc prodeunt musices opuscula, non modò Cisterciensis Ordinis cantum, verùm & Gregorianum omnem pristinæ suæ concinnitati reddunt, regulis, auctoritate, exemplis ratione firmissimis, quibus informantur tirones, fugatisque longe cacophoniis perficiuntur eruditi.

Sequuntur *Expositiones Morales*, quas nuperis curis retractans, ut tabulam contexerem, vix S. Bernardi verè genuinas agnovi. Habent tamen lumen & acumen suum. Idem fuit de *parabolis*, & *opusculo, de corpore Domini*, judicium. Moneo me distinctionem ordinemque codicis in distribuendis *expositionibus affectivis* 6. & seq. non esse secutum. Vide ibi.

Liber de Laudibus Virginis, quam promovendæ *devotioni in Deiparam*, illustrandæ Polonorum, Gallorum, Cisterciensis ordinis conducat historiæ, dissertatione nostra docuimus satis.

Accedit *continuatio commentariorum D. Bernardi in Cantica Canticorum auctore Abbate.* G. cujus adhuc mihi nomen latet, & quæro.

Complent S. Bernardi Supplementum, notæ ad Ep. 72. Hildeberti, *pag.* 534. *& seq.* quibus inseruimus *Epistolam* ejus titulo inscriptam; *Sermonem in Cantica Canticorum* altero exordio inchoatum; specimen *opusculi* Doctori S. tributi. Cuique sua censura est, quam suo loci consulas.

Succedit S. Ambrosii SUPPLEMENTUM tribus his refertum opusculis: *Fidei ejus Symbolum* (hædera non indiget) *Expositio in Cantica Cantic. ex ejus libris excerpta: Recapitula-*

tionem. Expositionem &c. R. P. Ordinis S. Benedicti nova sua operum S. Ambrosii editione producerent integram; nisi alteram Auctoris noti & nominatissimi haberent præ manibus Guillelmi scilicet S. Theodorici ad Remos Abbatis collectionem. Nescio qua incuria dilapsus ex adversariis tractatus S. hujus Doctoris nomine insignitus, qui tamen vix mihi sapiebat Ambrosium, quem ex pervetusto codice Bibliothecæ Colbertanæ jam diu descripseram. Nec inde tamen doleo plurimùm, quippe minutissimi momenti jacturam Diligentissimi præfati Editores cum fœnore reparabunt.

Supplementum D. Gregorii habet 1. *Commentaria in Cantica Cantic.* quæ Radulpho fontanellensi, hucusque flaviacensi dicto, post liminio restituimus. 2. *Viridarium Gregorianum* pag. 555. sive *biblia ex ejus scriptis, à F. Iacobo Folquerii Doctore Augustiniano collecta*; cujus, ex Docti Viri consilio satis non fuit mihi præfationem methodumque operis consignasse, nisi & ideam exhiberem, qua lector sanius judicet de collectoris diligentia, conferatque facilius cum S. Paterio, cæterisque qui in eodem labore desudarunt. Id igitur brevi exequor, pro themate assumens primum Libri Geneseos versiculum.

Genes. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram:* Virtutes Angelicæ quæ in divino amore fixæ perstiterunt lapsis superbientibus Angelis hoc munere retributionis acceperunt, ut nulla jam rubigine subripientis culpæ mordeantur, ut in contemplatione conditoris sine fœlicitatis fine permaneant, & in hac qua sunt conditæ æterna stabilitate subsistant. Quod bene per Moysem de ipsa mundi ori-

Addenda pag. 568.

gine historiæ verba testantur, cum prius cœlum dicitur: quia *in principio creavit Deus cœlum, & terram*. Et hoc idem postmodum firmamentum vocatur, cum dicitur: *fiat firmamentum* &c. quia videlicet natura Angelica, & prius subtilis est in superioribus condita, post quod neutiquam potuisset cadere mirabilius confirmata. Moral. lib. 27.* Comment. 38. super illud Job 37. *tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos*. Verum hæc eadem sententia: *In principio erat verbum*, tangitur infra Gen. 49. cum illa: *non auferetur sceptrum de Iuda*. Et cum illa, 1. ad cor. 14. *Si autem omnes prophetent*, &c. hæc in eum versic. Folquerius: pari diligentia in cæteris laboravit.

Diversâ ab ea quam habemus librorum D. Gregorii, usus est partitione.

Pag. 390. & seq. Guillelmi Diaconi, cui primò famam dedimus, sequentia legere est opuscula. 1. *Allegoria in utrumque testamentum*, miro pariter ac inaudito artificio contextæ. 2. *Libellus de sensuum disciplina*. 3. *Concio de passione*. 4. *Tractatulus de Eucharistia*. 5. *Lib. 2. bellorum Domini contra Iudæos, & hæreticos*. Ascribitur Paludano ejusdem tituli liber. Vide bibliothecarios, Possevinum &c. An is idem sit quem modo producimus? fortè ita est. Erui ex bibliotheca RR. PP. Prædicatorum in vico S. Jacobi; præbente R. P. Renault Doctore, & bibliotecario, &c.

Supplementum S. Hildeberti venustate, & religione insignes hos recludit tractatus. 1. *Liber de Spiritus & carnis querimonia*, sapientiæ sententiis, & eloquentiæ ornamentis exquisitissimus: 2. *De concordia veteris & novi testamenti*. Cap. 2. inter alia expresse meminit transubstantiationis, adeo hæc vox non sit eque nova, quod latrare solent quotidie Novatores.

In Christi carnem, panis substantia transit.

Tertium Hildeberti opusculum continet *orationes Theologicas*. 4. *De suo exilio est*. 5. *Romam dirutam, reparatamque exponit*. 6. *Miscellanea*. Adjecimus Epistolis, epigraphen, varias lectiones & notas: quibus omnibus multa, Hildeberti præsertim, nostrique seculi, elucidantur monumenta, Historici, Concilia, Patres, disciplina Ecclesiastica, mores Christiani, Catholica fides. Videsis, lector, quod propono studium comprobabit. Porro iis notis & variis lectionibus satisfactum partim credimus voto R. P. Labbe in suis dissertation, ad lib. Bellarmin. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in Hildeberto.

Has inter ad Epistolas Hildeberti notas quædam alia opuscula admiscui; tum quia confine tractarent argumentum, quod iis Epistolis Hildebertus; tum hujusce voluminis privilegio, quo, vix habita ratione loci & ordinis, Patrum ubique coacervare elucubrationes licet, collocare. Profectò præcidissem, si separatim cudissem Hildebertum, aut saltem nostris textus Epistolarum ejus accessisset observationibus.

Notis ad Epist. 21. *Guiberti de Novigento Abbatis Epistolam*, complendis ejus operibus omnino necessariam appendo, ex Regiæ bibliothecæ Navarreæ codice. Præbuit mihi summus hujusce Collegii moderator Professorque Regius Dominus Guischard, quem quidem præstantissimum virum, senemque venerabilem, ut patrem veneror, ut Pium colo, ut amicum diligo, consulo ut doctum, ut officiosum denique, benevolum, beneficum experior frequens; idque peropto ut noverint, gratulentur omnes.

Notæ

Notæ ad Ep. 42. Pulcherrima *de Raptoris, raptæsque lamentabili* exitu exornantur historia, à *Nicolao de Clamengis Doctore Navarræ* conscripta; cujus & opera novis Epistolis, commentariis tractatibus, prælo paramus auctiora, *vol. in fol.*

Notis ad Ep. 72. tres inseruntur *D. Bernardo* ascripti *tractatus*, quorum proxime memini.

Placebunt tibi collocata inter notas ad Ep. 80. Marbodi *Opuscula metrica*, quæ & à vena Hildeberti fortè diffluxerunt. Vide tamen in Prologo nostram pro Marbodo conjecturam.

Notis Ep. 81. adjungitur *Epistola Henrici Remensis Archiepiscopi*, digna sane Bernardi alumno, ut ungit, ita pungit me, qui cæteras tanti Viri perquiram lucubrationes: faxit Deus, ut acquiram.


Sequitur *Viridarium Gregorianum* de quo supra. Tum *Vita S. P. Augustini. Duplex de Reliquiarum ejus translatione tractatus. Sillabus sermonum ad fratres in Eremo, ad Presbiteros, ad populum*, ex autographo Jordani de Saxonia, quem eorum sermonum primum fuisse collectorem multis rationibus propugnamus. Ex quo itidem exemplari triplex emergit Augustini fragmentum. De quibus quid sentirem, disserui satis. Ceterum quo in pretio hæc omnia debeant esse doctis, superfluum est enarrare.

Concludit volumen à S. Bernardo incœptum, Bernardi Discipulus & filius, Joannes scilicet Cistercienfis 38. Abbas, ceu, *oratio ejus in Concilio Basileensi habita*, sapientissimeque pronuntiata; utpote quam videas pro ratione personarum, temporis, argumenti, nunc moderatam, jam fervidam, ubique vero ad conciliandos & pacandos

animos (quod eo in conventu omnino desideratum erat) aptatissimam. Insigne sane est hujus historiæ Concilii ornamentum, documentumque, audeo dicere, plane necessarium; cujus penuria omne dissensionis disputationisque negotium inter Bohemos & Doctores Catholicos, vix, ac ne vix quidem, intelliget, vel perspicacissimus. Deficit tam Collectioni Canisii, quam Tomo duodecimo Conciliorum Parisinæ Editionis. Pagina 1013.

Tandem pro coronide eos rogo qui aliquo me voluerint donare opusculo, ut transmittant, securi, & meæ gratitudinis, & proximæ editionis.





TABULA

TRACTATUUM EO VOLUMINE contentorum, ordine alphabetico digesta secundum auctorum nomen.

S. AMBROSII.

S. P. AUGUSTINI.

S. BERNARDI.

Argumentum duodecimæ.

Argumenta secundæ.

HENRICI *DE FRANCE*
Remensis Archiepiscopi.

S. HILDEBERTI.

JACOBI FOLQUERII EREMITÆ Augustiniani Doctoris Tolosani. *Vivebat* 1300.

JOANNIS XXXVIII. CISTERCIENSIS Abbatis.

B. JORDANI DE SAXONIA.

Vide supra in Augustino.

MARBODI REMENSIS EPISCOPI.

NICOLAI DE CLAMENGIS Doctoris Navarræi.

RADULPHI FONTANELLENSIS Abbatis.



APPROBATIONES.

LEgi hoc volumen, cui titulus, *Supplementum Patrum*; Parisiis, in Sorbona, die 12. Augusti 1682.

G. BOUST.

Approbatio Doctorum sacræ Facultatis Parisiensis.

NOs infra scripti sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis Doctores testamur, & fidem facimus legisse librum, cui titulus est: *Supplementum Patrum, notis, dissertationibusque illustratum, auctore R. P.* JACOBO HOMMEY, *Augustiniano Communitatis Bituricensis*, in quo nihil reprehendimus fidei Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ contrarium, aut bonis moribus. Datum Parisiis die 19. mensis Maii an. 1684.

P. GUISCHARD, summus Regiæ Navarræ moderator, Doctor, Professorque Regius.

N. PETITPIED, Doctor, & Socius Sorbonicus, Pastor S. Martialis.

Approbatio Theologorum ordinis.

NOs infraſcripti ſacræ Theologiæ Lectores, Communitatis Bituricenſis, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, fidem facimus librum legiſſe cui titulus eſt: *Supplementum Patrum*, à R.P. JACOBO HOMMEY concionatore ejuſdem Communitatis alumno compoſitum; in quo nihil quod fidei orthodoxæ aut bonis moribus adverſetur, reperimus. Datum in Conventu Regio S. Nicolai Pariſino, die 19. Maii 1684.

F. Auguſtinus Semence diffinitor, & Theologiæ Profeſſor.
F. RENATUS NOÜAIL, Theologiæ Profeſſor.

Licentia R. ad modum P. Provincialis.

EGo infraſcriptus Provincialis Provinciæ S. Guillelmi, alias Communitatis Bituricenſis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, librum à R. P. JACOBO HOMMEY, concionatore ejuſdem Communitatis alumno compoſitum, cui titulus eſt: *Supplementum Patrum*, notis diſſertationibuſque illuſtratum, Facultatem facio ut in lucem edi poſſit, & typis mandari. Datum in Minori Conventu noſtro Regio S. Nicolai Pariſino, die 9. menſis Aprilis.



Summa Privilegii à Christianissimo Galliarum Regeconcessi.

LUdovici XIV. Galliæ & Navarræ Regis auctoritate sancitum est, ac præsentibus litteris cautum, ne quis citra R. P. JACOBI HOMMEY, Communitatis Bituricensis Augustiniani nutum & voluntatem, imprimat aut divendat intra 6. annos, Librum ab eodem Patre compositum, cui titulus *Supplementum Patrum*, idque omni sub confiscatione exemplarium, aliisque pœnis originalis diplomate contra delinquentes expressis. Datum

Inscriptum Registro Bibliopolarum Parisiensium, die 14. *September* 1683.

Sign. C. ANGOT.

Jus supra-dicti Privilegii dictus R. P. JABOBUS HOMMEY cessit Petro de Laulne, iis quibus inter ipsos actum est, conditionibus.

Perfecta fuit hujus voluminis editio die 4. Julii 1683.

ERRATA.

In notis marginalibus, aut sæpè male mutato charactere illapsos obsecro Benevolum Lectorem ut condonet. Cæteris tomis agetur me vigile errore cautius. Interim quæ sequuntur corriguntо.

Pag. 31. lin. 12. *depositio autem*. leg. *depositio : compositio autem*.

P. 100. lin. 19. *collatus*. leg. *collocatus*.

P. 159. l. 11. *poirier* leg. *poirè*..

P. 214. l. 15. *deo tolerabilis*. leg. *ideo tolerabilis*.

P. 245. l. 26. *incircumscriptibile & lumen*. tolle, *&*

P. 246. l. 9. *& dixit*. leg. *& dixi*.

P. 255. l. 17. *præmimus*. leg. *præmonuimus ex audita voce*.

P. 390. l. 1. tolle, *Supplementum variorum*.

P. 436. l. 4. *luculentis*. leg. *lutulentis*.

P. 447. l. 2. *substractus*. l. *substratus*.

P. 479. l. 5. *modauna*. l. *meduana*.

P. 486. l. 30. *Stephanum*. leg. *Guillelmum*.

P. 508. *Sorbonicus*. leg. *Navarræus*.

P. 524. l. 16. *dignam quæ legatur*. leg. *digna* &c.

P. 635. l. 3. dele, *veluti*.

P. 646. lin. antepenult. & alibi *Iordanis*. l. *Iordani*.

MONITUM.

GRatulabatur Amicus noster R. P. Renatus Jan Prior Molinensis ob elaboratum D. Gregorii Milleloquium : at incuria Typographi Epigrammati ejus crassus irrepsit error ; quem, ne inofficiosi Aristarchi refundant amplius in celebrem metro & prosa, vel plaudente prælo, Auctorem, amabo, lector, si devenerit in manus, sic emendes : Aberat, *qui*.

Qui per te lumen habet nova qui *tibi lumina doctor*
Fundit, & officio certat uterque suo.



SUPPLEMENTUM PATRVM



SUPPLEMENTUM OPERUM S. BERNARDI CLAREVALLENSIS ABBATIS.

MUSICA

Præfatio P. Jac. Hommey.



SEQUENS liber, Lector, quatuor complectitur tractatus; Epistolam unam, geminam ad regularem *Antiphonarii* & *Gradualis* cantum instructionem, ac tandem quartum, *Musicam* ceu *Tonale*, quòd tonos præcipuè doceat, nuncupatum, totius sanè operis Caput, cujus &

tres tractatus cæteri seu prologum agũt; Undè *Angelus Picigitonensis* laudandus infra *lib.* 1. *cap.* 47. *Bernardus in benè considerato prologo sua Musica*, &c. loquitur & citat locum ex tractatu præmisso Antiphon. Primum & alterum, Epistolam scilicet, quam prologum MS. vocat, & monitionem de ratione cantandi Antiphonarium, è bibliothecâ sancti Salvatoris de Monte Amiato ordinis Cisterciensis in Diœcesi Senensi Eminentissimus *Cardinalis Bona*, sacra illa Ecclesiæ luscinia, dum adhuc Abbatis generalis Congregationis reformatæ ejusdem Cisterciensis Ordinis fungeretur munere, eruit, ad eruditissimumque *Mabillonium* transmisit; à quo, novâ suâ editione, *anno* 1667. cæteris divi Bernardi operibus ad calcem tomi quarti appensus est. Tertium verò & quartum producimus ex *celeberrimâ bibliothecâ Sorbonæ* insigni, divoque Bernardo ferè coævo MS. codice, cujus scriptor, Musices usque doctus fuit ac cupidus, ut suo volumine *Augustini* divi parentis, *Isidori*, *Bernardi* Musicam concluserit, idque solùm. Porrò hujus quadruplicis opusculi, Bernardum autorem esse constanter teneo; adeo ut, ad primi quartivè operam nullius manum advocaverit vir, nî temerè judicem, & concinnè cantandi gnarus, & scribendi longè peritissimus: ad laborem verò secundi & tertii, fratres in arte & usu canendi instructiores adhibuerit subsidiarios, quorum consilio penetraret obscura, ordinaret confusa, dubia discuteret, definiret, suo demum stilo exprimenda & exornanda. Cujus & characterem ubique dignosces, naturalis, suavis, fortis est, significandi, docendi, facilèque, vel a simplicioribus, intelligendi habilis; quapropter

Ita & Card. de Bona; Mabillō; Angelus Picig. Posseu. Carol. de Visch. in suâ Bibliotheca Cisterc. &c.

gregarias quandoque voces admiſcuit, *incommoditas*, *certificare*, *maneria* ſeu *maneries*; quamvis ea ultima, ut ante nos admonuit idem Eminentiſs. *Cardi. Bona*, Theologorum ſui temporis apex & gloria, in ſuâ ad primos hujus operis tractatus præfatione, artis ſit propria, quâ utitur autor libelli *de Muſicâ practicâ apud Bedam*, nec aliàs omninò inſueta ſit Bernardo. vide *Ep.* 339. *ad Balduinum. Maneries locutionis*, inquit, *pro ſigillò ſit*: Quin & *Ioan. Saleſberie.* cui tamen non placet, teſtatur à doctoribus ſui temporis ſatis uſurpatam; de quodam ſic loquitur *l.* 2. *Metalogici capite* 17. *Maneries*, &c. *hoc nomen in quo auctorum invenerit*, &c. *incertum habeo*, *niſi fortè in gloſſematibus*, *aut modernorum linguis doctorum.*

Integro operi titulum præfiximus, *Muſica Bernardi*; eum enim & præfert noſter codex, & à Divo Bernardo ad imitationem *tonalis Bernonis Augenſis de quo vide not. ad fin. hujus operis*, quod & *Muſicam* nuncupavit, accepiſſe par eſt credere: Idque ſubindicare videtur Poſſevinus *Bibliot. Selec. lib.* 15. *cap.* 6. cæteris qui de Muſicâ ſcripſerunt, Bernardum annumerans: & expreſsè *Angelus Picigitonenſis* minorita, qui teſte eodem Eminent. Cardinali, loco ſupra, Venetiis *anno* 1547. *edidit floris angelici de cantu plano*, *& figurato libros duos*, quibus plura refert ex his tractatibus, eo ſemper nomine; *Bernardi Muſica*: ſic enim habet *l.* 1. *cap.* 29. *hoc comprobat ſanctus Bernardus in ſuâ muſicâ dicens*; *ubi molliorem ſonum fieri expedit*, *B. molle quandoque ponitur*. &c. & *cap.* 46. *doctiſſimus tàm in divinis*, *quàm in humanis ſcientiis ſanctus Bernardus has litteras deſcribit in ſuâ benè*

ponderatâ Musicâ; *ubi dicit*, quod hæ litteræ *D. E. F. G.* ſunt cantuum terminativæ; & cap. 47. de aſcenſu & deſcenſu tonorum; *omnis tonus decem notas habere poteſt*, *ut apertè deſcribit* non *minùs verax*, *quam doctus*, *ſanctus Bernardus in bene conſiderato prologo ſuæ Muſicæ*, *aſſignans tres potiſſimùm rationes : videlicet*, Pſalterii authoritatem, dignitatis æqualitatem, & notandi neceſſitatem. At verò, ut opus haberetur integrum, purgatiſſimumque, *Epiſtolam & tractatum de ratione canendi Antiphonarium* ex noſtro exemplari recudi curavimus, diverſas ab impreſſ. lectiones, ceu meliùs correctiones, eaſque ſæpiſſimè palmarias, ad cuiuſque paginæ finem ſubiicientes: Eâ verò agendi ratione, & *Mabillonæa* editioni, & præcedentibus, *Horſtianæ*, *Vedaſtiana*, *picardina*, æque fuimus utiles; iſtam complemus, illis ſupplemus, quatuor novis, emendatiſſimiſque tractatibus locupletamus. Nec monere piget tirones qui cantum ex iis tractatibus voluerint perdiſcere, ut ab ultimo, à tonali incipiant; aliorum enim eſt ſeu manuductio, & pedagogus.





EPISTOLA
SIVE PRÆFATIO
S. BERNARDI
CLAREVALLENSIS,
ABBATIS.

IN ANTIPHONARIUM Ordinis Cisterciensis.




ERNARDUS humilis Abbas Clarevallensis omnibus transscripturis hoc Antiphonarium, sivè cantaturis in illo.

Hanc Epistolã D. P. Carolus de Visch designaverat in suâ Bibliotecâ Cister. antequã à Cardinali Bona, aut à Mabillonio publici fieret iuris.

Inter cætera quæ optimè æmulati sunt Patres nostri, Cisterciensis videlicet Ordinis inchoatores, hoc quoque studiosissimè & religiosissimè curaverunt, ut in divinis laudibus id canerent quod magis autenticum inveniretur; missis denique qui Metensis Ecclesiæ Antiphonarium, (nam id Gregorianum esse dicebatur) transcriberent & afferrent, longè aliter rem esse, quàm audierant, invenerunt. Itaque examinatum dis-

plicuit, eo quòd ex cantu & literâ inventum sit vitiosum & incompositum nimis, ac penè per omnia contemptibile; quia tamen semel cœperant, usi sunt eo, & usque ad nostra tempora retinuerunt; tandem aliquando non sustinentibus jam fratribus nostris Abbatibus ordinis, eum mutari & corrigi placuisset, curæ nostræ id operis injunxerunt. Ego verò accitis de ipsis fratribus nostris, qui in arte canendi instructiores, atque peritiores inventi sunt, de multis & diversis novum tandem *Antiphonarium* in subjectum volumen collegimus, & cantu, sicut credimus, & literâ irreprehensibile. Denique cantor ipsius, si tamen gnarus fuerit, hoc probabit. Ità verò ut demùm mutatum est, & in hoc volumine continetur, volumus in nostris de cætero monasteriis, tam verbo, quàm notâ ubique teneri, & mutari omninò in aliquo ab aliquo, autoritate totius Capituli, ubi ab universis Abbatibus concorditer susceptum & confirmatum est, prohibemus. Porrò mutationis ejus causam & rationem, si quem evidentius & plenius nosse delectat; legat subjectam præfatiunculam, quam præfati discussores veteris *Antiphonarii* ad hoc ipsum præponere curaverunt, ut palàm factis quæ in illo erant, tàm cantus, quàm literæ vitiis, renovationis & correctionis necessitas atque utilitas clarius appareret.

Abest jam in Edit.



TRACTATUS

DE

RATIONE CANTANDI

ANTIPHONARIUM.

Antiphonariis Cisterc. præfationis instar præmissus.

Hic tractatus in meo codice non distinguitur à præcedenti, nisi sectione.



ANTUM, quem Cisterciensis ordinis Ecclesiæ cantare consueverant, licet gravis & multiplex obfuscet absurditas, diu tamen canentum commendavit autoritas; sed quia penitùs indignum videbatur, qui regulariter vivere proposuerant, hos irregulariter laudes Deo decantare: ex eorum consensu ita correctum invenies; quatenus eliminatâ falsitatum spurcitia, expulsisque illicitis ineptorum licentiis, integrâ regularum veritate ' fulciatur; aliorumque Cantibus quibus erat deterior, ad notandum & cantandum commodior habeatur. Dignum siquidem est, ut qui tenent regulæ veritatem, prætermissis aliorum dispensationibus, ha-

Al. *Fulciantur.*

Non posse mutari cantum sine morum mutatione docent cicero 2. de legib. Plutarch de Musicâ plato, &c.

beant etiam rectam canendi scientiam, repudiatis eorum licentiis, qui similitudinem, magis quàm naturam in cantibus attendentes, cohærentia disjungunt, & conjungunt opposita; sicque omnia confundentes, cantum prout libet, non prout licet, incipiunt & terminant, deponunt & elevant, componunt & ordinant. Unde nemo miretur, aut indignetur, si cantum aliter quàm hucusque audierit, in plærisque mutatum invenerit; ibi enim, aut irregularis est progressio, aut progressioni, sivè dispositioni reclamat [1] appositio, aut appositionem [2] dissoluit oppositio. Hæc omnia cum [3] vitia sint magis exterminantia, quàm determinantia, procul omninò, procul sunt ab illis, qui vitia magis abscindere, quàm dispensare noverunt. Denique cum *Musica sit rectè canendi scientia*, omnes hujusmodi cantus à Musicâ excluduntur, qui nimirùm non rectè, sed irregulariter & inordinatè canuntur.

Definitio musices.

Tàm nota, quàm littera Antiphonæ. indigebat correctione.

De mutatione namque literæ facilis est, nisi fallimur, excusatio; eam nimirùm in plærisque adeo parcam & restrictam reperimus; ut in eâdem historiâ idem versus ter repeteretur, aut quater; ac si in toto veteri ac novo Testamento reperiri non possit quippiam, quod adeò commodè posset apponi. In multis etiam historiis postcommuniones, qui simplicitatem cantus ignorant Antiphonarii, pro responsoriis appositas invenimus; quibus versus subjuncti ita miserè cohærebant, ut notari non possent secundùm quòd eos pro-

An æque simplicitatem.

1. ed. *Compositio.*
2. ed. *Compositionem*
3. Quod ed. monebat deesse, restituimus, tum inferendo, *vitia sint*, tum repetendo, *procul*

nunciari necessarium erat; dedimus ergò operam, ut in nullâ historiâ idem versus plusquam semel reperiatur; Immò, nî fallimur, vix tres versus reperies, qui in toto Antiphonario, vel bis contineantur. Postcommunionum [1] autem quasdam removimus, usitata & autentica pro eis responsoria apponentes; quarundam verò literam, ut sanctam & Evangelicam retinentes, honestate & pulchritudine cantus supercoloravimus, sobriam tamen atque prudentem Musicam ubique servantes. In multis denique locis literam veteris Antiphonarii tantæ remissionis atque dissolutionis esse comperimus, ut multis falsitatibus, sivè Apochryphorum næniis respersa, non solùm tædium, sed & odium sui legentibus inferret: ita ut novitii, qui sub Ecclesiasticâ disciplinâ eruditi fuerant, ipsum Antiphonarium, tùm pro litterâ, tùm pro notâ fastidientes & ignorantes, in divinis laudibus tardiores redderentur & somnolentiores.

Præmunitos [2] autem esse volumus, eos maximè qui libros notaturi sunt, nè notulas, vel conjunctas disjungant; vel conjungant disjunctas; quia per hujusmodi variationem gravis cantuum potest oriri dissimilitudo. Insuper & singulos cantus in propriis studeant terminare finalibus, per quarum inconsultam transmutationem tanta in cantibus orta est confusio, ut plures eorum alterius sint maneriæ, [3] & alterius deputentur. Quatuor enim diversitates sunt, sive maneriæ cantuum, quibus omnis ipsorum multiplicitas

Quatuor sunt can-

1. Ed. *Postcommuniones.*
2. Al. *Præmonitos*; vide & initio gradalis.
3. Ed. *alteri*

[...]um maneriæ. includitur ; hæ apud Græcos vocantur, *protus*, *deuterus*, *tritus*, *tetradus* ; hæ inter se oppositæ sunt, & certis abinvicem differunt proprietatibus. Prima. Prima enim maneria est, quæ ab unicâ voce quâ terminatur, ascendit per tonum & semitonium, & descendit per tonum. Hæc duas habet tantum finales *D*. & *A*. quarum utraque habet supra se prius tonum [1] post semitonium, & sub se tonum. Secunda. Secunda maneria est, quæ à voce quâ terminatur, ascendit per semitonium & tonum, & descendit per tonum ; hæc iterum duas habet finales *E*. & *B*. quadratum, apud quas nimirùm illum ascensum & descensum naturaliter invenies. Tertia. Tertia maneria est, quæ ascendit per duos tonos, & descendit per semitonium, quæ nihilominùs duas habet finales *F*. & *C*. ut potè talium proprietatum susceptivas. Quarta. Quarta ascendit per duos tonos, & descendit per tonum ; & hæc unam tantum habet finalem *G*. Prima maneria duos continet modos, qui *toni* vulgariter dicuntur, videlicet primum & secundum ; Secunda duos, tertium & quartum : Tertia duos, quintum & sextum : Quarta duos, septimum & octavum ; bini verò & bini toni qui sub singulis continentur maneriis, non distinguuntur à se diversitate finalium quas prorsùs easdem habent, sed progressione & compositione, quarum altera quantitatem, altera qualitatem determinat.

Qui ergo hos libros notaturus es, tuæ diligenter imprime memoriæ, quòd omnes cantus primæ maneriæ qui facti sunt, vel qui fieri possunt, in *D*. tantum & in *A*. terminari habent ; &

1. ms *Primum*.

quicumque cantus finem [1] non poteſt ponere, niſi in aliquâ illarum, primæ profectò eſt maneriæ, id eſt primi, vel ſecundi toni. Utrumque inquies, falſum eſt, quia non omnes cantus primæ maneriæ in illis [2] tantùm poſſunt terminari: cum etiam in *G*. finem ponant per *B*. rotundum, nec omnes qui in illis terminantur, primæ ſunt maneriæ; quia, *Benedicta*, &c, *Petre amas me*, & multæ conſimiles antiphonæ, in A. tantum habent terminari, & tamen ſecundæ ſunt maneriæ quarto tono deputatæ. Hæc quidem opinio multos jam fefellit, quam adduxit in medium B. rotundi adjectio, per quam multis erroribus muſicam maculavit ineptorum præſumptio. Sanè non ſecundùm aliquid accidentaliter adjectum, ſed ſecundùm primam, ac propriam literarum inſtitutionem diſtincta eſt finalium proprietas, apud quas, nimirum principale, ac maximum de cantu verſatur judicium; In naturali autem compoto literarum, ſeptem tantum invenies, quæ graves nominantur. Hæ, ut cantus liberius diſcurreret, duplicatæ, quædam verò ex ipſis triplicatæ ſunt. In duplicatione acutas, in triplicatione ſuperacutas reperies. Conſideratis literarum ſingularum habitudinibus quas habent ad proximas ſibi litteras altrinſecùs poſitas, nullam profectò reperies præter D. & A. quæ aſcendat per tonum & ſemitonium, & deſcendat per tonum; undè, & hæ tantùm [3] finales ſunt primæ maneriæ, cujus eſt proprium ſic aſcendere & deſcendere. G. ergò excluditur, quod in naturali ordine literarum, &

B. Rotundum. id eſt, *B. molle*. Adjectio *B. Mollis* ſeu rotundi errori anſam præbet.

1. *Finem non poteſt ponere*: Sic huic loco ſenſum reddimus ex cod.
2. Ed. *illa*.
3. Abeſt *tantùm* in ed.

ubi [1] prius ponitur, & ubi repetitur, nequaquàm per tonum & semitonium, sed per duos tonos directè ascendit.

B. Molle cur inventum. In hoc literarum ordine non computatur B. rotundum; patet enim omnibus quod non sit aliqua de gravibus, cum etiam inter eas nusquam ponatur. Sed nec aliqua est de acutis, cum nulli gravium per duplarem conjungatur proportionem. Est autem inventum, non ad proprietatem finalium determinandam, sed ad servandam in plerisque cantibus euphoniam, quam apud eos minueret vel auferret tritonus, qui apud B. quadratum terminatur. Unde in qualibet maneriâ ubi molliorem sonum fieri expedit, loco B. quadrat. B. rotundum quandoque ponitur, furtim tamen ac raptim, ne propter ipsum generetur in cantu similitudo alterius modi, quod nimirùm nullam lineam, nullum-ve spatium per determiminationem alicujus literæ in libris obtinet, nisi ipsum apponatur, & si semel B. quadratum supervenerit, de libro deleatur omnis ejus memoria, donec urgente supradictâ necessitate iterùm apponatur. Si ergo in G. per ipsum, cantum aliquem terminares primæ maneriæ, contra inventionem omninò ejus ageres, & institutioni obviares finalium: quia nullus cantus extra finalem suæ maneriæ terminari debet.

Quod si dixeris, G. finalem esse primæ maneriæ per B. rotundum. Respondeo hoc esse non posse. Ad hoc enim ut finalis esset primæ maneriæ, necessarium esset ut secundùm naturalem literarum dispositionem ascenderet per tonum & semitonium, quod nec B. rotundum, nec aliud

1. Al, undè.

quidpiam ei poteſt conferre. Licet igitur concedi poſſit cantus primæ maneriæ quoquomodo poſſe notari, vel cantari in G. per B. rotundum; nullatenùs tamen concedendum eſt, vel ſic, vel aliter G. eſſe finalem illius, impediente, quam diximus, neceſſitate. Proindè quæ utilitas, quæve induſtria eſt, ut in alienâ finali cantum aliquem accidentaliter notes, quem in naturali ac propriâ notare potes; eò ſecurius, quò irreprehenſibilius; eò laudabilius, quò diligentiùs: eo gratius, quò verius? propter hoc, nè vitioſus, aut ſuperfluus inveniaris, ubi neceſſe eſt, B. rotundum ſtudeas apponere; quod nimirùm neceſſitas ad invenit. Nullus enim cantus qui ſine ipſo notari poteſt, per ipſum notari debet. Qui ſunt qui ſine ipſo notari non poſſunt? qui apud eandem literam, modò tonum, modò ſemitonium habent Quia tamen ſuperacutas & vicinas ipſis literas minùs notas habent imperfecti cantores; infirmitati eorum condeſcendens conſuetudo, quoſdam cantus per B. rotund. notat inferius, qui apud prædictas literas ſine ipſo commodiùs poſſent notari. Nos verò volentes, ut ſicut inferiores, ita & ſuperiores in uſu habeantur & in notitiâ, aliter enim fruſtra haberentur, quoſcumque cantus natura confert inferioribus, eos in ipſis terminatos reperies. Terminantur veró in ſuperioribus, qui eas naturaliter habent finales.

Ne in aliena finali cantú notes quem in naturali ac propria notare potes.

Similiter ſciendum eſt de hac antiphona *Benedicta tu*, & conſimilibus quæ in A. tantum terminari poſſunt, quòd ſecundùm hujuſmodi diſpoſitionem procul dubiò primæ ſunt maneriæ, & non quarto, ſed ſecundo tono applicandæ ſunt. Ecce enim hæc Antiphona *Benedicta tu*, in quo-

In certis Antiphonis errores notat, quos deinde corrigere neceſſe fuerit.

dam loco super finalem, tonum, postea semitonium naturaliter habet per B quadratum, alibi prius semitonium, deinde tonum per B. rotundum. Quæ obsecro perspicacitas est ad judicandum de cantu illo, cujus sit maneriæ, accidens præferri naturæ; & cum sit primæ secundùm naturalem, judicari secundæ secundùm accidentalem dispositionem? Ut autem magis mireris & abhorreas hujusmodi ineptiam, inspice hanc antiphonam, *Petre amas me*, & multas alias hujusmodi, eas profectò invenies naturaliter habere supra finalem, tonum & semitonium per B. quadrat. & nusquàm semitonium & tonum per B. rotundum. Cur ergò judicantur esse secundæ? Similiter hanc antiphonam *nos qui vivimus* secundùm quod ferè ubiquè cantatur, cùm principaliter ac propriè terminari habeat in D. & sit secundi toni, notant eam iniqui prævaricatores in G. per B. rotund. & sacramento asserunt eam esse octavi toni, licèt apud eosdem G. per B. rotundum potiùs primæ, quàm quartæ maneriæ cantus terminet. Quis obsecro musicus patienter ferat, ut cantus qui propriam ac naturalem habet finalem D. octavo tono attribuatur; qui verò propriam ac naturalem habet finalem A. sub quarto tono contineatur?

Horum ergo cantuum in A. terminantium in quibus naturam suffocat similitudo, necessaria correctio est; quià dissoluti per [1] oppositionem quæ partes compositionis contaminat, alterum in principio, alterum in fine tonum, redolent. In vetustissimis enim [2] magnorum monasterio-

1. Ed *appositionem*.
2. Cod. *enim*, & legit *breviriam*.

rum Bibliothecis elegantissimum quoddam artis Musicæ Breviarium reperi [1], quod sic incipit: *quoniam* [2] *pauci sunt* quod quidem in parte legi, sed nomen autoris me legisse non recolo. In eo, si bene memini, hujusmodi cantus nothi, id est, degeneres, & non legitimi appellati sunt; eo quòd, ut ibi legitur, à septimo tono incipiant, & eundem in medio servantes, circa finem degenerent, aliis in primo, aliis in quarto tono desinentibus: In primo, sicut *ex quo facta est*. In quarto, sicut *Benedicta tu*: fine proindè competenter mutato omnes ejusmodi cantus ad septimum tonum redactos reperies. Horum cantuum duæ sunt diversitates: quidam enim eorum ab eâ litterâ in quâ incipiunt hilari motu ascendunt ad quintam, & pausant in eâ; sub [3] quâ nisi prius esset tonus, deindè semitonium, postea tres toni; quia dispositio potest tantùm reperiri sub eâ literâ quæ quinta est à finali septimi toni, non possent ibi notari reliquæ partes eorum cantuum [4] ut potes videre in, *Benedicta tu*, & consimilibus cantibus, qui tam in capite quam in toto corpore tali utentes dispositione transmutato circa finem per B. rot. semitonio, naturam secundi toni, & similitudinem quarti inordinatè recipiunt: Propter hoc circa finem mutatione indigentes in eâ parte correcti sunt. Quidam vero sunt, qui ab eâ literâ in quá incipiunt tono statim deponuntur, & redeuntes ad quartam

1. Ed. *reperitur*, at lectio codicis melior, diligentiæ Bernardi in pervestigandis qui de cantu tractarent voluminibus; testis & obses.

2. M S. *quàm pauci*.

3. Hiatum supplemus cujus monuerat impres. additis his verbis, *sub quâ nisi*.

4. *Reliquæ partes cantuum, ut patet*, sic Cod.

pausant in eâ, quod magis proprium plagalium videtur esse; sicut *Dominus regit me*, & ,*post partum*: Hos ergo in fine non solùm, sed etiam in principio mutatos invenies, ut septimo tono ubique arrideant.

Interim præmuniendus es de finalibus tertiæ & quartæ maneriæ, apud quas similiter magna invenitur confusio; sunt enim quidam miserrimi cantus nullius maneriæ habentes proprietatem, qui æquè terminari possunt in C. & G. quæ diversarum finales sunt maneriarum. Quidam super hoc rem diligentiùs intuentes, dicunt, & benè dicunt, omnes illos cantus esse irregulares quos nullius maneriæ certitudo distinguit, & judicant omnium illorum cantuum ita debere, vel extendi progressionem, vel compositionem variari; ut in finalibus diversarum maneriarum terminari nullatenùs possint, vel [2] propriè non possint. His proindè miserrimis cantibus suam incertitudinem leviter, & breviter ablatam invenies, ut jam non sis dubius, quibus singulos finalibus applicare debeas. Omnes igitur cantus primæ maneriæ id est, primi vel secundi toni termines ut
1 diximus, in D. vel in A. Omnes secundæ maneriæ, id est, tertii, & quarti toni, in E. vel B. quadratum; quòd licet tàm autentorum, quàm plagalium naturaliter susceptivuum sit, nullum tamen autentum in Antiphonario reperies, quem in ipso terminare valeas. Si enim est responsorium, versus illius autenti non potest ei competere qui sub sextâ literâ in quâ incipit, semitonium habet.

1. Cod. eam addit modificationem, *vel propriè non possint applicare*.

Si

Si vero est antiphona, *sæculorum*, ejusdem autenti, non potest recipere, propter eandem causam.

Nullum siquidem cantum qui per diapente & semitonium ascendat ad sextam, terminare potes in B. quadrato, quod supra se diapente non habet: propter hoc non satis commodè invenerunt in tertio tono *versum*, *neuma*, *sæculorum*. Utrumque tamen forsitan consideraverunt, & sterilitatem B. quadrati, & habilitatem: sterilitatem, componentes *versum*, *neuma*, & *sæculorum*, cantibus in E. terminantibus tantùm competentia: habilitatem, sextâ, pro quintâ utentes, ut si quandò sterilitati illius finalis fœcunditas succederet, parata esset litera, quæ autenticam ejus elevationem reciperet. Apud nos tamen autentos in B. quadrato terminari reperies; scilicet, *euntibus*, &, *Te Deum* [1] *Patrem*, qui alibi terminari non possunt. Hi communem versum non habent, nec habere possunt, sed habet unumquodque suum. Porrò omnes cantus tertiæ maneriæ, id est, quinti, & sexti toni termines in F. vel in C. [2] F. C. verò omnibus ferè plagalibus attribuens: omnes verò cantus quartæ maneriæ, id est septimi & octavi toni in G. tantum terminare debes.

Negant recentiores posse tertium & quartum tonum terminari in b molle, quia obstant tritonus & semidiapente.

Harum septem literarum non unam magis, & aliam minùs, sed omnes æqualiter principales, ac proprias [3] esse noveris, habentes nimirum plenariam, [4] tàm autentorum elevationem, quàm depositionem plagalium. Incipiunt autem à D. gravi, & in C. acuto desinunt: suprà enim vel

1. Omittit Ed. *Te Deum Patrem*, unde cætera singulari numero effert.
2. cod. sic *in F. vel in C. vero omnibus*, at ed. correctius.
3. ed. interponit, *proprias finales esse*.
4. addit M.S. *plenariam*.
* var. lect. præc. pag. omissa not. 1. al. *iterum præmonendus*.

infrà nullam invenies, cui non desit elevationis vel depositionis perfectio; ut autem unaquæque earum progressionis præcelleret plenitudine, fecerunt Musici dispositionem literarum à Γ [1] Græco usque in B. superacutum; non quia maluissent abundare, quàm deficere, sed quia nec super-abundare nec deficere voluerunt, faciẽtes dispositionem, quæ neque sine incommoditate contractior, neque sine superfluitate posset esse prolixior. Ut quid enim aliquid [2] super-adderes, cum suprà dictæ plenitudini hæc dispositio sufficiat, [3] cui è regione, si aliquid subtraheres aliquam profectò finalium ejusdem plenitudinis decore spoliares?

Prætereà sunt multi cantus in quibus duplari elevationi emioliam vel epitritam [4] depositionem quam habere solebant, subtractam invenies, sicut *Cornelius*, *sancte Paule*, & alii plures: omnes enim hujusmodi cantus duplices sunt, & irregulares: duplices, quia partim sunt autenti, partim plagales. Quod verò contra regulam sic ascendant & descendant, testantur etiam ipsi doctores erroris, sed per licentiam hoc dicunt fieri, regulas confundentes ut vitia retineant, non vitia resecantes ut regulas custodiant. Quæ est ista licentia, quæ regionem perambulans dissimilitudinis, confusionem adducens incertitudinis, præsumptionis mater, & erroris refugium,

1. ea forma notatur in cod. ed. verò habet ad latus pag *In MS. reperi hanc litteram* X. *qua significat* E, *id est*. E. *la, in Monochordo Guidonis*

2 al. *superaddere.*

3 ed. *cum.*

4. ed. *Epitritum deponere*, damnum ex cod. reparavimus. porro hemiolia est propositio sesquialtera; epitritus sesquitertia.

veritatem deprimit, & perturbat judicium? quę est, inquam, hæc illicita licentia quæ [1] conjungit opposita, metasque naturales transgrediens, sicut inconcinnitatem juncturæ, ita & injuriam irrogat naturæ? Luce clarius siquidem est, cantum illum malè & inordinatè compositum, qui vel ita deprimitur quatenus, prout decet, audiri nequeat, vel ita elevatur, ut cantari non valeat: sic enim debet fieri, ut in inferioribus auditorem habeat, & in superioribus prolatorem.

Hujus mediocritatis tenorem quidam in 8. quidam in 9. vocibus esse voluerunt, non clamosarum, sed vocum mediocrium possibilitatem considerantes. Verumtamen secundum illos quorum exquisitior videtur esse sententia, usque ad decem voces potest cantus progredi, propter autoritatem psalterii quod decacordum est, & ut æqualis sint dignitatis singulæ voces diapason, quæ octo sunt, quatenus mediæ [2] sicut & ultimæ geminam habeant habitudinem, scilicet, elevari & deponi, collocatis altrinsecùs duabus vocibus, alterâ superiùs & alterâ inferiùs: quia [3] secundùm hoc per octo voces habet cantus discurrere, & non per plures. Propter quod regulari cantuum progressioni diapason sufficit. Licet enim in progressione cantuum duabus vocibus hinc indè, ut dictum est, positis decem voces inveniantur, non tamen per decem voces, sed tantum per octo medias cantus discurrere, & usque ad voces altrinsecùs positas pervenire habet, sed per eas ire vel redire non habet. Et quod majus

Quot sint voces in cantu.

1. al. *conjungens.*
2 al. *ultimæ sicut & mediæ.*
3. ed. *quia tantùm per octo voces habent cantus discurrere*

est, secundùm dispositionem tonorum & semitoniorum quam habent Musici qui primæ, & quartæ, & septimæ literæ altrinsecùs sonum attribuunt; secundæ & quintæ inferius tonũ & suprà semitonum; tertiæ verò & sextæ è converso, videlicet supra tonum, & inferius semitonium. non prætermittentes quandoque b. rotundum pro asperitate tritoni. Secundùm hanc, inquam, dispositionem nullus cantus fieri potest in decem vocibus, vel citra, qui notari non possit, sed undecim vocum cantus fieri potest, qui notari non potest. Fac enim cantum qui autentus sit tertiæ maneriæ, & da [1] depositioni ejus in uno loco tonum, in alio semitonium, & eleva cantum illum decem vocibus ut sint undecim, additâ illâ quæ est in depositione [2], scito profectò cantum illum non posse notari, quia sub C. acuto terminari non potest, cum in depositione sub finali, modò tonum, modò semitonium habeat, sed nec ibi cum cantus excedat EE. [3] superacutum. Est igitur triplex ratio quare cantibus decem voces attribuantur, Psalterii autoritas, dignitas æqualitatis, & notandi necessitas. Secundùm hujusmodi sufficientiam decem vocum consideraverunt Musici progressionis plenitudinem, propter quam assignandam singulis finalibus prædictam dispositionem protraxerunt, à Γ [4] Græco usque in D. alioquin insufficiens esset formula, nec daret singulis plenarium ascensum [5] vel descensum.

Citat hunc locum Angel. Picigit. v. Præfat.

1. ed. *dispositioni*.
2. ut supra *dispositione*.
3. non *ee* in cod. sed *d*.
4. ed. *ee*.
5. M. S. addit. *vel descensum*.

Has decem voces in suâ progressione aliter autenti, aliter ordinant plagales. Autentos vocamus, qui majoris sunt autoritatis; primum, tertium, quintum, & septimum, qui gravari volunt, aut deprimi, sed leves in saltibus, agiles in motibus, quintam & eas quæ supra ipsam sunt, literas frequentant. Hi suæ finali, quæ una est de decem vocibus, unam supponunt, octo superponunt. Plagales sunt qui minoris sunt dignitatis, secundus videlicet, & quartus, sextus, & octavus, qui raro tangunt vel transeunt quintam; sed sub ipsâ volunt morose gravari. Hi finales suas quasi in medio collocantes quatuor ipsis voces supponunt, & quinque superponunt. Pulchrâ videlicet rationis probabilitate, ut quot vocibus in elevatione superantur, tot superent autentos in depositione. Nullus itaquè plagalis ultrà sextam elevari, & nullus autentus plusquã unâ voce debet deponi. Planè igitur insaniunt qui plagalem elevare per diapason, & autentum per diapente, vel diatessaron deponere præsumunt. Ut quid enim fiunt vel habentur hujusmodi cantus, graves quidem ad notandum, graviores ad cantandum, lineas variantes, arterias cruciantes, [1] caverciatam habentes progressionem; nunc ascendentes usque ad cœlos, nunc descendentes usque ad abyssos? ne etenim hujusmodi cantus fierent, testante Guidone, consilium fuit, ut unusquisque quatuor modorum videlicet, prothus, deuterus, tritus, tetrardus partiretur in duos, id est, autentum & plagalem, distributisque regulis acuta acutis, & gravia convenirent gravibus. Cum enim hujusmodi can-

Differentia autenti & plagalis.

1. Cod. cauceriatam.

tus secundùm unam partem sui sint graves & plani, secundùm alteram acuti & alti, versus & psalmi uno eodémque modo prolati diversis competenter aptari non possunt; quod enim subjungitur, si est grave, cum acutis non convenit; si acutum, cum gravibus discordat. Prohibet etiam idem Guido, ne hujusmodi abusio elevationis & depositionis fiat in antiphonis & responsoriis, quorum cantus [1] psalmis, & versibus coaptandi sunt. Cum enim cantus sit communis & duplex, versus autem, & *seculorum*, vel tantùm autenticè, vel tantùm plagaliter canantur, illiusmodi cantui competenter non possunt aptari, cum plures sint in quibus adeò confunditur gravitas & acumen, ut vix possit adverti cui magis, id est, autento vel plagali [2] conferantur.

Prohibentibus itaque metis naturæ necessariis, plusquàm quatuor cantuum manerias inveniri impossibile est, quæ & ipsæ secundum depositionem plagalium, & autentorum elevationem [3] octo modos exprimunt. Quorum bini & bini, autentus videlicet & plagalis eius, conveniunt omnino in maneriâ, sed differunt hinc in depositione, & elevatione progressionis, inde in hilaritate & gravitate compositionis: elevationem siquidem & hilaritatem usurpantibus autentis, depositionem verò & gravitatem, plagalibus retinentibus. Ad hos inter se distinguendos *neumata* inventa sunt, singulis subjicienda antiphonis, quæ apud quosdam *fliva* vocantur, & apud Græcos signantur per hæc verba [4] *nana, noe, ane,*

1 al. *cantibus.*
2. Cod. *plagæ.*
3. *Octo modis exprimuntur* ita ed.
4. ed. *ho à necane & noeais.*

& noeais, & his ſimilia, quæ quidem nihil ſignificant, ſed ad hoc tantùm ab ipſis Græcis ſunt reperta, ut per eorum diverſos ac diſſimiles ſonos tonorum admiranda varietas aure ſimul & mente poſſet comprehendi. Hæc ita maneriam & compoſitionem ſuorum modorum debent exprimere, ut poſtquàm tuæ diligentiùs memoriæ impreſſa fuerint, frequentatis aliquandiu cantuum diverſitatibus, quibus arrideant cantibus auditu etiam facilè cognoſcas. Unumquodque ergo eorum ſuo modo ſingulare debet eſſe, & ſufficiens; In hoc ſufficiens [1], ut cuilibet finali ſui modi convenire poſſit; In hoc ſingulare, ut cantus alterius modi convenire non poſſit. Non enim ad diſcernendos modos à ſe invicem neumata competenter eſſent inventa, niſi unumquodque ſuo modo ſufficeret, & eum evidenter ab aliis diſcerneret. Debet ergo maneriam & formam, tàm communem quàm propriam ſui modi exprimere; maneriam videlicet per diſpoſitionem, formam verò per compoſitionem.

De neumatibus autentorum.

Prætermiſſis interim neumatibus plagalium, quæ competenter inventa eſſe videntur, utpotè ſufficientia ſuis modis atque ſingularia. De neumatibus autentorum ſciendum eſt omnia malè eſſe inventa, vel poſt inventionem [2] corrupta præter neuma primi toni; vide ſiquidem [3] neuma quinti toni, & incompetenter inventum reperies, quia ſuo modo, nec ſufficiens, nec ſingulare eſt; cum enim aſcendat per duos tonos, & ſemitonium, licet naturaliter C. finalem

1 Eo loci deficit cod. ſic enim refert, *& inſufficiens hoc ſufficiens, ut cuilibet finali ſui modi convenire non poſſit, non enim.*
2. edit. *correcta*, quàm correctione indigebat.
3. al. *unde ſiquidem.*

habeat in F. tamen nisi accidentaliter terminari non potest; unde non est sufficiens, quia naturaliter utrique finali debet convenire, non per b. rotun; quod à distinguendis tonorum proprietatibus omninò excluditur. Valdè enim absurdum est, ut in eisdem literis in quibus cantus totus comprehenditur, suum neuma quod ipsius naturam debet ostendere, recipere non possit, quod tibi contingit in hoc modo in cantibus ascendentibus per tritonum. Iterum singulare non est, quia naturaliter & propriè terminari habet in *G*, quæ finalis est quartæ maneriæ. Considera namque neuma septimi toni, & hoc illi conferas; ejusdem utrumque dipositionis prorsus invenies, & ejusdem ferè compositionis; ita ut hoc septimo [1] modo, & illud quinto eâdem possis aptare diligentiâ, quâ & hoc quinto, & illud septimo. Unde & hoc neuma septimi toni irrationabiliter est inventum, cum competere [2] possit tertiæ maneriæ: Est etiam valdè indecens in utroque neumate; habet enim utrumque in suo principio plagalem elevationem, ascendens per tonum & semitonium, & moram faciens in quartâ; sicut prorsus invenies in neumate octavi toni qui plagalis est. Ergò vel communem autentorum, vel propriam alicujus autenti compositionem neutrum exprimit; nec minus competenter assignari potest octavo tono qui plagalis est; propter hoc utrumque mutatum invenies; ita planè, ut suo modo unumquodque sufficiens sit & singulare, nec superfluâ utatur circuitione. Neuma similiter tertii toni insufficiens est, quia autentis qui terminari possunt in B. quad. con-

1. ed. *toni.*
2. ed. *possit finali.*

venire non poteſt, & ideo ſub ſextâ ſemitonium ablatum invenies.

Has neumatum exquiſitas proprietates eſſe ſcias admodum neceſſarias ad diſtinguendos quoſdam autentos à ſuis plagalibus; hæc enim [1] antiphona, *Sede à dextris meis*, cum ſemel quintam tangit, & ſe totam ſub eâ colligit omninò plagalis eſſet, niſi propriam ſui autenti compoſitionem haberet, quam in neumate ipſius invenies, videlicet, à finali [2] per tonum deſcendere, & inde ſurgere per diateſſaron conſtans ex duabus tonis [3] & ſemitonio, poſteà per duos tonos aſcendere ad quintam, & inde per quaſdam interpoſitiones redire ad finalem. Curre per quaslibet antiphonas primi toni, hanc ferè in omnibus compoſitionem reperies: idem reperire potes in neumatibus aliorum autentorum. Caveant autem quicumque de cantuum diſtinctione perfectam volunt habere notitiam, ne propter aliquod brevitatis deſiderium hæc neumata quaſi ſupeflua prætermittant; adeptæ ſiquidem brevitatis non tantùm valeret compendium, quantùm amiſſæ commoditatis noceret diſpendium.

His & aliis, rationum probabilitatibus contrà uſum omnium Eccleſiarum antiphonarium hoc corrigere coacti ſumus, magis nimirùm naturam, quàm uſum æmulantes. Nec hoc utique ſuggeſſit præſumptio, ſed injunxit obedientia. Si opus ſingulare, & ab omnibus antiphonariis diverſum feciſſe reprehendimur, id nobis reſtat ſolatii, quòd noſtrum ab aliis ratio fecerit di-

In his emendationibus Bern. uſum tantùm non ſequitur, quia ex ratione reprobat ſæpiſſimè.

1. in ed. eſt antiphona, *Lex per Moyſem data eſt, quæ*
2. eod. *per totum*.
3. ed. *ſemitonis*.

versum, alia verò inter se diversa fecit casus, non ratio, vel aliud quidpiam, quod in causâ [1] casui non præponderat. licet enim in vitiis ferè omnia conveniant; in quibus tamen rationabiliter convenire possent, adeò disconveniunt, ut idem antiphonarium nec duæ canant provinciæ. Mirum proindè videri potest, quare majoris fuerint autoritatis atque communioris notitiæ, falsa quàm vera, vitiosa quàm sana. Vt enim de comprovincialibus loquar Ecclesiis, sume Remense antiphonarium, & confer illud Belvacensi vel Ambianensi, vel Suessionensi, quod quasi ad januam habet, [2] si identitatem inveneris, age Deo gratias. Nolumus autem latere posteros, quod hortatu dominorum & Patrum nostrorum multa retinuimus de veteri Antiphonario, quæ quidem tolerabilia sunt, sed multò meliùs possent haberi. Duo tamen incorrecta reliquimus, digna penitus correctione; videlicet metrum quarti toni, metrumque septimi, quæ licet in gradali correxerimus, propter usum tamen psalmorum in Antiphonario non potuimus corrigere, reclamantibus iisdem Patribus nostris, quorum assensu & benedictione cætera pro viribus executi sumus. Prædicta metra quare vitiosa sint ratio in promtu est; cantus enim Psalmorum quarti toni, impediente solo metro, nullis Antiphonis potest aptari qui terminentur b. quadrato; metrum vero septimi toni in eâ literâ pausat in quâ tonus iste nullum principium sumit; quod nulli tono licet. In illis enim literis debet pluis pausare quilibet tonus, in quibus frequentius habet incipere.

1. ed. *casum*. 2. al. *habes*.

3. al. *prompta*. hæc verbatim designata & emendata sint, ab uberioribus notis vacantes, quæ Musicæ disciplinæ peritis superfluæ: ignaris inutiles forent.



TRACTATUS
DE
RATIONE CANTANDI
GRADALE

Gradali Cisterciensi Prologi instar præmissus.

SICUT notatores Antiphonariorum præmunivimus, ita & eos qui gradalia notaturi sunt, præmunimus, & hos, & illos obsecramus, & obtestamur, ne notulas conjunctas disjungant, vel conjungant disjunctas; ut sicut in cantu, ita & in modo proferendi, quantùm ad pausationes pertinet, & distinctiones, servetur identitas. Eas autem solas literas dici & esse finales noveris, quæ tàm depositionis plagalium, quàm elevationis autentorum plenitudine fulciuntur, id est, sub se quatuor, & suprà se septem voces habent. Primam habes D. grave, & ultimam C. acutum. Præter has, & eas solas quæ naturaliter interjacent, nullam supra, vel infrà invenies, cui non desit, vel plenitudo depositionis, vel elevationis perfectio. Quæ litteræ dici debent finales.

Ut autem de singulis reddaris certior, scias

primum modum, videlicet protum, qui primum tonum continet & secundum, duas habere finales D. grave & A. acutum. Illis ergo cantibus hujus maneriæ qui suprà quintam habent tonum, necessaria finalis est D. grave quod suprà quintam naturaliter habet tonum. Illis verò qui suprà quintam non tonum, sed semitonium habent, propria finalis est A. acutum, quod ibidem non tonum, sed semitonium habet. Eis quoque, qui duobus tonis sub finali descendunt, similiter necessarium est. Hâc igitur proprietate diligenter consideratâ non miraberis eos cantus qui terminari solebant in D. per B. notatos esse naturaliter in A. acuto, neque hoc imitari superfluum aut fastidiosum tibi videbitur.

Finales primi toni D. grav. A. acut.

Secundus modus, videlicet deuterus, qui tertium tonum continet & quartum, duas habet similiter finales E. grave & B. quadratum; quarum videlicet prima illorum cantuum hujus maneriæ propria ac necessaria finalis est, qui sub sextâ habent semitonium. Altera verò illis cantibus propriè habet servire, qui sub sextâ non semitonium, sed tonum habent, & illis etiam qui finali tribus tonis descendunt. Nota quod multæ autenticæ Ecclesiæ inter quas esse arbitror Ambianensium, Morinorumque ecclesias, sicut in introitibus, ita & Psalmos habent in postcommunionibus. Licet autem paucos introitus, multas postcommuniones apud eos invenire potes. Qui in B. quadrato tantùm terminari possunt, hi nullo modo cantum Psalmi tertii vel quarti toni recipere possunt, cum Psalmi illorum tonorum suprà quartam habeant, & B. quadr. suprà quartam habeat non tonum, sed semitonium. Nos etiam si-

Secundi E. grav. & B. quad.

tut & illi, multos habemus introitus qui naturaliter terminari habent in B. quadr. ubique nimirum suprà quartam habentes semitonium; sed quia ibi non possunt recipere Psalmum qui supra quartam habet, ut diximus, tonum; ideo transferuntur ad inferiorem finalem per B. rot. Propter hoc, cantus Psalmorum tertii & quarti toni ita mutatos invenies, ut utrique finali servire habeant.

Tertius modus, videlicet tritus, qui quintum tonum continet & sextum, duas similiter habet finales F. grave & C. acutum. F. illis cantibus necessaria finalis est, qui sub quintâ habent semitonium. C. illis qui ibidem, non semitonium sed tonum habent. Sed quia nullum introitum habemus qui in C. terminari possit; ideo in quinto tono cantum Psalmi mutatum invenies, licet utrique finali aptari non possit. Tertii F. grave & C. acut.

Quartus verò modus, id est tetradus, qui septimum tonum continet & octavum, unam tantùm habet finalem. G. cantum Psalmi septimi toni in metro tantum mutatum invenies; quia ibi facit pausationem suam, ubi incipere non potest, quod nulli cantui licet. In illis enim literis tantùm cantus pausare potest, in quibus habet incipere; & in illis maximè quæ frequentiùs, & competentiùs cantuum usurpant principia. Quarti tantum. G.

Superfluâ insuper differentiarum multiplicitate exclusâ, unam tantùm quisque tonus differentiam retinet, & illam solam quæ in finalibus desinens, suam, vel in se, vel in metro, maneriam certificat. Propter hoc in octavo tono illa differentia retenta est, quæ reflexa usque ad D. grave per. F. redit ad finalem G. per hoc enim in finali alte- Vnam tantùm differentiam quisque tonus retinet.

rius maneriæ terminari non potest.

Cum autem differentiæ sex tonorum in propriis finalibus desinant, duorum tantùm, id est tertii & quinti tonorum differentiæ in suis finalibus non desinebant, & ideò adeò convenienter assignari poterant aliis tonis, sicut & illis. Hæ ad normam redactę sunt, & in propriis terminantur finalibus. Præterea sunt quædam responsoria videlicet, *Christus factus est* : *Ecce sacerdos* : *exiit sermo*, & consimilia, quorum copiosa est multitudo. In his responsorium est sexti toni, versus verò quinti; cum longè competentiùs suo responsorio versum subjungeres, si ejusdem toni esset cum eo, sicut est in aliis responsoriis ipsius gradalis. In responsorio etiam quod sexti toni est, vitium oppositionis est: quia progressio plagalis, compositio vero autentica est; quod fieri non licet: propter hoc ipsa responsoria ad quintum tonum satis competenter redacta reperies. Licet ergo hujusmodi emendationes usui contrariæ videantur, quia tamen usui prævalet natura: non tantùm tibi displiceat usûs immutatio, quantùm placeat observatæ naturę integritas; ut qui in regulâ vivendi dispensationem admittere noluisti; in regulis canendi falsitates aut vitia non dispenses, quæ magis resecari debent quàm dispensari.

quæ emendata sint.





TRACTATUS DE TONIS.

in cod. Tonale, cum musica.

Discipulus. QUid est tonus?

Magister. Regula naturam & formam cantuum regularium determinans.

Disc. In quo natura, in quo forma dignoscitur?

M. Natura consistit in dispositione, forma in compositione & progressione.

Disc. Quid dispositionem, quid progressionem, quid verò vocas compositionem?

M. Dispositio est tonorum & semitoniorum directa ordinatio secundùm naturalem literarum dispositionem: progressio verò est elevatio, & depositio autem consistit in levitate & gravitate, in extensione & reflexione, in variis anfractibus, multisque diverticulorum varietatibus. Cognoscis ergò cantus naturam; si cognoveris cujus dispositionis sit, vel cujus maneriæ; cognoscis formam, cognito utrum autenticè vel plagaliter progrediatur, sive componatur.

in duobus natura, in duobus forma cantus consistit; cujus & sunt quatuor maneriæ.

Disc. Quot sunt maneriæ?

M. Quatuor?

Disc. Quomodo inter se differunt?

M. Prima est, quæ à finali ascendit per tonum & semitonium, & descendit per tonum:

ſecunda, quæ à finali aſcendit per tonum, & ſemitonium, & deſcendit per tonum. Tertia quæ à finali aſcendit per duos tonos, & deſcendit per ſemitonium. Quarta quæ à finali aſcendit per duos tonos, & deſcendit per tonum.

Diſc. Quid vocas finalem?

De 7. finalibus.

M. Finales ſunt literæ cantuum terminativæ.

Diſc. Quot finales ſingulæ habent maneriæ?

M. Prima duas D. & A. ſecunda duas, E. & B. quad. tertia duas, F. & C. quarta, unam tantùm ſcilicet G.

Diſc. Utrum tot toni ſunt quot maneriæ?

M. Quatuor ſunt maneriæ, octo ſunt toni qui ſub maneriis continentur, quorum impares videlicet; primus, tertius, quintus & ſeptimus autenti vocantur: ut potè qui majoris ſunt dignitatis: pares verò videlicet, ſecundus, quartus, ſextus, & octavus tonus, quia indigniores ſunt, plagales vocantur. Continet autem unaquæque maneria unum autentum, ut plagalem ejus: prima, primum & ſecundum. Secunda, tertium & quartum: tertia, quintum & ſextum: quarta, ſeptimum & octavum.

Tonorum cur alii autenti, alii plagales dicti, eorumque differentia.

Diſc. Quæ differentia inter autentos & plagales?

M. Autentus poteſt aſcendere ultrà literam, quæ ſexta eſt à finali, plagalis non; plagalis poteſt deſcendere pluſquàm unâ voce, autentus non.

Diſc. Quot vocibus ſuperat autentus plagalem in elevatione, aut ſuperatur ab ipſo in depoſitione?

M. Tribus.

Diſc. Quot igitur vocum eſt cantus?

M.

M. Decem. *Disc.* Quare?

M. Quia secundùm dispositionem tonorum & semitoniorum quam habent Musici, nullus cantus fieri potest in decem vocibus, vel citra, qui notari non possit; sed undecim vocum cantus fieri potest, qui notari non potest; ideo non est necesse ut usque ad incertitudinem illam infrà, vel suprà cantus exeat. **Sunt tantùm 10. voces.**

Dis. Cujusmodi est dispositio quā habet Musici?

M. Primæ & quartæ & septimæ literæ altrinsecus tonum attribuunt. Secundæ & quintæ inferius tonum, & supra semitonium. Tertiæ & sextæ è converso, videlicet, supra tonum, & inferius semitonium, non prætermittentes quandoque b. rot. præ asperitate tritoni.

Disc. De illis cantibus quæro, qui non ascendunt ultra sextam, nec descendunt subter primam sub finali, utrum autenti sint, aut plagales?

M. Quidam eorũ sunt autenti, quidam plagales.

Disc. Quæ inter illos est distinctio?

M. Hi non per progressionem, sed per compositionis distinguntur considerationem. Quilibet enim cantus hujus diminutæ & contractæ progressionis, si in quintâ incœperit, aut eam frequentans in eâ pausarit, vel incipiens in finali ad eam saltum fecerit, autentus est. Accipe in tertio tono sextam, pro quintâ quiacumque enim cantus quartam non excesserit, sine dubio plagalis est. Quod si eam quandoque excesserit, sed se infra statim retraxerit, moras & circumflexiones suas sub eâ faciens, iterum plagalis est, nisi constet alicujus autenti propriam inesse compositionem. **Adhuc de distinctione plagalis ab autento.**

Disc. Quæ sunt illæ propriæ compositiones?

M. Inspice neumã primi toni, & propriam

ipsius compositionem in neumate reperies; quam nisi hæc Antiphona, *lex per Moysem*, & multæ consimiles haberent, omnino plagales essent: similiter in cæteris est autentis. Item quilibet cantus hujus diminutæ progressionis, si in principio sui à finali ad quartam ascenderit per diatessaron plenariè formatum; & inde citò ad finalem maneriæ determinans.

Disc. Quæ est illa?

M. Quilibet cantus regularis autenticè elevatus vel compositus terminatus in d. vel in a. autentus est primę maneriæ. Quæ sit autem autentica elevatio, vel compositio, superius dictum est.

Discip. Quid si cantus aliquis autenticè elevatur, non tamen autenticam, sed plagalem habeat compositionem?

M Hunc sibi venusta vendicat irregularitas, sicut à novitate usus nostri, ita & à præsenti disputatione penitus alienam.

Disc. Quot differentias habet?

M. Exclusis multiplicium quæ ab aliis canuntur differentiarum superfluitatibus, tres quibusdam videntur necessariæ: prima, quæ maturis & gravibus: secunda, quæ levibus & acutis: tertia, quæ mediocribus habeat subservire principiis. Quorumdam tamen importunitate minus discretè brevitatem æmulantium relictâ, ea quæ grâvibus principiis propriè convenit, in primo tono canitur; scilicet reliquis duabus in hoc tono utimur, quas subjecta docet formula.

E u o u a e.


Nam tertiam differentiam quæ illi Antiphonæ, scilicet, *Nos qui vivimus* adaptatur, magis voluntas, quàm ratio retinuit. Cum enim illam abjecerint, quæ non solum adeò propria, sed & levior, & usitatior est; Quâ ratione hanc in uno tantum Psalmo retinuerunt? Utinam tamen, vel hac solâ in primo tono contenti fuissent, cum primi toni proprietatem exprimat, & alii tono servire non possit. Nam de reliquis duabus differentiis neutrum verum est . . . .

PRIMUS TONUS.


Glori- a sæculo- rum.

Amen. Pri- mum quæri-


te regnum Dei.




Ave Ma -ri a.



Muli- eres. Angelus



Domini. Ecce no-



men Domi- ni. Angelus



Domi- ni. Venit



lumen. Adjuto-



rium. Specio- fus.




Chrifti Vir- go.




I- fti funt. Bidu- o.



O. quantus lu- ctus




Eu- ge. In me-




di- o. Cum ſublevaſ-



ſet. Glori- a.



ſæcu- lorum. Amen.




Vidi Domi- num.




Ecce vere. Apertis.



Glori- a Patri




& Fili- o,



& Spiri- tui




ſan- cto.



Nos qui vi- vi mus.



Glori- a. sæculo-



rum. Amen.

SECUNDUS TONUS.

Dis. Quid est secundus tonus?


Magister, Regula plagalem primæ maneriæ determinans.

Dis. Quæ est illa?


Magister, Quilibet cantus regularis depositus, velcompositus finem faciens in D. vel in A. plagalis primæ maneriæ. Quæ autem sit plagalis depositio vel compositio, superius dictum est.

Dis. Quot differentias habet?

Magister, Unam tantum omnibus ipsius principiis satis commodè servientem; ut patet in sequenti.




Gloria. ſæcu- lo-



rum. Amen.




Se- cundum au- tem




ſi- mile eſt huic.



Iſti ſunt ſancti.




O Sapi- enti- a.




In u- ni- versâ terrâ.



In omnem terram.



Glo- ria Patri



& Fili- o, &



Spiri- tui



ſan- cto.

TERTIUS TONUS.

Diſ. Quid eſt tertius tonus?

Magiſter, Regula autentum ſecundæ maneriæ determinans.

Diſ. Quæ eſt illa?

Magiſter Quilibet cantus regularis autentice elevatus vel compoſitus terminans in E. vel in B. quadrum, autentus eſt ſecundæ maneriæ.

Diſ. Quot differentias habet?


Magiſter. Duas, alteram inferioribus, alteram ſuperioribus principiis ſatis commodè deputatas, ut docet ſubjecta formula.




Glori- a. ſæculo- rum.




Amen. Tertia




dies est quo hæc fa-



cta sunt. Cum fortis



ar- matus. Nigra




sum. Ma- los malè.




Dum medi- um.




Domine. Glori- a.




ſæculo- rum. Amen.



Qui de terra eſt.



Glo- ria Patri



& Fi- li- o, &



Spi- ri- tu- i



ſan- cto.

QUARTUS TONUS.

Diſ. Quid eſt quartus tonus?

Magiſter, Regula plagalem ſecundæ maneriæ determinans.


Diſ. Quæ eſt illa?

Magiſter. Quilibet cantus regularis plagaliter depoſitus vel compoſitus finem faciens in E. vel in B. quadrat plagalis ſecundæ maneriæ.

Diſ. Quot differentias habet?

Magiſter, Duas, unam principiis cantuum ma-

turè incedentium : alteram reliquis omnibus congruentem, ut subjecta docet descriptio.




Gloria. sæculorum.




Amen. Quarta vigi-




li- a venit ad




eos. Lauda- bo.




Nos scien- tes.




Rubum quem viderat.




Ste-tit Angelus.



Iſte cogno- vit.




Glori- a Patri ſæculo-



rum. Amen. Oculi


mei




me- i. In prole



mater. Ni- si di-




ligen- ter. In domum



Domi- ni. Glori- a




Pa- tri & Fi-



li- o, & Spi-



ri- tui ſan-



cto.

QUINTUS TONUS.

Diſ Quid eſt quintus tonus?

Magiſter, Regula autentum tertiæ maneriæ determinans.


Diſ. Quæ eſt illa?

Magiſter, Quilibet cantus regularis autenticè elevatus vel compoſitus terminatus in F. vel in E. autentus eſt tertiæ maneriæ.


Diſ. Quot differentias habet?

Magiſter, Unam ſolummodo omnibus ipſius


principiis congruentem, ut inferius ostenditur.



Gloria sæculorum.




Amen. Quinque




prudentes intrave-




runt ad nuptias.



Confitebor Domino.



In conspe- ctu.



In so- le.



Glori- a Pa-



tri & Fi- li- o,



& Spiri- tu- i san-



cto.

SEXTUS TONUS.

Disc. Quid est sextus tonus?


Magister, Regula plagalem tertiæ maneriæ determinans.

Disc. Quæ est illa?

Magister, Quilibet cantus regularis plagaliter depositus vel compositus faciens finem in F. vel in C. plagalis est tertiæ maneriæ.

Disc. Quot differentias habet?


Magister, Unam universis ejus principiis arridentem, ut subjecta formula declarat.




Glori- a sæculo- rum.




Amen. Sexta




ho- ra ſedit ſu-



per puteum.




O admira- bile.




Bene- di- ctus.




Glo- ri- a




Pa- tri & Fili-



o, & Spiri-



tu- i ſan-



cto.

TONUS SEPTIMUS.

Dis. Quid est septimus tonus?


Magister, Regula autentum quartæ maneriæ determinans.

Dis. Quæ est illa?


Magister, Quilibet cantus regularis autenticè elevatus vel compositus terminatus in G. autententus est quartæ maneriæ.

Dis. Quot differentias habet?


Magister, Duas; alteram servientem principiis quæ in quintâ fiunt, vel ad ipsam saliunt; alteram congruentem principiis quæ à finali per quosdam gradus ad quintam ascendunt; ut patet inferius.




Glori- a. sæculo- rum.



A- men. Septem



ſunt ſpiri- tus ante




thronum Dei.




Vete- rem hominem.




Argen- tum.




Vi- vit Dominus.




Glori a. ſæculo- rum.




Amen. Dixerunt




Diſcipu- li.




Benedicta tu.




Iheru- ſa- lem.




Glo- ri- a Pa-




tri & Fili- o,



& Spiri- tu-



i ſan-



cto.

OCTAVUS TONUS.

Dis. Quid est octavus tonus?

Magister, Regula plagalem quartæ maneriæ determinans.

Dis Quæ est illa?

Magister, Quilibet cantus regularis plagaliter depositus, vel compositus terminatus in G plagalis est quartæ maneriæ.

Dis. Quot differentias habet?

Magister, duas; alteram servientem principiis cantuum in quartâ à finali incipientium; alteram cæteris ipsius omnibus principiis deputatam, ut subjecta docent.




Glori- a. sæcu- lo-




rum. Amen.




Octo ſunt be-




a- titu- dines.




Scri- ptum eſt.



Nupti- æ.



Ado- rate Do-




minum. Glori- a.




ſæculo- rum. Amen.




Ecce an- cil- la.




Do- minus.




De profun- dis.




Te de- cet




laus, Te decet hym-



nus, Tibi glori- a




Deo Patri & Fi-




li- o cum ſancto




Spiri- tu in ſæ-



cu- la ſæ- cu- lo-



rum. A-




men.

Gloria




Glo- ri- a




Pa- tri & Fili-



o, & Spiri-




tu- i ſan-




cto:


E





Domne ju- be be-



nedi- cere.







Disc. MEmini te dixiſſe ſuperiùs de duabus differentiis primi toni, quæ proprietatem ſui modi non exprimunt, & alii tono poſſunt aptari. Supra poſitæ differentiæ reliquorum modorum ſunt-ne, obſecro, propriæ?

M. Quædam illarum ſunt propriæ, & competenter inventæ, ſicut differentia ſecundi toni, & prima differentia quarti; quæ ejuſdem toni ſunt cum ſuis antiphonis; ſed differentiæ tertii toni in ſecundo tono canuntur, & longè competentiùs cantibus ſecundi toni poſſunt aptari, quam cantibus tertii; cum in eiſdem finalibus habeant terminari. Differentia verò quinti in quarto tono canitur, & differentia ſeptimi, itidem in ſecundo; differentiæ autem ſexti, & octavi toni ſuorum modorum proprietates non exprimunt; unde à peritis Muſicorum omnes hæ vitioſæ reputantur; debet enim illius modi differentia eſſe cui attribuitur; ut ejuſdem modi ſit differentia & Antiphona, & in eodem modo Pſalmus canatur. Intellexiſti hæc omnia?

Disc. Intellexi utique, & veriſſimum eſſe videtur quod dicis; eſt enim myſterium abſconditum à ſæculis, & eſt mirabile ſacramentum quod non licet homini loqui, quod differentiæ tertii toni, & ſeptimi canuntur in ſecundo tono; & differentia quinti, in quarto. In hoc Profectò peccavit inventio, vel inventionem corrupit oblivio. Miror ſimiliter de verſibus reſponſoriorum, quod in eiſdem finalibus cum ſuis reſponſoriis terminari non habeant, & alterius toni eſſe convincantur; præter verſus ſexti toni, & octavi.

M. Adhoc solet dici, quia si de cantu versiculi per se judicetur, verè alterius modi est: sed de ipso non debet judicari, sine illa parte resp̃onsorii quæ resumitur, ut sit unus cantus versiculi, & repetitionis: sicut in responsoriis multæ sunt clausulæ quæ si per se judicarentur, & malè compositæ, & alterius modi invenirentur. Proinde sicut unus cantus est totum responsorium, licet ex diversis clausulis constet, quæ diversorum sunt modorum; ita unus cantus est versiculi & repetitionis ex hoc & illa compositus. Propter hoc repetitio responsorii debet concordare versiculo, & secundum literaturam & secundum modulationem.

Disc. Lubrica, ni fallor, est hæc sententia, quoddamque videtur subterfugium solido carens veritatis. Cæterùm jam de tuo sensu loquens de metris, de differentiis & versiculis, quid sentis profer in medium?

M. Quod quæris non est præsentis negotii, cum prohibente sancto Cisterciensi Capitulo, nec in gradali, nec in Antiphonario quidquam mutare liceat. Quęre tamen Musicam [1] Guidonis Augensis, quam scribit ad sanctissimum Magistrum suum Dominum [2] Guillelmum Primum à Rievalli Abbatem: ibi de talibus sufficienter doceri poteris.

1. Guidonis, vel Bernonis qui multa de Musicâ scripsit. Is ex Monacho Pruniensi 29. Abbas Augensis, obiit 1048. de ejus operibus Tritem. Posseu, &c

2. Guillelmum. Hic discipulus, amanuensis & primus Rievalli Abbas ad quem idem Bern. mittit Ep. 379. & 380. obiit an. 1145. negat eum scripsisse epistolam in imbre sine imbred. Mabillon. ad notas hujus epistolæ 379. Atque de eo fieri mentionem à Gillebertó serm. 41. in cant.



S. BERNARDI CLAREVALLENSIS ABBATIS EXPOSITIONES MORALES.

Quis earum expositionum dicendus sit auctor.

DISQUISITIO.



SEquentium expositionum Moralium tractatus, *num.* 17. transcripsimus ex majoris nostri conventus Parisini egregio codice *num.* 192. quo eam habent epigraphen; *Sententiæ quædam contemplativæ Bernardi moraliter editæ.* Eas verò in duas classes dividi debere conspeximus: quippe aliæ ad solam doctrinam, veluti interpretationes, ceu communes de diversis sermones viderentur institutæ; eæque secundas in hac collectione obtinent. Aliæ formatæ tantùm (quas quidem primo loco reposuimus, ut pios anagogicosque affectus in cordibus legentium excitent, accendant, promoveant. Sententias primi generis, speculativas expositiones nominavimus; secundi, affectivas; rejecto

Num divus Bernardus eas expositiones ediderit.

sententiarum titulo, qui jam præfixus erat tribus variis apud Bernardum Opusc.*tom.* 2. *p.* 273 *&* *p.* 274. *&* *to.* 5. *p.* 284. Porro eo codici fides adhibenda, si alteri unquam. Ad D. Bernardi ętatē proximè accedit accuratissima ejus scriptio. Hujus ferè unius S. operum est locuples. Eas statim exhibet sententias post indubitata ejus opuscula; post libr. *de diligendo Deo*, libr. *de duodecim gradibus humilitatis*. Accedit, quòd nihil auctoris arte profert indignum. Enimverò earum interpretationum permultæ affines sunt sancti Patris sermonibus aut tractatibus aliis, proposito, acumine, pietate. Vide inter cæteras, *expos.* 3. *primæ partis*, & confer cum *Sermone* 4. *de div. exposit.* 5. cum *c.* 12. *&* 13. *exhort. ad milit. templi, &c.* Arnoldus, *lib* 2. *vitæ S. Bernardi c.* 8. *num.* 51. testatur virum Dei dictasse permulta; & non nunquam *scripsisse in tabulis areis*, *nè divinitùs inspirata perirent sibi*, perirent & aliis; nec tamen recenset cujus generis tractatus toties ediderit, nec numerat quam multos. Sanè quantùm conjicere licet, non alii esse poterant ii tractatus concrediti pugillaribus, nisi sententiæ breves, acutæ, aliquandò ob temporis angustias interpolatæ, stiloque parumper neglectæ. En ipsarum, quas emittimus, species. Ex quibus igitur, si inveneris breviores, hiulcas, ab eo dictionis nitore qui Bernardi operibus ferè semper insidet, parumper diffidentes, ne movearis: productiores, perfectiores esse non poterant, quas gestatilibus forsan vel perâ suâ *tabulis*, confidebat compendio; nec comptiores quæ *dictabantur* ex tempore, vel *inspirabantur* eo in fervore spiritus, unctione, ardore, quo ebulliens ex abundantiâ cordis os ejus, quid, non quemadmodùm loquere-

tur, æstuabat; tantùm quò ebrius eructare sollicitus, transfundere quo plenus, usque & supra summum. Credo, quæ sic rescribebat, iterùm lamberet, revocassetque ad incudem, si licuisset per otium. Par meum est de multis ejus *de diu: sermonibus* judicium. *Vide præfat. D. Mabillon. ad opera Bernard.*

Quandoquidem verò devotissimus pater frequentiùs passionem Christi solitus fuerit contemplari, eâ de ratione expositiones, quæ nobis ejus elucidant mysteria, numerosiores sunt & abundantiores. Quod quidem advertens pius anonymus eas coëgit ad libri formam, sub titulo: *Liber exhortatorius*, seu potius, *meditatio in Passionem & resurrectionem Domini*. vide *edit. Mabillo. ad finem tom.* 5. Neque enim eum libri ordinem existimamus à Bernardo esse, quem nullius alicujus singularis opusculi proposito fine, variis locis, occasionibus, temporibus, affectibus, ejusmodi sententias, ut ex Arnoldo didicimus, certum est emisisse. Hujus rei me convincit magis 1. tumultaria sedes, quam habent in nostro MS. 2. nullus ad peculiare aliquod Argumentum præparatus ordo. 3. nulla ad se invicem sensus cohærentia Quid, amabo, commune habet, *c.* 14. 15. 17. *edit. Mabillon. cum Passionis & Resurrectionis mysteriis?* Adhibe & *c.* 8. & 9. *ad nostram expos. undecimam.* 4. vocatæ & distortę ad eundem passionis Resurrectionisque scopum sententiæ & dictiones non paucæ. Statim primo *cap. ed. Mabill.* & *hocce volum. Expos.* 6. ubi impress. habet dormitavit anima mea præ tędio *mortis tuæ*: & cod. noster, & Sanvictor. & contextus docent legendum: dormitavit anima mea præ tædio *mo-*

An ad libri formam redegerit meditationes de passione & Resurrectione Domini edit. a. d. Mabillon. tom. 5. operum divi. Bernardi.

ra tuę, Papę quàm alterum affectum eæ voces exprimunt! Illa *mortis*, ista *mora* sponsi impatiens est: vide &c. *c.* 3. quem hiatum expleverimus: reliqua obviabunt legenti, vel notulæ nostræ, correctionesque designabunt. Iam verò quod spectat ad censuram quâ eruditissimus. D. *Mabillonius librum eum exhortatorium* dubitavit esse Bernardi; (Si dubitavit tamen qui nos ad *Saccum* relegavit pro Bernardo hujus operis vindicem) eo moderamine, meo quidem sensu, interpretanda est; ut librum integrum, seu libri consarcinationem ac laruam, veluti nos opinamur, hæsitaret concedere Doctori piissimo, non sententias, non quibus constat partes: *Carolum* vero *Saccum* Doctorem Theologum. Qui flor. circa *an.* 1470. Arbitramur allucinatum ex lectione conspectuque codicis Sanvictor. Vel alterius cujuspiam, ejus litis dirimendæ, remittendæ auctoritatis. Cujus & suffragium in recensendis D. Bern. monumentis apud me minimi ponderis est, qui tribus primis aberravit. *Bernardus*, inquit, *conciones infinitas habuit: libros elegantissimo verborum cultu expeditissime scripsit. De contemptu mundi lib.* 1. *Meditationum lib. unum. De Passione & Resurrectione Christi, lib. unum. &c.* De eo ultimo jam pronuntiatum est. Liber *de contemptu mundi*, est *Bernardi Cluniacensis* metricè conscriptus, qui quidem jam exiit prælo; cujus & duo exemplaria MS. vidimus; alterum in bibliotheca Sorbonæ; alterum in Sanvictor. vel, si *declamationes* in Evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia*, intellexit: *Gaufridi* 4. *Clarevall. Abbatis* ex operibus Bernardi collectio fuit, non Bernardi Labor. *Vide Præmonit. Mabill. ad has declama-*

An Carolus *Sacci* probe Bernardo adcenseat lib. *de contemptu mundi*, &c.

ta. 4. De *Meditationum*.libro, ne dicam quod ille, dicam quod penè omnes; a Bernardo non prodiit; vidè Præfat. nostram ad *tractat. de corpore Domini*, *infra*. Sed in mentem venit, annon meditationum liber toties ab historicis decantatus, atque etiamnum desideratus, is esset, cujus fragmenta parte primâ proferimus, qui quidem difficilis reperiri integer, ab amanuensibus hinc inde per partes sit transcriptus? Patrocinatur meæ suspicioni; titulus *sententiarum contemplativarum*; modus quo sese effert in illis D. Bernardus; ea tandem distractio meditationum de Passione, & Resurrectione Domini, atque in unum fasciculum conjugatio.

At pro coronide, supremâque harum expositionum commendatione, monitos lectores velim, in pretio fuisse coætaneis; earumque lectioni incubasse *Guillelmum S. Theodorici propè Remos Abbatem* inde auguror, quòd iisdem penè verbis, quibus hîc divus Bernardus utitur, ille affectus animæ suæ plerumque effundat. Vide inter cætera. *tom.* 12. *parte* 2. *bibliot. patr. edit. Colon. pag.* 315. *col* 1. *lin.* 3. ad hæc verba meditationum ejus. *Aperi Domine ostium lateris arca tua*, &c. & confer, cum initio *exposit. undecimæ primæ part.* fortè an, vel ipsemet eas suo *alligaverit stilo*? conjecturam firmat series quam habent in codice; præcedunt tractatum ejus *de vita solitaria ad fratrès de monte* Dei; atque in eis perpetua exuberat moralitas; adeoque eæ essent morales quas *tempore infirmitatis suæ habuerunt invicem de medicamentis virtutum contra langores vitiorum collationes. Vide eundem Guillel. l.* 1. *vita S. Bern. c.* 12. Enimverò quod sua-

Quam partem in iis expositionibus habere possit *Guillelmus sancti Theodorici* Abbas.

vius, salubrius, efficacius pharmacum contra langores morbosque vitiorum, quàm frequens Passionis Christi meditatio? vide *expo.* 5. 6. 7. 8. *primæ partis*; consolationum ejus, *expo.* 1. 2. 3. *ejusdem partis*; nostræve miseriæ usitata inspectio, nostræ inconstantiæ, nostræ negligentiæ, *vid.* 2. *part. expo.* 2. 3. 4. *&c.* Alias excidisse ejusdem argumenti nè minimùm dubito, sed doleo plurimùm. Eodem loci meminit præfatus Guillel. alterius commentarii à D. Bernardo eò temporis rogatu suo compositi; *Moralis* nempè *in Cantica Canticorum interpretationis, scripturæ illius mysteriis intermissis*, quam acceptam à Dom. Vich. doctissimus Mabillonius produxit; nos verò antequam ad manus pervenisset ejus editio, odoratam & detectam describi feceramus ex cod. Reg. in quo delitescebat nomine suppresso auctoris, eoque solo signata titulo; *Epithalamium amoris*: esse *Hildeberti Turon. Archiep.* arbitrabamur, quippe ejus operibus, fere omnibus, & solis admixta. Sed forsan de his aliàs.





EXPOSITIONUM MORALIUM PARS PRIMA.

EXPOSITIONES AFFECTIVÆ.

EXPOSITIO PRIMA.

ARGUMENTUM.

Urget, ne carnis curam faciamus in concupiscentiis, sed manna esuriamus, cæle-stem cibum, omne delectamentum in se habentem.



NE pluas super nos Deus coturnices, desideria carnis nostræ, quæ nonnisi duobus cubitis levantur à terra; quia non attingunt dona spiritus tui: *Ne pluas super nos, sicut pulverem carnes*; quia caro *pulvis est, & in pulverem revertetur*, & gloriam tuæ imaginis in *pulverem deducit. Omne quod intrat in os in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Talis est omnium voluptatum carnalium finis: *& sicut arena maris, volatilia pennata.* Gaudet edacitas, pennulas movet, sed mox in arenam converti-

Num. 11. 31.
Psal. 77:
Gen. 3. 19.
Psal 7. v. 6.
Matt. 15. v. 17.
Psal. 77. v. 27.

tur. Gaudet luxuria, modicùm volitat, sed mox in arenam maris transit. Omnis dulcedo carnis in amaritudine carnis finit. Modicùm levant infelicem animam, sed mox aggravant in arenam. Tuum autem manna Deus, minutum est sicut semen coriandri, & fractum molâ candorem producit, & dulcedinem quasi panis oleati! Hic est panis angelorum, quem manducavit homo! Dicunt adhuc increduli: *manhu*, quid est hoc? quia minutum vident & humilem, & quasi despectum sermonem tuum; & ideò redeunt, & concupiscunt carnes Ægiptias, quia nesciunt, neque gustaverunt absconditum intus mannæ saporem habentem omne suavitatis delectamentum. Redeunt ad carnes, & exsiccant eas ad solem in circuitu castrorum. Mira res! uno eodemque sole, & carnes indurantur, & manna liquescit; siccantur carnes, ut amplius durabiles sint; indurantur iniqui, ut suas diutius expleant voluptates! Tuum autē manna liquefiebat, cum sol incalesceret: quià *anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est*. Incalesce super nos sol meridiane, ut liquescat manna, & currant aromata illius *sicut torrens in austro*. Colligite filii Israël, colligite manna, & frangite, & replebitur *sicut adipe & pinguedine anima vestra*. Molestus est labor, sed fructuosus. *Labores manuum tuarum manducabis*, & jam *beatus es & in futuro benè tibi erit*. Frangite, inquam, molâ corpus & animam, & invenietis medullam: corpus jejuniis, laboribus, vigiliis; animam divinę legis studiis: non excidat tibi lex de ore cordis tui: volve & revolve, versa & reversa, & tunç intelliges, quid sapiat manna; sic faciebat ille qui dicit: *quam dulcia faucibus meis*

Num. 11. v. 5. & seq.

Cœlestis eduli differentiæ à terrestri, ab Ægyptiaco.

Eodem sole manna liquescit, & caro, carnalisque induratur. Cant. 5. 6.

Psal. 125. v. Psal. 62. 6. Psal 127. 2.

Vt tibi manna dulce sapiat, quid agendum?

Psal. 118. v. 103.

eloquia tua Domine ; super mel & favum ori meo. Esto apis virginea, collige de Flosculis *man.* Habes hortum voluptatis plenum rosis & liliis mira varietate depictum. Quidquid illic inveneris suave est, & odoriferum. Conde abundanter alveolo tuo ; & quid amplius dicam ? unus idemque cibus ; & api, mel est ; & cervo, fons aquæ ; & panis cor hominis confirmans. Hic est panis oleatus qui sanat ægrotum, roborat sanum, faciem exhilarat. Omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis habet : ubi coturnices, ubi carnes exsiccatæ : certè putruerunt in dentibus edentum. Si in dentibus putruerunt, quantò magis in ventribus. Immo etiam *computruerunt simul jumenta in stercore suo.* Panis autem Angelorum, quem manducavit homo, putrescere nescit. Non vadit in secessum, sed tendit in excelsum. Illuc reducens hominem, unde traxit imaginem.

Idem cibus, api mel, fons cervo, &c.

Ioel. 1. 17.

EXPOSITIO SECUNDA.

ARGUMENTUM.

Postulat à Deo pasci laude ipsius, vicissim ipsemet Deus à nobis pascendus, eleemosina, fide devota, &c.

DIves es Domine, & indeficiens est horreum tuum, ciba hodie pauperem tuum de *micis quæ cadunt de mensa* filiorum tuorum. Clamat egenus tuus ad fores tuas : quia non habet hodie quid manducet. Domine etiam sic infirmus sum, quod os meum aperire non possum. O quam sanus

Mat. 15. 27.

Laus Dei cibus justorum in via, & beatorum in patria.

erat, qui dicebat: *os meum aperui, & attraxi spiritum.* Ergo Domine aperi labia mea; & ciba me laude tua. Laus tua verè est cibus. De alio cibo non vivit tota civitas tua Hierusalem, quam tu *adipe frumenti satias*, & torrente voluptatis tuæ inebrias. Væ iis qui jejunant à laude tua. Nimirum sedent super stercora sua; ut *bibant urinam pedum suorum*, hoc est, temporalibus inhiant, ut carnis illecebras expleant: talibus enim das terram æneam, & cœlum ferreum, ut non pluat eis annos tres, & menses sex: quia nec fidei, nec bonorum operum fructus faciunt. Terram habent æneam; quia labia eorum sicut cimbalum tinniunt: sed cœlum ferreum; quia cor durum & inflexibile gerunt. De quibus Psalmista: *peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras justitias meas.* Non vivunt isti de laude tua Domine, sed moriuntur fame, non panis & aquæ, sed verbi Dei. Non autem interficies fame animam justi: quia in tempore siccitatis præcepisti corvo, & viduæ Sareptanæ, ut pascerent servum tuum Heliam: unde etiam hydria farinæ, & lecithus olei non deficit viduæ pascenti te. Pascit te corvus, pascit te vidua; sed vidua pane subcinericio, corvus autem carne vespertina. Peccator corvus est: corvus erat Zachæus, publicanus, unde etiam volavit in arborem sicomorum: *Hodie*, inquit, *oportet me apud te manere.* Hodie corvus pascet Heliam. quomodo pavit? *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* Ergo pavit Christum, pavit & pauperes cum Christo; immò in pauperibus Christum. Undè? De carnibus, hoc est, de temporalibus? Temporalia enim, & carnalia pro Christo relinquere, hoc est Chri-

Psal. 147. v. 14.

Isa 36. 12.

3. R. 17. per tot. Helias pascitur à vidua, & corvo.

Psal. 49. v. 6.

ibid. 3. R. 1. Corvus, nempè peccator, cibat Christum carne vespertinâ, eleemosinam egenis erogando.

Luc. 19. 8.

stum carnibus pascere; & hoc vesperè fit in confinio tenebrarum & lucis, ut proficiat & dicatur; *vespere & mane dies unus*. Prius pascit corvus, deinde vidua; corvus enim vidua fit; corvus mutatur in columbam, & gemitus edit, quare? quia vidua est: quia vir ejus mortuus est, qui lavit eam à peccatis suis, hoc est, à nigredine corui. Sponsus eius mortuus est; unde, & in memoriam ejus, duo ligna colligit, ut faciat sibi & filio suo, hoc est spiritui, modicum viatici, & moriatur cum sponsò suo. Sed prius pascendus est Helias, & de ipsa farinola novę conspersionis faciendus est subcinericius panis parvulis. Operum nostrorum primitias requirit Christus; &, ut *non alta sapiamus, sed humilibus consentiamus* caventes *à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* Iste simplex & humilis intellectus subcineticius panis est parvulis, quem à nobis exigit Christus; nec sine, vel modico olei debet esse bona mulier: quia hilarem datorem diligit Deus. Sed quidquid habet farinæ, vel olei, paululùm sibi videtur. Quia esurit, & sitit justitiam. *Non habeo*, inquit, *nisi quantùm pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululùm olei in lecyto.* Pugillus exigua est capacitas, farina mundus & subtilis fidei candor; hydria humilitatis circumspecta custodia, ne ventus superbiæ tantam gloriam, *in pulverem deducat*, & dispergat. Qui modicùm se habere intelligit, arctius debet custodire, ne, & hoc ipsum amittat. Ergo Deus, corvus, & vidua pascunt te in Sarepta Sidoniorum, quia ficus maledicta aruit in terra Judæorum; publicani enim & meretrices præcedunt Pharisæos in regno cælorum. In domo Pharisæi foris discumbis, in domo pec-

1. Gen.

Vidua pane subcinericio, devota fide, &c.

Rom. 12. v. 16.

Mat. 16. v. 6.

3. R. 17. v. 12.

Psal. 7. 6.

Pharisæus foris, Publica-

hps intus Christū pascit. catricis intus epularis. Pasce Deus pullum coruorum, filium peccatorum clamantem ad te; *Quo-*
Psal. 26 10. *niam pater meus, & mater mea dereliquerunt me;*
Psal. 16. 7. tu autem *non derelinquis sperantes in te domine.*

EXPOSITIO TERTIA:

ARGUMENTUM.

De triplici Cruce. 1. Carnis, martificatio. 2. Animæ, timor. 3. Spiritus, charitas: præfert timore charitateque configi. confer ser. 4 de div.

Thren. 3. 44. INdurasti cor nostrum Domine, indurasti cor nostrum, ne timeremus te; opposuisti nubem, ne transiret oratio; aufer à nobis Domine, sicut & promisisti cor lapideum, & da nobis cor carneum, ut spiritum tuum ponas in medio nostri. Spiritus tuus adveniens, initium sapientiæ timorem Domini, quasi basem & fundamentum ponit. Timor autem Domini stabile cor facit; ut domus septemplicis gratiæ super ædificata perseveret immobiliter. Tu nosti, Deus, quàm inquietum est cor meum, & instabile sicut pulvis, & velut arena maris, ut quidquid moliatur superædificare, potius in ruinam capitis mei videar coacervare? Quam benè, dictum est: *Peccatum peccavit Hierusalem, propterea instabilis facta est;* nūc foris, nunc intus, nunc in angulis platearum, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis. Ecce quam bene depicta est meretricalis vecordia animæ meæ. Et quid faciam? Revertere ad virum tuum priorem, & noil

De timore Domini, qui crux est animæ.

Ezech. 36.

Thren. 1. v. 8. & seq.

li diuaricari pedes tuos omni transeunti; propterea enim instabilis, & vilis facta es nimis iterans vias tuas. Peccatum peccavit Hierusalem, vias suas nimis iteravit; redi ergo ad virum tuum priorē, & dic ei: *Confige timore tuo carnes meas*; & ille tibi *Probibe linguam tuam à malo*, coerce gulam, jugula luxuriam, omnes corporis tui illicitos motus amputa: *Quicunque sunt Christi, carnem suam crucifixerunt*. Non satis est, fecerunt hoc Philosophi, fecerunt hoc inanis gloriæ cupidi, faciunt hypocritæ, *carnem suam cruxifixerunt*, sed mercedem à Christo non receperunt. Quare? *Quia timorem Domini non* habuerunt. *Confige timore tuo carnes meas*. Multi carnes suas crucifixerunt, non tuo timore, sed vanitatis amore. Non satis est hoc: *Confige timore tuo*, non solùm carnis, sed etiam animæ luxuriam. Animæ luxuria est inanis gloria: perdidisti omnem *qui fornicatur abs te*. Quid refert perire carnis immunditiá, an animæ luxuriâ? Ergo non solum carnis, sed & animæ crux tollenda est; membrorum mortificatio, crux carnis est; crux animæ, timor Domini: timor Domini configit animam, ut non respiciat ad dexteram, vel ad sinistram. Est & tertia crux spiritus, quæ est charitas. *Christo*, ait Apostolus, *confixus sum*; *quis me separabit à charitate Christi*. Illa crux, hoc est charitas, cor carneum, id est, molle, & tenerum facit. Unde, & per vitulum tenerrimum Christum intelligimus pro nimia charitate crucifixum. Ad illam ergo crucem qui pervenerit, oppositam nubem transit & in conspectu Dei orationem suam effundit. Unde & Moïsem in monte Sinaï sex diebus nubes operuit, septimo autem die vocavit eum Dominus de

[Margin notes: *Psal.* 118. v. 120. — *Psal.* 33. v. 14. — De mortificatione, quæ crux est carnis. — *Gal.* 5. 24. — *Psal.* 118. v. 120. — Etiam Philosophi cruci affixi: at vanitatis amore, non timore Domini. — *Psal.* 72. v. 27. — De charitate, quæ crux est Spiritus. — *Rom.* 8. 35.]

Exod. 24.18. medio caliginis. *Erat autem*, inquit, *species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israël, ingressusque Moïses medium nebulæ ascendit in montem.* Quid enim per sex dies innuitur, quibus nube tegitur Moïses, nisi sex illæ virtutes quibus ascenditur ad sapientiam? In solo enim vertice sapientiæ ignis charitatis ardentissimæ speciem divinæ gloriæ declarat; quidquid infra septimum sapientiæ gradum est, caligo reputatur, & nubes. Prima igitur crux per timorem, & pietatem, & scientiam carnem crucifigat. Secunda crux animæ fortitudinem, & consilium, & intellectum possideat; ut fortitudine terreat diabolum, consilio dirigat proximum, intellectu custodiat semetipsum. Nam tertia crux hæc omnia transcendit, & collecta in unitate charitatis in pace in idipsum dormiens requiescit.

Quibus instrumentis caro, & anima crucifigantur.

EXPOSITIO QUARTA.

ARGUMENTUM.

Devotissimè Christum invocat, ut opus quod operatus est pater in diebus antiquis modò renovet, creans cælum novum, & terram novam, lucem à tenebris dividens, &c.

IN principio Deus cœlum & terram, hoc est angelicam, & humanam creasti naturam. Sed facta hac brevi mentione de Angelis, ad solum hominem sermo tuus convertitur. *Terra autem*

erat inanis & vacua, & tenebræ super faciem abyssi. Videmus Domine, & præsto est nostris sensibus magna hæc mirabilis machina mundi, quæ sua pulchritudine & magnitudine sapientiam, & virtutem, & bonitatem tuam immensam, incomprehensibilem & æternam prædicare non cessat. Verùm hæc quamvis omnem, & sensum, & facundiam mortalium superent, ad novum potius cœlum & novam terram, quam tu modo creare te asseris, aciem mentis intendere libet; dicis enim in Evangelio tuo: Quia, *pater meus operatur usque modò, & ego operor.* Quid, nisi novum cœlum, & novam terram? De abyssis enim terram formas, & de terra cœlos. Peccator abyssus est. Sed cum de tenebris facis lumen splendescere, ut abiiciantur opera tenebrarum, & induantur arma lucis, novum cœlum, & novam terram creare cognosceris. Ecce animadverto Deus, quia terra mentis meæ adhuc inanis, & vacua est, & tenebræ super faciem abyssi: Inanis est, quia fluitat miserâ inquietudine per inania nugarum, & phantasmatum suorum, vacua bonorum operum *fructibus.* Vel sicut habet alia translatio: *invisibilis, & incomposita.* Est enim velut quoddam chaos confusione sua teterrimum & involutum, ignorans tam finem suum, quàm principium, & naturæ suæ modum, nisi quod se à summo creatore de nihilo mirabiliter factam esse credit; & post hanc vitam, vel ad inferos pro sui meritis, vel ad cœlos pro misericordiâ sui auctoris transferenda. Incomposita sane est quæ virtutum, & divinæ imaginis, cui similata est, decorem non servat. Ideo in abyssum cæcitatis suæ reconditur, & tenebris illusionum suarum

Gen. 1.

Ioan 5. v. 17.

Rom. 13.

Peccatoris mens abyssus, terraque inanis, & incomposita.

facies illius obscuratur. Talis est anima mea Deus meus; talis est anima mea: *Terra est inanis, & vacua, invisibilis & incomposita*, & tenebræ super faciem abyssi. Verumtamen habet etiam abyssus vocem suam; & abyssus inferior & obscura invocat abyssum superiorem te, qui exuperas omnem sensum. Invocat te Deus abyssus mentis meæ, ut etiam de me novam terram, & novum cœlum crees. Hoc invocabat David, & nos cum eo invocamus: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis*. Jam aliquid se factum esse sciebat, sed novam creaturam, novum cœlum, & novam terram se fieri poscebat: *Auribus nostris audivimus, & patres nostri narraverunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum*. Hoc opus est unde dicis: *Pater meus usque modo operatur, & ego operor: finxisti, enim sigillatim corda eorum*. Creans in eis lucem, & dividens lucem à tenebris: appellavisti lucem diem, & tenebras noctem. Hoc est *opus quod operatus es in diebus eorum*. Horum dierum senex Abraham, & alii quàm plures pleni fuisse memorantur, sicut, & illi quibus dicebat Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. O Creator optime, si usque modo operaris opus quod operatus es in diebus antiquis; cur etiam in anima mea opus hoc non operaris? anima mea *inanis & vacua est, & tenebræ super faciem abyssi*. Dic, ut fiat lux, & fiet. Jam creasti eam ut aliquid sit: crea eam, ut lux sit: dic ut fiat lux, & fiet lux. Hoc opus & in Lazaro, & in Paulo operatus es: *Illius facies sudario ligata erat*; quia *tenebræ erant super faciem abyssi*: hujus ab oculis cum baptisaretur tanquam

Gen. 1.

Abyssus infirmitatis nostræ, divinæ virtutis abyssum invocat.

Psal. 50.

Psal. 43. 2.
Joan. 5. v. 17.
Psal. 32.

Eph. 5. v. 8

Gen. 1.
Lazari sudarium, squammæ Pauli, somnus Apostolorum, tenebræ super faciem abyssi.
Joan. 11. 44.
Gen. 1.

squammæ ceciderunt, ut revelata facie gloriam Domini specularetur. Istæ sunt squammæ, quæ cor meum assiduè coram te faciunt dormire. Propter has Apostoli etiam in agone tuo dormitabant: *Erant enim*, inquit, *oculi eorum gravati.* Sed *jam hora est*, Domine, *nos de somno surgere*, tuba tua crebrius intonante: *Surgè qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Illumina Christe tenebras meas; dic animæ meæ; *fiat lux*, & fiet lux.

Act. 9. 18.
Matt. 26.
Rom. 13.
Psal. 17.

EXPOSITIO QUINTA.

ARGUMENTUM.

Quâ Christus viâ, eâdem pœnitens pergat Hierusalem, pertranseat obedientiâ, & contritione Betaniam, confessione Betphagè, operibus misericordiæ Oliveti montem conscendat, inde humilis descendat Iosaphat, &c. Confer c. 12. & 13. Exhortat. ad milites templi. *Loco movimus hanc expositionem, quæ erat ordine prima, ob affinitatem quam habet cum sequenti, quæ & defectus eius reparabit.*

DOminus noster Jesus Christus in die palmarum Hierusalem iturus congruam elegit viam, docens suos eâdem viâ debere proficisci. Sedit etiam super asinam, id est, Ecclesiam quam ducit & regit. A Betaniâ iter incipit, id est, in

Betania, obedientiam sonat.

domo obedientiæ, à qua debet incipere quicunque Hierusalem voluerit pervenire. In domo autem obedientiæ incipit esse quicunque de peccatis vult pœnitere, mala opera damnare, interius conteri, seipsum accusare: Dum enim in peccatis permanens propriam sequitur voluntatem, non est verè obediens. Deinde venit Betphage, id est, domum buccæ, qui erat viculus Sacerdotum: quia post interiorem compunctionem necessarium est venire ad oris confessionem, quæ dicitur fieri ad salutem. Inde ascenditur ad montem Oliveti, id est, ad misericordiæ opera in quibus nutritur, & calescit charitas, sicut in illo monte crescunt & nutriuntur olivæ. Oleum verò dolores pellit, tumores reprimit, facies exhilarat & sanat: sic charitas opera misericordiæ, quæ aspera sunt & amara mitigat, suavia reddit & delectabilia: amaritudinem quippe ciborum, asperitatem vestium, & similia quæ humanæ infirmitati sunt gravia, charitas facit levia; non habendi usu, non virtute humana, aut aliqua alia re id assequuntur religiosi, quibus hæc levia sunt, sed solius divinæ vis hæc operatur gratiæ. Secundùm hoc Helisæus cibum suum qui erat asper, filiis Prophetarum dicentibus: *Homo Dei mors est in olla*, aspersit farina. id est, divina gratia, & sic est factus dulcis cibus, qui prius erat amarus.

Betphage, confessionem.

Mons olivarum, opera misericordiæ, seu satisfactionem.

Quia verò in monte Oliveti, id est, in eminentia virtutis solet surripere tumor superbiæ, descendendum est ad vallem Josaphat, id est, ad humilitatem judicii. Dùm enim homo est in altitudine superbiæ, ut aliquo modo præsumat de se, & si quid boni habet, tribuat sibi ipsi, non

recte seipsum judicat: attendat vitia, infirmitatem humanam penset, recognoscat & cogitet, si in valle humilitatis constitutus se recte judicet, Deo omnia bona, suæ infirmitati imputans omnia mala; talis suam sic penset debilitatem, Dei in se misericordiam. Josaphat, humilitatem.

Postea intrat in Hierusalem, sicut Christus illa die intravit, & cum honore, & pompa accurrentium eâdem die suscipi voluit, cum sine honore prius ibi fuerit diebus multis; ut sic nos erudiret, quòd eum suscipere debeamus cum ramis palmarum, scilicet virtutum, & sternendo vestes in via: pauperes verò, & pueros innocentes occurrere sibi voluit; quia à talibus debet, & solet [1] suscipi.

1. Hæreo inter tot vepres· sic enim ad finem usque habet meus codex: *suscipi. Vilia autem vestimenta & ramos calcavit asinus qui abhorret, & fugit vestimenta preciosa & superflua: vilia autem vestimenta illis qui inde quærunt gloriari, & ob hoc religiosi appetunt videri, preciosa sunt & pestifera, & asinus Christi non calcat ea:*

EXPOSITIO SEXTA.

ARGUMENTUM.

De triumphali Christi ingressu in Hierusalē; quibusque virtutibus eum exornemus, fide, mortificatione, silentio mystico, humilitate, abnegatione perfecta, misericordiæ operibus. Hicque incipit suam de passione Domini explicationem, quam ad sensum moralem adducit, intermixtis

variis aliorum S. scripturæ locorum interpretationibus, pro materiæ quam exponit lumine, incendio, ornamento.

Mat. 21, 5. NOli timere filia Sion: ecce rex tuus venit tibi mansuetus, & sedens super pullum filium subjugalis, veni Domine Jesu, veni desiderate cunctis gentibus: quia *dormitavit anima mea præ tædio* [1] moræ tuæ, & oculi mei languerunt præ inopia luminis tui. Orire sol amabilis, ut *exeat homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam*, & operetur, *non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Noli timere, filia Sion.* Timere pusillorum est, ideo adhuc filia qui times, id est, nondum Hierusalem, sed filia Sion, id est, speculæ. ergo disce speculari. Noli timere, quia timor oculum turbat. Hilaris pupilla lucidè speculatur. Fides pupilla est oculi tui: quomodo pupilla oculi subtilissima est, ac nisi impigrè ac sollicitè custodiatur, levissimi ac tenuissimi pulveris tactu confunditur; sic acies fidei nisi pervigilem semper habeat custodiam, nihil citius conturbatur. *Sed noli timere filia Sion: Ecce rex tuus venit tibi.* Oritur tibi sol qui te & custodiat & illuminet, & perducat ubi pulvis non est. Venit tibi mansuetus. Qualis ipse est, talem te esse vult. Mansuesce jugum ejus portare, ut [2] & ipse sedeat super te asinam suam, & pullum filium subjugalis. Et quæ est hæc asina? Ipsa quæ caro vocatur, & mulier, *& virago quia*

Psal. 118. v. 28. — Psal. 103. v. 23. — Joan. 6. 27. — De fide. — Fidem pupillæ oculi comparat. — Mat. 21. 5. — Gen. 2. 23.

1. *Moræ tuæ*, ita cod. Sanvictor & noster. Favet huic lectioni auctoris affectus, contextusque phrasis. Ut deflecteretur moralitas ad Passionis Domini argumentum, *mortis* vocabulum à consarciuatore suppositum est.

2. *Ut & ipse sedeat*, ita Ms.

de viro sumpta est. Et quis est pullus ejus? masculus vir. Et quomodo pullus ejus est? quia *non prius quod spiritale, sed quod animale* est, *deinde quod spiritale.* Sed & prius rex mansuetus super asinam, posteà super pullum. Prius caro domatur, ut jugo habilis sit; deindè nascitur pullus, & nutritur, & roboratur, ut sessorem suum portare possit. Et quare filius subjugalis? Quia sub viro est mulier, & mulieris caput est vir; & tamen est filius subjugalis, quia per mulierem vir, sed in dolore pariet. Sedet super utrumque rex mansuetus, faciens pacem, ne hæc sibi invicem adversentur.([1] Ideo *noli timere filia Sion*, sed surge, & consurge, induere fortitudinem, ut possis *exire ad opus tuum, & ad operationem tuam.* Quid est hoc opus? *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Quid est audi? Sileat cor tuum, ut audias Deum tuum. Quid est vide? Intellige; fides audit, intellectus videt. Et quid est aurem inclinare? Non superbire, sed humiliari: humilibus enim Deus dat gratiam. Et quid posteà? *Et obliviscere domum patris tui. Pater tuus Amorraus & mater tua Cethaa*; hujus patris domum obliviscere. Quomodo inquis? Si benè intenderis ut audias, ut videas, ut humilieris, domum patris tui oblivisceris. Quænam est hæc domus patris tui? *Mundus* iste *qui in maligno positus est.* Deum enim simul & mundum audire non potes. Ideo filia *egredere de terra* carnis tuæ, & *de cognatione* mentis tuæ, *& de domo patris tui*, ut nec saltem memoriam tuam tangat, & tunc *concupiscet rex decorem tuum.* Decor magnus est, si

1. Cor. 15. v. 46.
De mortificatione.
Mat. 21.
Psal. 103.
De silentio mystico.
De humilitate, & abnegatione perfecta.
Exech. 16. 3.
Perfectæ abnegationis actus.
1. Ioan. 5. v. 19
Gen. 12. v. 1.

1. Quæ parentesi intercluduntur, restituimus ad nostri codicis cum edit. collationem. Aliis infra locis idem parenteses commonstrabunt.

audis, & vides, & inclinas aurem tuam: Audis per obedientiam, vides per intelligentiam, inclinas aurem tuam per humilitatem; hic decor, hæc omnis gloria ab intus est in fimbriis aureis, hunc decorem tuum rex mansuetus concupiscit, venit tibi, & tu non vadis ei: Egredere ergo de civitate.) Quia *vidi*, inquit, *contradictionem in civitate*. Egredere cum pueris Hebræis qui transeunt simpliciter in occursum Domini; sterne ramos olivarum, ut opera misericordiæ pedibus ejus accommodes; accipe frondes palmarum, ut triumphes de principibus tenebrarum; nihil in te resideat quod in occursum Jesu non prodeat, quia nec una ungula in Ægypto Pharaoni relinquenda est. Manus cor & lingua concinant, *Hosanna in excelsis*.

Psal. 54. — De misericordiæ operibus, &c. — Ibid.

EXPOSITIO SEPTIMA.

ARGUMENTUM.

Christum in horto orantem rogat, ut saltem unâ hora ei possit assistere, convigilare.

VIdens vidisti Domine afflictionem populi tui qui est in Ægypto, & inclinasti cœlos tuos, & descendisti [1] liberare nos. Indulta est & mihi domine modica quies ab operibus tenebrarum durissimis, quibus mentem meam vehementer affligebat importunus exactor Pharaonis,

1. MS. *Liberans*.

& sabbati tui præparatio jam lætificavit animam meam. Verumtamen nondum usque ad speculum perveni, ubi plenius intelligam pustulas & nævos, qui maculant faciem meam, quæ valde displicent in oculis tuis, quoniam *& si lavero me nitro & multiplicavero mihi herbam borith maculata sum in iniquitate mea.* Et nunc Domine Passionis tuæ dies urgere nos deberent magisquam præpositi Pharaonis, quoniam in operibus tuis justitia est, & pax, & gaudium in spiritu Sancto. Nos autem dormitamus, te Domine pro nobis orante; quia oculi nostri [1] torpore nostro gravati sunt. Suscita nos ut vigilemus & oremus, ne incidamus in tentationem, quoniam tribulatio valde nobis proxima est. Quam citò clauditur oculus ne te videat, collabitur pes noster *in hoc mare magnum & spatiosum manibus, ubi sunt reptilia quorum non est numerus,* quę somniorum suorum phantasiis intentam ludificant animam meam, & trahunt in cor maris, unde non facilis ad superiora reditus est, nisi tu *emittas manum tuam de alto, & eripias nos de aquis multis.* Suscita nos Deus ut tecum, vel unâ horâ vigilemus & oremus. Quis autem est qui tecum unâ horâ vigilet? *Avulsus enim es à nobis, quantum jactus est lapidis,* & agonizas prolixius, ita ut gutta sanguinis tui decurrat in terram. Longè, longè à nobis avulsus es, quia *lapis absciſſus est de montè sine manibus,* & jactus est lapis & percussit in fronte Goliam, & statuam in pedibus.

Ierem. 2. 22.

Quanta sit nostra fragilitas.

Psal. 103.

Psal. 143.

Luc. 22. 41.

Dan. 2. 34.

Iste est jactus tuus longe à nobis quia etiam usque ad interiora velaminis præcursor introisti

1. Ed. *tempore* D. Mabillon. opinabatur, *tepore*.

pro nobis, ubi semper interpellas patrem. Sed utinam gutta sanguinis, qui de agone tuo [1] sudat, usque ad terram nostram decurrat, & terra aperiat os suum, & bibat illum, & clamet ad te, & tecum ad Patrem, melius quam sanguis Abel. Quis autem es Domine, qui tecum unâ horâ vigilet? Etiam in Cœlo non est *factum silentium*, nisi *quasi mediâ horâ*, quanto minus in terra vigilabimus tecum unâ horâ? quoties & quoties redis ad nos, & invenis nos dormientes, & tamen benignè suscitas nos, & iterùm abis secundò & tertiò *eundem sermonem dicens*. Statim autem ut recesseris, iterum somnus occupat nos, nec vigilare possumus, nisi quamdiu nobiscum es, & suscitas nos. Venis *in secunda & tertia vigilia, sed beatus ille servus quem tunc inveneris vigilantem*. Jam primæ, & quartę nulla mentio fit, quia nec primæva ętas sensum recipit vigilandi, nec ultima [2] spem prolixius dormiendi. Et quid est, domine, quod tertiò rediens copiam dormiendi præstas? *Dormite jam*, inquit, *& requiescite*, numquid alium concedis somnum ubi [3] requiescitur, & alium prohibes in quo oculi gravantur? Ita est. Qui enim vigilat in te, suaviter dormit & silet, & somno suo requiescit: qui autem dormit à te, sicut ebrius nocte nesciens graviter agitatur. *Tristis est*, inquit, *anima mea usque ad mortem*. Anima tristis est quę expectat mortis tribulationem. Quis enim sciat utrum ad sinistram, an ad dextram eat? Quis sciat quomodo respondeat ad arguentem se, quando judex sicut

Apoc. 8. 1.

Luc. 12. v. 38.

Mat. 26.

Duplex est somnus, alterum Christus prohibet, alterum præcipit.

1. Ed. malè, *decurrit*.
2. Al. *Aspice*.
3. Imp. *requiescerent*.

parturiens loquetur, ideo tristis est anima, similis fit Pelicano solitudinis [1] qui odit civitatem & conventicula eorum de sanguinibus & macie solitudinis pallet : ut sicut nicticorax in parietinis scripturæ [2] quę est turris Siloa ; quęrat sibi escam totâ nocte, & evolet in passerem super tectum, vigilantem & [3] caventem quando fur veniat.

Vel Judam non videtis, quomodo non dormit? Quam pervigiles habet oculos avaritia, quomodo circuit orbem terræ, non cessat manus ejus, non cessat pes, & coaceruat sibi iram in die iræ, & tamen dormit Simon, dormit Jacobus & Joannes. Quare? quia non attendunt quid paululum futurum sit. Periculi magnitudo somnum fugat. Numquid dormivit Petrus in atrio? Numquid dormierunt qui relicto eo fugerunt? Numquid dormivit adolescens quando tenuerunt eum, & ille relicta sindone nudus profugit? Et tamen frigus erat, quia stabat Petrus, & calefaciebat se. Magnitudo periculi somnum & frigus & famem facit oblivisci. Evigila tandem, evigila, miserabilis anima, si non amore, saltem timore. Cogita saltem cruciatum, quem jam passura es in morte. Certe nulla crux durior est, quam mors. Mors, inquam, ipsa est durissima crux, quæ tibi paratur, ad quam quotidiè tu festinas, & non attendis. Vide quomodo te mors crucifigit. Corpus rigescit, crura distendũtur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, cervix languescit, labia spumant, oculi stupescunt, facies exsudat, vultus horre-

Magnitudo periculi, somni, famis, frigoris oblivionem parit.

Eadem ferè habet sermo in parabolam *de Viilico iniquitatis num.* 81. qui non est Bernardi. Vide *tom.* 5. *edit. Mabill. pag.* 204.

1. Ed. *Similis.* fit, &c. *quæ odit.*
2. Absunt in impr. *quæ est turris Siloa.*
3. Al. *canentem.*

cit, & velut testa pallescit. Ista crux manet te. Nescio utrum in lectulo molli, an in cruce rigidâ suavius moriatur, nisi quòd crux citius dolorem abscidit. Quæ videmus & sentimus, levia sunt ad ea quæ intus anima jam prægustat. Nam sensûs à corpore citò recedit, animam sua mors semper comitatur.

EXPOSITIO OCTAVA.

ARGUMENTUM.

Agit de triplici Christi opprobrio & supplicio, quod ultimam crucis eius pœnam præcessit: velatur, colaphisaturque facies eius, flagris cæditur, veste regia indutus illuditur; inde ostendit peccatores eadem quæ Christus perpessus est in publico, tolerare in occulto, quorum etiam status, tres mortui à Christo suscitati adumbrant.

Ezech. 1. Vid. ho. 7. S. Greg. in Ezech. CUm *ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ juxta ea.* Si vita nostra proficeret, rota sanctæ Scripturæ nobiscum pariter ambularet; sed quia per pulverem & lutum, per paludes & saxa pedibus euntes offendimus, vix rotæ nos sequuntur. Passio Domini celebratur & nos voluptati operam damus: clamat nobis de cruce: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus*; & Thren. 1. d.

nemo eſt qui audiat, nemo qui conſoletur. *Sitio*, inquit, Domine quid ſitis? Ergone plus te cruciat ſitis quàm crux? De cruce ſiles, & de ſiti clamas: *Sitio*. Quid? Veſtram fidem, veſtram ſalutem, veſtrum gaudium: plus animarum veſtrarum, quam corporis mei cruciatus me tenet. *O vos omnes qui tranſitis, attendite & videte, ſi eſt eſt dolor ſicut dolor meus.* Attendite dolorem meum, ut in dolore meo videatis dolorem veſtrũ. Dolor meus imago veſtris doloris eſt. Quod attenditis in corpore meo, attendite, & videte ſi ſimilis dolor non eſt in corde veſtro. Corpus meum cordis veſtri ſpeculum eſt. [1] *Attendite & videte:* tranſite à vobis ad me, tranſite à me in vos; & videte, ſi non eſt ſimilis dolor in vobis, ſicut dolor meus. *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete filiæ Hieruſalem:* veſter ille dolor quem tranſitis, & non attenditis, magis eſt flendus quam meus; propter ſcelus enim veſtrum percuſſus ſum. Hæc nobis de cruce ſua clamat Deus, etſi non verbis, tamen ipſâ re. Redeamus ergo redeamus prævaricatores ad cor, inquiramus ſcelus noſtrum, plangamus dolorem noſtrum.

Ioan. 1.

Quæ fuerit ſitis Chriſti.

Thren. 1. d.

Dolor exterior Chriſti, doloris noſtri interioris imago eſt, & ſpeculum.

Luc. 23.

Tota quidem & vita & doctrina Chriſti, Chriſtianæ vitæ eſt diſciplina. Specialiter verò de Sacramento paſſionis ejus uberiora nobis & ſalubriora profluunt remedia; quia tunc etiam liquatur vinum abundantius, cum ipſa vini mater uva calcatur. Sed cum totum paſſionis ejus pelagus percurrere totus non ſufficiat mundus, tria illa quæ ſpecialiter antè crucem prægustavit opprobria, id eſt, quod velata facie colaphizatus, quod

Diviſio hujus expoſitionis, cujus defecta e lit. quot ſalebris ſcatent.

1. *Attendite*: Ab his verbis uſque, *Paulus tertiò rogavit*. Vide quàm dimenſum vulnus ſanaverim.

à Pilato flagellatus, quod à militibus regia veste illusus est, breviter perstringamus. Quod enim pertulit in publico, nos patimur in occulto. Nos inquam, patimur vera & horrenda magis opprobria, quæ nos ad æterna pertrahunt supplicia; quæ si intra nosmetipsos vel admoniti recognoscimus & confundimur, saluberrimis ejus opprobriis perungimur, & sanamur: similia enim similibus curantur.

In primis itaque facies velatur nobis, cum mentem nostram desideriorum nubes carnalium involuit. Tunc autem colaphis ipsa cæditur mens, cum ad actum nefarium consensus pertrahitur; sed hoc fit in domo sacerdotis, quia latentes adhuc culpas ecclesiæ verecundia celat. Undè in domo principis Synagogæ puella & moritur, & sanatur. Bene autem colaphisantes dicunt: *Prophetisa, quis est qui te percussit.* Velatam enim faciem habentes irrident prophetiam, dicentes: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob*, quia parietes operiunt nos. Quis te percussit? Quis vidit? quis audivit? Quis testatur: Innocens ego sum, nullus hoc novit. Ibidem & Petrus negavit: *O homo non sum*: Non sum ille quem tu affirmas, non feci furtum, non admisi scelus quod tu dicis, o homo hominem timeo, non Deum, cujus veritatem nego. Ergo velatam faciem habebat Petrus. Unde & tertio colaphisatus est; quia tertio negavit. Et Paulus tertio rogavit Dominum, ut auferret à se angelum satanæ qui eum colaphisabat. Uterque ergo Apostolus ter colaphisatus est; uterque ter naufragium passus est; ille intus, iste foris. Voluisset quidem satanas, si ei licuisset, tamdiu Petrum colaphisando cribrare sicut

Velatur Christi facies, colaphisatur; ita & nostra.

De primo mortuo.

Luc. 22.

Psal. 93. 7.

Petri, Pauli, Christi velata facies.

2. *Cor.* 12.

sicut triticum, donec omnem ab eo fidei medullam excussisset. *Sed ego*, inquit, *Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, unde respexit eum, *& egressus foras flevit amare.* Tamdiu faciem habuit velatam, donec respexit eum. Nonne etiam prius negantem respiciebat? etiam; sed Petrus respicientem se non respiciebat, quia velatam faciem habebat. Unde bene Evangelista. Et *recordatus est*, inquit, *Petrus.* Recordatio Petri, respectus fuit Christi. Ergo cum peccatum flendo recordaris, à Christo videris, immò sublato velamine Christum vides. *Et egressus foras:* propterea negabat, quia intus esse volebat; & tamen quando negavit foras egressus est. Unde foras? De domo Christi, de domo fidelium. (Sed [1] propterea negabat, quia tunc malebat esse in domo Caïphæ, quam in domo Christi;) at ubi de domo Caïphæ foras egressus, in domum Christi intromissus est. Quanti sunt hodie qui dicunt: nos sumus de domo Christi, nos sumus de domo Ecclesiæ, & sunt de domo Caïphæ; hoc est hypocrisis. Quod Petrus negando, hoc isti faciunt affirmando: Sed nisi confitendo foras exeant, & amare fleant, non intrant Ecclesiam Dei. Amaritudo fletuum velamen diluit oculorum. In domo ergo Caïphæ colaphisatur Christus, quia in domo Caïphæ colaphisatus est Petrus. Et quod Petrus à satana intus passus est, hoc Christus à ministris satanæ foris pertulit. Attende ergo, & vide, si est dolor sicut dolor meus. Vides quis graviora pertulit opprobria, Christus foris in corpore, an Petrus intus in mente? Sed jam ad Pilatum eatur.

Luc. 22.

Mat. 26.

Pœnitentia velamen ab oculis tollit.

Colaphisatur in domo Caïphæ Christus in facie; Petrus in corde.

1. Quæ cinguntur parent. Adjicimus ex MS.

Manè autem facto, vinctus ducitur ad Pilatum. Quamdiu culpa latet, nox est; at ubi cœperit innotescere, mane fit. Tunc jam ligatur à principibus sacerdotum & traditur Pilato, hoc est principi tenebrarum, sicut & Apostolus jubet hujusmodi tradere *Satanæ in interitum carnis.* Effertur adolescens de domo ad portam civitatis ad Pilatum, ubi sedet Pilatus pro tribunali. In porta enim judicium fieri solebat. Pilatus autem apprehensum flagellavit. Sæpè dùm culpa retegitur, per impudentiam peccatorum effrenatur, augentur flagitia, plagæ multiplicantur: *Multa enim flagella peccatoris.* His flagellis & Pharao cædebat filios Israël.

Flagellatur Christus, flagellamur & nos.

1. Cor. 5.

De altero mortuo.

Psal. 31.

Post hæc traditur militibus ad illudendum; Ipsa est militia spiritualis nequitiæ. Vide ordinem miseriæ; à Principibus sacerdotum traditur Principi tenebrarum, qui flagellis suis sibi mancipatum, militibus suis exposuit altius ad illudendum, & postea novissimè ad crucifigendum. Post crucem enim non restat supplicium, quia peccatum morte terminatur. Sed vicinâ jam morte, majori dæmonum ludibrio peccator agitatur. Exuentes quippe eum veste totius Christiani decoris, quasi pro regio decore clamidem ei coccineam, hoc est vestimentum mixtum sanguine, circumdant: tùm propter crudelem vitæ suæ sanguinolentiam à plerisque & honoratur & circumdatur; unde & *plectentes coronam de spinis* ponunt super caput ejus, cum de rapina pauperum spineas ei divitias coacervant, ut caput ejus ad regnum elationis efferant: vendicat enim sibi pecunia, quod sapientia dicere solet: *Per me reges regnant, & conditores legum justa decernunt.*

Illuditur Christus, illudimur & nos.

Materies coronæ spineæ Christi, divitum rapinæ.

Prov. 8. 15.

Ubi pecunia, ibi Rex, ubi Rex, ibi clientum copia, unde & arundinem in dextera ejus ponunt. Potestas enim & Regnum impiorum arundo est agitata, Regnum autem Christi *virga ferrea*. Et bene arundo in dextera ponitur; quia *dextera eorum, dextera iniquitatis*. Jam quod sequitur luce clarius est, quia genu flexo, talibus illuditur, potiusquam servitur. Ave Rex Judæorum? (O [1] mira dementium irrisio? Regem appellant Judæorum, qui sunt oppressores humilium; sed *qui habitat in Cælis irridebit eos.*) *Et expuentes in eum*, laudibus supervacuis: *Laudatur enim peccator in desideriis anima sua, & iniquus benedicitur*, acceperunt arundinem, & percutiebant caput ejus: A talibus enim rectoribus milites eorum potestatem accipiunt nocendi, & devorandi pauperes, quod totum tamen redundat in caput ejus, cujus authoritate se tuentur. Hic [2] tertia mors est, quando sedet fætens in cathedra pestilentiæ. His mortibus infelix anima ante extremam crucem mortis afficitur, & quod miserabilius est, talibus opprobriis, quasi magnis honoribus delectatur; & talis quotidie ducitur ad crucem bajulans ipse sibi suæ [3] damnationis supplicium.

Quid arundo?

Psal. 2.

Psal. 143.

Psal. 2. 4.

Psal. 10.

De 3. mortibus.

Sed quid est quod post illusionem clamide exuitur, & suis vestimentis reinduitur, nisi quod sæpe superbus Adam, cum per dolorem carnis, confinia mortis ingreditur, depositâ elatione ad putredinis suæ considerationem revertitur, ubi videlicet, vel miseratione divina pœnitentiæ fructus invenit, vel per tremendum judicium dupli-

Digreditur ad Adam.

1. Novum est, quod parem habet.
2. MS. *Hic*.
3. Addit cod. *suæ damnationis*.

ci contritione conteritur? Sic Herodes cùm veste regiâ præfulgidus plusquam decuit à populo acclamaretur, mox percussus ab angelo, exutus clamide vestem suam reinduit, & consumptus à vermibus expiravit. Rectè ne illusus est? *Ave Rex Iudaeorum.* Quid superbis terra & cinis? Quid veste nitida gloriaris? *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum vermes.* Hęc tua vestis est. Illuserunt tibi, qui te clamide coccinea circumdederunt. Sic Antiochus & Dominici Natalis hostis Herodes, alienis vestibus depositis in suis vestibus [1] expirarunt.

Esa. 11.

EXPOSITIO NONA.

ARGUMENTUM.

Prosequitur quae tractanda supersunt de passione Domini: ubi plura de crucifixione eius, de oratione in cruce; plurima vero de latrone quem Adami pœnitentis typum facit, elogioque eius egregiè peractio, pessimos latrones vocat, qui crucem Christi patienter non tulerint.

Christus fugientem ac latitantem se[?] Adamum ad crucem usque sequitur, & quærit.

Redi ad cor tuum tandem aliquando, redi vetus Adam; vide ubi, & quomodo te requisivit, & invenit novus Adam. Ostendit tibi in corpore suo ignominias animæ tuæ. Non satis fuit quod per colaphos, flagella, & nova irrisionum genera post te fugientem clamitans &

1. Interponit impr. *id est. Vermibus expirarunt.*

miserans percurrit, & usque ad novissimum crucis supplicium, jamiam efflantem consecutus invenit, aprehendit. Quis enim latro ille, nisi Adam fuit? Qui ex hoc primum in Paradiso sui ipsius homicidium perpetravit, tamdiu à Christo fugit reus, & abscondit se, donec in crucis articulo novissimè consumptus & deprehensus, fugere & latere ultra non potuit. Ibi tandem [1] comprehensus à te, bone Jesu, conversus est, culpam suam confessus est, pœnam libenter amplexus est. Tu enim admonebas, ne pati abhoreret, quod te quoque secum pati videret. Ille ergo tibi de toto hoc mundo solus & unus adhæsit, & ideo solus de mundo toto hoc tecum in Paradisum intravit. (Ecce [2] quomodo novus Adam veterem secum reduxit in paradisum & secum tam firmiter collocavit.) Ubi etiam firmiter non jam custos paradisi, sed civis & domesticus Dei collatus est, ut amplius indè cadere non possit. O beatissimum latronem, imo non latronem, sed confessorem [3] & Martyrem. Necessitatem enim vertit in voluntatem, & pœnam commutavit in gloriam, & crucem in triumphum. In te beatissime Confessor & Martyr, de totius mundi sterilitate, fidei reliquias collegit Christus. Tu fugientibus discipulis & Petro negante, socius & comes passionis ejus fieri gavisus es. Tu Petrus in cruce fuisti, & Petrus in domo Caiphæ latro, tamdiu enim Petrus latro fuit, quamdiu intus [4] latitans Christum foris negavit: ideo & Petrum præcessisti in paradisum.

Latro Adami typus, vide Aug. serm. 122. de temp.

Latro à latitando, vid. Isidor. & ethymologistas.

Pœnitentia latronis triplici actu cōspicua.

Latro in cruce Petrus.

1. Abest in ed *tandem*.
2. Sic locus mutilus à parente resarcitur.
3. Ordine præpostero impr. *Martyrem & Confessorem.*
4. Cod. *intropositus.*

quia qui te in cruce complexus est dux & rector tuus, eadem die quâ ipse ingressus est, fidelem & gloriosum militem secum te pariter introduxit.

Act. 3. 2. Christus horâ nonâ, orat, clamat, expirat, latronem ad templum gloriæ reducit.: simile quid fecit Petrus ad portam templi claudum erigens & sanans.

Egenus & pauper ego sum Domine, & claudus ex utero matris meæ, & ecce: *Sedeo ad portam templi* tui, *qua dicitur speciosa*, non valens, nec volens introire, quin potius egestate bonorum tuorum mendicans foris alimoniam carnis meæ creas[1] & falsas imagines hominum, ubi coarcervem mihi talentum iniquitatis fasciculos deprimentes. Et hæc[2] hora orationis nona est. Ascendunt Petrus & Joannes Apostoli tui, ut orent ad templum sanctum tuum, ego autem hæreo terræ & luto, terrena & vana sapiens, & aliis introeuntibus, ego foris remaneo, non quærens cum eis ea quæ patris tui sunt, sed quæ primi parentes mei qui me huc quotidie foras ponunt, malè concupierunt. Et ecce jam: *Hora orationis nona est, inclinata est dies.* Propè est nox, cum surrexero manè diluculo, de his quæ nunc mendico, nihil in manibus meis reperiam. Hora, inquam, orationis nona est. Orasti enim hac horà pendens in cruce, orasti inclinato capite: *Clamans voce magna*, & expirasti. Orasti inclinato capite in spiritu humilitatis, clamans voce magnâ altissimo & secretissimo affectu paternæ & nostræ charitatis. In illo Domine, clamore valido expirasti, & eundem quem de nobis tunc habebas compassionis animum, tecum asportasti; Et credo, Domine, quia tecum adhuc reservas, quia, charitas tua refrigescere nescit. Erat autem hora orationis nona. Et quare nona? Quia *circa horam nonam tenebræ factæ sunt.* Repellendus erat

Luc. 24. 29.

1. Al *areas* mendosum adhuc locum suspicor.
2. Ed. Ecce.

horror tenebrarum, qui universam operverat terram; repellenda caligo populorum, quæ extunc cœperat abundare, ex quo cœpisti ad auram post meridiem deambulare. Ex tunc non cessasti clamans: ubi es Adam? sequens post tergum fugientis, & abscondentis se, quantum in ipso fuit. Et dimissus est de paradiso voluptatis, & pervenit usque ad condignum suæ cruciatum iniquitatis. Sed *nos*, inquit, *digna factis recipimus.* Hic autem quid fecit? O Adam quam serò in hæc verba prorupisti, modò primùm te inveni. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Ideo hora orationis est nona. Nonâ oravit, nam decimâ paradisum intravit. Propterea & non introibat claudus in templum, quia nondum usque ad decimam generationem venerat; sed Petrus ad eum: *In nomine*, inquit, *Iesu Christi, surge, & ambula.* Verè *vos estis montes ad quos levavi oculos meos, unde veniet auxilium mihi.* Sed *auxilium meum à Domino*; quia *in nomine Iesu Christi surge, & ambula.* In verbo Christi laxas rete, in verbo Christi Claudum levas, in verbo Christi solidantur bases ejus & plantæ.

Christo moriente tenebræ factæ sũt, ut in eis Adam delitescens, detegeretur.

Luc. 23.

Ibid.

Quæres, cur Claudus non intra templũ fuerit, sed ad portam? R. nondum erat hora decima.

Act. 3.

Psal. 121.

Quæ sunt bases ejus? fides & timor; & quæ plantæ? spes, & charitas. Ideò bene Petrus & Joannes simul ascendebant; quorum alter fidei, alter charitatis insigne ferebant. Ascendebant ad templum tuum, Domine, tecum simul [1] oraturi, ut ipsi tecum simul introeant in paradisum Sanctuarii tui, quia scissum est in morte tuâ velamentum, quod erat super faciem Moisi: sed nolunt introire soli, quia nec tu, Domine, solus paradisum introisti. Tu latronem, isti Claudum intro-

Quæ bases & plantæ claudi solidatæ sunt.

1. *Simul* deest in ed.

ducunt. Sed neque jam latro in paradiso est, neque Claudus in templo. Quomodo enim Claudus qui stat, & ambulat, & exilit, & Deum laudat? aut quomodo latro qui cum Christo in paradiso? non enim habitat juxta te malignus. Latro fuit [1] quia latebat ante confessionem, justus autem post orationem.

Luc. 23. 42. Expenditur latronis ad Christum deprecatio, fide spe, charitate, compunctione plena.

Quid enim oravit? *Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum.* O magna fides, o magna spes, o magna charitas! orat pro futuris, non pro præsentibus. Non vult de cruce deponi, sed in Christi regno reponi. Quid enim aliud est dicere, quam *Cupio dissolui, & esse cum Christo?* Nescio quid Paulus magis isto latrone cupierit: *Memento mei.* O *cor contritum, & humiliatum!* quid minus, vel humilius potuit orare, quam ut vel sui memor esset? *Memento mei.* Cujus mei? mei, inquam, tam indigni, tam peccatoris: *Iniquitatem meam ego agnosco, & peccatum meum contra me est*; confundor oculos meos ad te levare. *Tibi soli peccavi*, tu solus potes me à peccato meo mundare, *malum coram te feci*, cum me tibi celare volui. Latro sum animæ meæ, homicidium quod feci volui occultare, sed *malum coram te feci. Memento mei*, miserere mei, meritò in hanc miseriam deveni, qui tuam beatitudinem deserui. Dives eram, & eccè quam pauper effectus sum. De omni ligno paradisi poteram comedere, & delectari; & eccè crucior & morior in hoc ligno. *Memento mei.* Tui oblitus eram, sed tu *cum iratus fueris, misericordiæ memor eris. Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam.* Video in te magnam, & tuam, hoc

Philip. 1. 23. Eodem affectu, eadem postulat quæ Paulus.

Psal. 50.

Ibid.

Adam voce latronis se accusat.

Fundamentum nostræ de divina misericordia fiduciæ.

1. Ed. Fuerat quando.

est competentem tibi misericordiam, quæ te mihi ad mei consimilem condescendere fecit miseriam. Ego autem digna factis, tu vero quid fecisti? Video te mihi in pœna similem, quem in actu video tam dissimilem. Non potuisti me longius sequi, unde venisti? A summo cœlo egressus es. De utero virginis *specio-sus formâ præ filiis hominum processisti*, & mecum pendes in ligno? quis te adduxit? sola misericordia; secundum hanc *misericordiam miserere mei Deus*. Deus es, non tantùm homo. Deus es, ego homo, ego plasma tuum, quem fecisti ad imaginem & similitudinem tuam. Imaginis tuæ miserere Deus. Sed in quo agnoscam te misereri? in eo, quia imaginem meam in te video similem, & eandem mecum miseriam pati. Quid ergo restat nisi ut sperem? De tantâ misericordiâ, quis unquam [1] possit desperare? Ergo *memento mei, cum veneris in regnum tuum*. Vadis ad regnum tuum, implesti negotium tuum, ad hoc venisti, ut me reducas tecum. Psal. 44. Psal. 50. Luc. 23.

Tecum ire concupisco, & pro hoc amarissimam mortem non contremisco, nec erubesco. Quomodo enim contremiscerem, ubi te mecum quoque [2] pati viderem? Etiam *si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*. At quomodo erubescerem, quod te Dominum cœli portare viderem? qui enim te erubuerit, & tuos sermones, hunc tu erubesces, cum veneris in majestate tua, & Patris, & sanctorum Angelorum. *Qui non bajulat crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*: Hic est sermo

Patibulum latroni gratum supplicium, ob exemplū Christi secum in cruce pendentis.

Luc. 14.

1. Al. *potuit*.
2. Addit cod. *quoque pati*.

tuus. Qui hunc sermonem erubuerit, hunc tu erubesces; qui enim erubescit crucem tuam, erubescit gloriam tuam. *Mihi autē absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi.* Crux gloria tua est, crux imperium tuum est. Ecce imperium tuum super humerum tuum, portas crucem tuam, portas portantem te. Qui portat crucem tuam, portat gloriam tuam, qui gloriam tuam portat, portat te. Portantem autem te, tu portas super humerum tuum, quia imperium tuum super humerum tuum. Ergo qui te portant, imperium tuum sunt; in ipsis enim tu regnas, o maxime imperator. Sed quomodo, aut quò tu portas imperium tuum super humerum tuum? humerus tuus altus est, humerus tuus fortis est, humerus tuus pertingit usque ad Patris consessum super omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Illuc reducis ovem centesimam, illuc reducis ovem Joseph. Vade jam secura ovis Joseph, Christus te portat super humerum suum. Fortis est humerus ejus, noli timere. Altus est, noli ad ima respicere; quia *nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retrò, aptus est regno Dei.*

Gal. 6. 14.

portas crucem, portaris vicissim ab ipsâ & Christo.

Crux Christi, imperiū ejus super humerum ejus.

Christi quo portaris humerus altus est, ne ad ima respicias, fortis est, ne timeas.

Luc. 9. 62.

[1] Grave jugum super filios Adam à die nativitatis eorum, usque in diem reversionis in matrem omnium. Quamdiu sum filius veteris Adam, grave jugum porto: si essem filius novi Adam, leve jugum portarem. Quod est onus grave? *Talentum plumbi*; & quod est onus leve? crux Christi. Illud sicut scriptum est, *submergitur in aquis vehementibus*, istud enatat super aquas. Mira res. Nihil formidolosius homini quam crucem pati. Sed quare timent homines crucem? quia Latro.

Cupiditas ab Adamo jugum grave, at Dominica crux onus leve est, quod ab humeris tuis excutis, quia latro;

Exod. 15. 10.

1. Fœdus error erat in ed. *suave*.

nes sunt; si latrones non essent, crucem non timerent. Ergo qui timet, latro est: Quomodo, inquis, latro est? Audi Christum: *Vos autem*, inquit, *fecistis eam speluncam latronum*, hoc est, domum meam. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Faciunt ergo homines seipsos speluncam latronum, jugulant homines & trahunt in speluncam suam. Quod enim majus homicidium, quam ut seipsum interficiat homo? vel quod majus homicidium corpus occidere, an spiritum? O quoties homo spiritum [1] suum interficit, quot homicidia in semetipso perficit. Quoties voluntariè, & ex studio peccatum perpetrat, quid aliud quàm seipsum jugulat? *Omnis enim qui acceperit gladium, gladio peribit.* Gladius, animæ peccatum est, peccatum, animæ mors est. Qui hunc gladium [2] manu propriæ deliberationis accipit, hoc est acceptum habet & gratum, primus in se ipsum manum mittit, primus semetipsum interficit. *Gladius*, inquit, *eorum intret in corda ipsorum.* Nec satis est semel occidere, & quiescere, millies & millies crudeles manus in se convertunt, & *Veloces sunt pedes eorum ad effundendum sanguinem*, suum, *viri sanguinum & dolosi.* Quomodo dolosi? quia congerunt cadavera mortuorum in speluncam suam, & operiunt aggere, ne vel ipsi videant, vel ab aliis videantur, Nolunt ipsi videre, ne horrorem, vel putorem ingerant eis in faciem morticina fœtentia; nolunt videri, ne forte deprehensi, tanquam latrones & homicidæ ad horrenda pertrahantur supplicia. Quid autem in omnibus suppliciis tam horrendum quam

Mat. 21.

1. Cor. 3.

Quomodo non latro? qui proprio lateri insidiaris, animam configis, &c.

Mat. 26. 52.

Psal. 36. 19.

Psal. 13.

Qui congerit cadavera mortuorum in speluncam ut lateant, ne videantur.

1. Omittit ed. *suum*.
2. Cod. *Assensu* alterius vocis, *manu*, explicatio est.

Quare crux latronum sit horror, quæ justorum, Petri, Andreæ, &c. Gloria & lætitia est?

crux? Ideo timent crucem latrones, quia crux scelerum vindex est, crux impiorum pœna est, crux æqua lance judicat & remunerat, hinc nocentes, illinc innocentes. Ideo crux impiis formidolosa, piis autem super omnia ligna paradisi gratiosa; numquid enim Christus crucem timuit? numquid Petrus? numquid Andreas? immò & optavit. *Exultavit* enim *ut gigas ad currendam viam.* Et *desiderio*, inquit Christus, *desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Manducavit Pascha cum discipulis, manducavit Pascha cum passus est, quando transivit ex hoc mundo ad Patrem. *Ego*, inquit, *habeo cibum manducare, quem vos nescitis: meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei*; & voluntas Patris est, ut calicem ejus bibam.

Psal. 18.
Luc 22.
Maximè verò Christi, qui velut alter Noë in e moriens debriatur, soporatur.
Joan. 4.

Ergo in cruce manducavit, & bibit, & inebriatus est, & dormivit, & risit verenda ejus maledictus Cham. Filii autem reverentes altissimi soporis mysterium pallio contexerunt. *Immisit* quippe *Dominus soporem in Adam, & tulit unam de costis ejus, & ædificavit in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Manifesta res est, quia dormitavit & soporatus est Christus, & de latere ejus quotidie ædificatur, & pascitur, & nutritur Ecclesia, & adducitur à finibus terræ, ut assistat Regina a dextris ejus *in vestitu deaurato circumdata varietate.* In cruce ergo Pascha manducavit; quia ascendit in palmam, & collegit fructus ejus. *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad me.* Quæ omnia? cœlum, terram, & inferos. Traxit ad se patrem quia *clamor ejus introivit in conspectu ejus in aures ejus*, & *contremuit terra, & petræ scissæ sunt*; quia vocem filii Dei audie-

Gen. 2. 21.
Ex latere novi Adami in cruce soporati, trahitur Ecclesia, ædificatur.
Psal. 44.
Crucè effert, Christi convivantis mensa est, dormientis lectus.
Joan. 12. 31.
palma est.
Psal. 17. 7.
Mat. 27. 52.

sunt. Sic *mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus*, medius inter cœlum & terram Pascha manducabat, & fructus arboris undique colligebat, quos in corpus suum trajiciebat; quia confluebant omnia ad arborem vitæ, quæ erat in medio Paradisi. Restincta enim erat framea quæ viam intercluserat. Quis ergo amplius crucem timeat? Verè qui crucem timet, ipse sibi testis est, quod adhuc latro est. In cruce enim pendet omnis fructus vitæ, quia ipsa est *arbor vitæ, quæ est in medio Paradisi*. Ipsa est altitudo & latitudo, sublimitas & profundum; ipsa bonos colligit, & remunerat; ipsa malos disperdit, & condemnat; ipsa est mæstorum consolatio, esurientium refectio, perfectorum gloriatio. Circuire possum domine, cœlum & terram, mare & aridam, & nusquam te inveniam nisi in cruce; ibi dormis, ibi pascis, ibi cubas in meridie; crux enim tua fides est, cujus latitudo charitas, longitudo longanimitas, altitudo spes, profundum timor. In hac cruce te invenit, quicunque te invenit. In hac cruce anima suspenditur à terra, & dulcia poma de ligno vitæ decerpit. In hac cruce Domino suo adhærens dulciter decantat: *Susceptor meus es tu, gloria mea, & exaltans caput meum*. Nullus ergo te quærit, nullus te invenit, nisi crucifixus. O gloriosa crux, radicare in me, ut ascendam in te.

1. Tim. 2. 5.

Arbor vitæ.

Ejus solium, solumque ubi habeat locus.

Psal. 3. 4.



EXPOSITIO DECIMA.

ARGUMENTUM.

De loco Calvariæ ubi Christus crucifixus est: calvities paupertatem, &c. designat; plus satis culta & ponderosa cæsaries, cæcitatem, & gravitatem; hinc de crinibus Absalom, qui nomine Iudæ proditionem, capillorum vero pondere impœnitentiam, adumbrat, quam mors condigna secuta est.

SEd ubi crucifixerunt eum? in Calvariæ loco. Beatus verè locus in quo figitur crux, bona calvities, quæ tali fronde vestitur. Ad hanc Calvitiem Elisæus ascendebat, *Ascende Calve, ascende Calve.* Vide, si non calvus est & noster Eliseus. *Filius*, inquit, *hominis non habet, ubi caput suum reclinet.* Ecce quam calvus est, qui non habet, ubi caput suum reclinet; Calvus est; quia *regnum* ejus *non est de hoc mundo*, Calvus est noster Eliseus, quia discipuli ejus, *relicto eo omnes fugerunt.* Quid enim discipuli, nisi capilli capitis, qui omnes numerati sunt? Ergo in Calvariæ loco vexillum crucis erigitur. *Pro eo*, inquit, *quod ambularunt filiæ Sion extento collo, & nutibus oculorum, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion.* Decalvet Dominus *verticem capilli perambulantium in delictis suis*, decalvet, inquam, verticem filiarum Sion, & faciat tibi Calvariæ locum, ut

Nihil deest. 4. R. 2. Luc. 9. Ioan. 18. Mat. 26. Capilli Christi, bona temporalia, & discipuli. Isa. 3. Psal. 67. 22. Dilatatũ calvitium, locus quo crux figatur aptissimus. Mich. 1.

ibi figatur gloria Christi crux, ubi sedem sibi superbia locaverat. *Dilata*, inquit, *calvitium tuum sicut aquila*. Aquila perspicuo sole fruitur; sic [1] animę Calvities quantò dilatatur, tantò se purius in eam vera lux infundit; qui autem sibi comam nutriunt cæcitatis & gravitatis sibi damnationem acquirunt.

Propterea lucis hujus beatæ perdidit visionem Absalom, quia gravabat eum cæsaries, & non nisi semel in anno tondebatur, & crines suos ponderabat ducentis siclis pondere publico; unde & eodem crine suspensus ad arborem interiit. Absalon *patris pax* ipse est & Judas, & quicumque in pace est amaritudo amarissima. *Ave Rabbi*, voce & osculo patri pacem ferebat. Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant: *Homo*, inquit, *pacis meæ in quo sperabam, qui edebat panes meos &c.* Unus est, & multi sunt. Ecce Absalon, ecce Judas, ecce corpus satanę. Sed quomodo comam nutriebat? fur erat, & loculos habebat; ista eum cæsaries gravabat, & semel in anno tonsus est, quando semel retulit triginta argenteos, & projecit eos in templo, quos ponderavit ducentis siclis, qui numerus immundorum est, & hoc pondere publico, non pondere sanctuarii. Pœnitentiâ enim ductus peccatum suum valde ponderavit. *Peccavi, tradens sanguinem justum.* Singula verba plena sunt ponderibus, sed pondere publico, non pondere sanctuarii; quia plus erubuit infamiam, quam conscientiam, plus sui nequitiam, quam Dei misericordiam ponderavit. Audi pondus sanctuarii: *Peccavi, malum coram te feci, dele iniquitatem meam.*

2. R. c. 17. 18.
Nomine suo Absalom pax simulata patris, ita & Judas osculo suo.
Mat. 28.
Psal. 40. 10.
Quæ fuerit Judæ Cæsaries.
Mat. 27. 4.
Psal. 50.

[1] MS. Non habet. *Decaluata*. Ideoque omisimus.

Qui culpam suam ponderavit, pondere publico, infamiæ quæ consequebatur, &c. non pondere sanctuarii, divinæ misericordiæ, &c. unde impenitens.

Gen. 4. 13.

Hinc iniquitatem meam ego agnosco, illinc misericordiam tuam magnam attendo: *Miserere mei Deus.* Audi & pondus publicum. Major est, ait, Caïn, *iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Retulit ergò triginta argenteos, & projecit eos in templo. Vide quantum magni pendebat eos, non projecit eos in sterquilino, sed in templo; nimirum talibus semper diis templum suum devoverat: avaritia enim simulachrorum servitus est, & avaritia excæcat oculos sapientium.

Denarios templo, seipsum laqueo addixit.

Ecce infelix qualiter excæcatus est, maluit seipsum perdere, quam denarios perire; denarios templo, seipsum loqueo addixit: amabat heredes suos, qui eosdem denarios exinde colligerent, qui etiam [1] nunc reservant eos in suam Corbonam. Projecit eos in templo [2] ubi possent inveniri & abiens laqueo se suspendit. Jam quidem diu [3] erat, quod à Christo abjerat, & avaritię laqueo se suspenderat, sed quod fecerat in occulto, palàm omnibus innotuit, [4] (exterioris pœnę qualitas supplicii modum aperuit: quia, per quæ peccaverit homo per hæc & punietur.) *Suspensus crepuit medius*, plenus erat venter, & ruptus est uter; *crepuit medius.* Ubi sedes erat satanæ; [5] Crepuit ergo vas contumeliæ, quia non erat de vasis figuli, quę probantur in fornace. Propter quod in agro figuli in sepulturâ pere-

Crepuitque medius.

1. Cod. addit optimè *nunc*, ut denotet Judæos proditoris hæredes.

2. Adjicimus ex MS. *ubi possent inveniri*, ut opponat perditioni propriæ, cujus nihil curabat Judas, vide statim supra.

3. *Erat* lectio melior ex cod.

4. Exterioris, &c. parent. cruciata fugiunt à cod. eaque etiam adventitia judico.

5. Sic MS. *Crepuit vas contumeliæ, non enim erat de vasis figuli quæ probat fornax.*

grinorum

grinorum ſortem non habuit; ſed velut teſta crepitans per inane diſſiliit. Et *diffuſa ſunt omnia* quæ male [1] congregaverat *viſcera ejus*. Pecuniæ enim viſcera ſunt avari; illa diffunduntur & perduntur, ſed viri miſericordiæ colliguntur. Pendet adhuc de arbore Judas, & Abſalon per comam capitis, & mulus cui ſederat, pertranſit: *Nolite fieri ſicut equus & mulus*, quia *mundus tranſit & concupiſcentia ejus*. Crinis Abſalon quo ſuſpenditur, radix omnium malorum avaritia eſt; ubi hæc radicaverit, omnium malorum cæſaries abundabit. Mulus verò ex equo & aſino mixtus, eſt duplex animus, qui foris oſtentat, quod intus non ſervat. Talis erat Judas, talis Abſalon. Foris pietas, intus malitia, duplex eſt iniquitas, equus manifeſte tumet, aſinus ſimpliciter ambulat, mulus nequam & [2] ſubdolus incautum præcipitat.

Pecuniæ, avari viſcera.

Adhortatio qua nos ab avaritia deterret, & hypocriſi.

1 Auget Ms. *quæ malè congregaverat.*
2. Al. *ſubdoloſus.*

EXPOSITIO UNDECIMA.

ARGUMENTUM.

Poſtulat introduci, per latus Chriſti, per fidem, ad ejus viſionem & ſpeciem, lanceamque, quâ ſacrum illud latus confoſſum eſt, in prædicationis ſymbolum aſſumens, multa loquitur de David à lanceâ Saul prætermiſſo, idque egregiè ſatis.

APeri nobis, Domine, aperi nobis ostium lateris tui, quod est in arca tua, ut introducas nos cum mundis & immundis, *septena, & septena*: Tu es enim verus Noë, quem solum invenit Deus pater tuus justum coram se. *Hic est*, inquit, *filius meus dilectus in quo mihi benè complacui*. Tu cognoscis oves tuas, & illæ te cognoscunt: quæ sunt *animalia munda septena, & septena*; quia septiformi gratia & operibus lucis sabbatum ex sabbato adepti, jam digni sunt octavæ [1] adscribi, qui numerus tantùm in arca salvatus est. Introduc [2] ergò nos ad te per ostium lateris tui, quod est fides Ecclesiæ, & claude ostium à foris donec pertranseat iniquitas, & cessante diluvio iterum aperias nobis ostium, non jam fidei, sed [3] spei. Interim tamen & fenestra est in arca per quam dilectus mittit manum suam, & excitat columbam suam: *Surge*, inquiens, *amica mea, sponsa mea, columba mea, & veni*. At cum evolat post te, ut apprehendat te, tu effugis, & *ascendis super Cherubim, & super pennas ventorum*, ut non inveniat pes columbæ tuæ solidum quid de te, ubi requiescat, nisi iterum ad arcam tuam revertatur, & tu manu apprehensam iterùm in tuam [4] mansiun-

Gen. 7.

Mat. 17. 5.

Latus Christi ostium est quo ad ipsum introducimur.

Ezech. 40.

Cant. 2.

Psal. 17.

1. Al. *Conscribi*. Octava beatudinis typus est apud patres passim.
2. Ed. *introduc & nos*.
3. *Sed spei*. Ita & eod. legendum tamen censeo, *speciei* locus desumitur ex d. Greg. ho. 17. in Ezech. *In cognitione omnipotentis Dei*, inquit, *primum ostium nostrum fides est, secundum vero species illius ad quam per fidem ambulando pervenimus*. &c. *ostium ergo contra ostium est: quia per aditum fidei, aperitur aditus visionis Dei*, hoc est, *speciei*. vel *spei*. ejus scilicet rei quam speramus.
4. Ed. *in suâ mansiunculâ*.

culam reponas. [1] Tutius est enim in porticu fidei interim præstolari; & requiescere quàm te nimis & frustra insequendo in aquas diluvii intransmeabiles decidere, & submergi. Aquæ enim, quæ à dextro latere templi effluunt, mille passus mensuratæ usque ad talos veniunt, & post alios mille passus usque ad genua, & iterum post alios mille usque ad renes ascendunt; post alios autem mille in tantum crescit, & intumescit fluvius, ut transvadari non possit, sed oporteat retro potius redire ad solidum ripæ. Ez. 47. 3. & seq.
(Quid [2] verò per talos, nisi fides, cui quasi fundamento totum corpus innititur? Et quid per genua, nisi operis tolerantia? Et quid per renes, nisi fraterna charitas exprimitur? Huc usque mensuras nostræ mortalitatis fas est procedere, sed qui scrutandæ mortalitatis profundum altius sequi tentaverit, opprimetur à gloria.) Egregia sacra explicatio. Ideo sancta animalia ibant & revertebantur; ideo [3] & columba, cum non inveniret, ubi pes ejus requiesceret, ad arcam reversa est. At verò corvus semel emissus nescit reverti, quia non simplici oculo prosequens [4] vanitatis diluvio interceptus est; & meritò, quid enim columbæ & corvo? Quid candidæ & nigro? Quid Judæ & Joanni? Quid Christo & Belial? Et tamen Christus inter Judam & Joannem medius sedet; inter electum, & reprobum latronem medius pendet, & Noë inter corvum, & columbam; sed corvus semel

1. Ed. *Melius* nostram lectionem cod. Sanvict. probat.
2. *Quid verò per talos* ablus verbis usque; *ideo sancta* desunt in ed.
3. Ed. *Columba quoque.*
4. Al. *Oculo mundum insequens.*

emissus non est reversus, quia Judas egressus, in aera [1] suspensus est.

Sed quid est, o Domine, quod unus ex militibus lancea [2] latus tuum aperuit? & quis est nisi forte ille, qui tunicam tuam inconsutilem [3] sorte accepit (ipsa est nimirum unitas fidelium quæ tibi soli militat, [4]) cujus lancea cunctis credentibus latus tuum aperuit. Quid enim per lanceam, nisi subtilem prædicationis sermonem accipimus, per quem scilicet mysterium fidei populis credentium reseratur? *Vivus est* enim *sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Ergo sermo Dei & gladius est, & lancea. Gladio cominus, lancea longè feritur: quia veniens annunciavit pacem iis, qui propè, & iis qui longè erant: *Filii autem tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent.* His lancea latus Christi aperuit. Hæc est illa lancea quam Habacuc Propheta fulgurantem hastam appellat; hasta, fulgura in pluviam fecit, hoc est, miracula in acceptionem sermonis. Sed exteriora miracula in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus; quia fidelibus ipsa interius hasta luce sapientiæ fulgurans pro miraculo est: credentium enim

Qui Christi tunicam inconsutilé accepit, is latus ejus aperuit.

Heb. 4. 12.

Isai. 60. 4.

Lancea latus confodiens, prædicatio est.

Habac. 3. v. 11.

1. Impr. *Submersus.*
2. Quod edit. notabat deesse, supplemus.
3. Al *forte*: Mat. 27. 35. *Super vestem meam miserunt fortem.*
4. *Cujus lancea*, indicat parentesis quantum noster MS. hanc expositionem purgaverit, ornaverit: sic enim legebatur. *Sed quid est Domine quod unus ex militibus? nisi, forte ille qui tunicam inconsutilem forte? accepit? ipsa est enim unitas fidelium quæ tibi soli militat, cujus lancea prædicationis latus tuum aperuit. Vivus est enim sermo Dei, & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti. Hæc est illa lancea quam Habacuc Propheta fulgurantem hastam nominat. Hanc hastam cum urceo aquæ tulit David à capite Sauli inimici sui dormientis: quia superbis, & negligentibus sermo sapientiæ simul cum gratiâ substrahitur.*

subtilis intelligentia hasta fulgurans est; quia per latus Christi penetrat usque ad interiora velaminis. Hanc hastam & urceum aquæ tulit David de capite Saulis dormientis : quia superbis, & invidis, & negligentibus intellectus simul & gratia substrahitur. Fuse ea Historia describitur. 1. R. c. 26.

Sed dormientem filius Sarviæ confodere voluit semel, ut secundò non opus esset, nisi David benignè prohibuisset; quia peccatorem pigrum & contemnentem, nisi misericors Dei patientia sustineret, gladius satanæ semel, hoc est, in æternum interficeret : vult enim improbus satan, ut *qui dormit, non adjiciat, ut resurgat.* Psal. 40. v. 10. At verò misericors David de longinquo vertice sæpius inclamat; Ibid. *Nonne respondebis Abner :* retribuis enim peccatori bona pro malis mitissimè David, & admones, & expectas diutius, ut respondeat tibi unum pro mille; illis autem vox improba videtur : quia inquietum eorum somnum inquietas. *Quis es tu*, inquit, *qui clamas, & inquietas regem?* Ibid. Rex enim impiorum superbia *in umbra dormit, in secreto calami, in locis humentibus, & protegunt umbra umbram ejus.* Iob. 40. v. 16. Ipse est Abner qui protegebat Saul. 1. R. 26. *Cur*, inquit, *inquietas regem? ab* [1] *increpatione tua, Domine, dormitaverunt qui ascenderunt equos;* Psal. 75. v. 7. nec evigilare vult eos auriga ipsorum donec præcipites ruant in profundum. Attamen aliquandò & superbum cor compungitur ad vocem David, sed non usque ad

1. *Ab increpatione*, &c. hîc & deinceps ad in finem, verbis ordinem, sententiis sensum reddidimus ex collatione MS. & edit. Qui plura voluerit, consulat editionem D. Mabillonii sæpius laudatam, à pag. 325. ad pag. 330. tom. 5. Nostri quippe non est instituti jam acta, agere.

Vix superbus ad correctionem usque evigilatur, compungitur.

correctionem. Flectitur humillimis sermonibus Saul, dicente David: *Quem persequeris rex Israël, quem persequeris? canem mortuum & pulicem unum, sicut perdix in montibus?* Quid enim Christus, & membra ejus nisi canis mortuus à superbis reputatur? & revera canis mortuus est, quia latrando contra Pharisæorum, & impiorum tenebras occisus est. Latrant adhuc & membra ejus contra lupos vespertinos; & mortui sunt mundo, ut vivant Christo: Ideò mundus eos odit & despicit; quia de mundo ipsi non sunt: *Sicut*, inquit, *pulicem unum persequitur perdix in montibus*. Pulex parvulus, & mordet, & salit: sic humilis justus carnalium vitam remordet confidenter, & salit in montibus, ubi tutissimum habet refugium, ut non timeat perdicem adulteram, quæ Joannem baptistam interfecit.

Vide Not. ad finem pag. præcedent.

EXPOSITIO DUODECIMA.

ARGUMENTUM.

De quatuor generibus hominum castra Christi sequentium: rogat ut deinceps ea sequatur festinantius, sarcinâ peccatorum suorum depositâ.

PIger sum, Domine, & tardus ad movenda castra, & ad sequendum tabernaculi tui ducatum: quia in parte aquilonis castrametatus sum,

& tamen novissimi moventur qui gradiuntur in exercitu tuo. Primi quidem sunt in acie tua, qui ad orientalem plagam tentoria fixerunt, quibus scilicet semper quasi novus oritur sol justitiç, ut renovetur de die in diem, & transeant de gloria in gloriam; quos è vestigio sequuntur qui ad meridianam tetenderunt, quorum desideria flagrant, & assiduè aspiciunt ad amorem tuum; post quos ad occidentalem plagam positi in quibus peccata quotidiè occidunt. Novissimi omnium qui ad septentrionem, qui frigore rigentes vix ad sequendum alios vestigia movent. Sed hæ quatuor divisiones singulç habent ternas tribus, in quibus & perfecti & mediocres, & infirmi considerari possunt. Inter illos denique novissimos & torpentes, utinam me novissimum omnium & minimum tua castra recipiant, ut post omnes alios strenuè procedentes tua signa, Domine, vel curvatus sequar. Quid enim me æstimem inter alios, nisi cadaver mortuum, qui exercitum tuum meis fœtoribus corrumpo? Sed utinam me saltem latrunculi in sepulchrum Helisæi projiciant; quia, si ossa illius me contingerent, statim vivus exurgerem, & in exercitum tuum, Domine sabaoth, festinus percurrerem. Quid enim latrunculos nisi peccata mea dixerim, quæ me tibi, immo meipsum mihi furata sunt, & suffocatum velut cadaver exanime projecerunt? Et utinam saltem metu peccatorum meorum projectus sim in sepulchrum veri Helisæi, qui propter me decalvatus est, ut habear, & reputer abjectissimus inter omnes qui in domo ejus sunt; forsitan respiceret humilitatem & abjectionem meam, & ossi-

Nota Divi Bernardi humilitatem.

4. r. c. 13. v. 21.

bus virtutum suarum tangeret morticina mea, & continuò vivus exurgerem.

EXPOSITIO DECIMA TERTIA.

ARGUMENTUM.

Virtutis nomen non meretur, misericordiæ, sapientiæ, patientiæ, quod malâ intentione peractum est.

Psal. 84. v. 14. DEus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti: Sicut ignis & cera. Quid est superbia, nisi rota quæ à posterioribus surgens semper in anteriora cadit? Superbi ergò ut rota ponuntur, quia quantò se in transitoriis elevant, tanto seipsos ab æternis præcipitant: Superbi, ut rota. *Et sicut stipulam ante faciem venti.* Quid per stipulam, quæ fructu superiori privata inferius semper arescit, & à vento circumfertur, nisi inanis gloriâ? Quæ cum in terra aruerit propter abjectionem temporalium; in cœlo tamen non habet mercedem operum suorum, quoniam vento elationis rapitur assiduè. Sed post eadem stipula in silvam convertitur; quia quando per inanem gloriam sua projecit, ad aliena concupiscenda per avaritiam redit. Et meritò per silvam significatur avaritiâ, qui locus est dæmonum, quemque insatiabilis concupiscentiæ semper ignis comburit. Unde scriptum est: *Ierunt ligna ut inungerent super se regem, & dixerunt olivæ: impera nobis, &c.* Quid per olivam, nisi impia in-

Ii, atque avari, ut silva.

Iudic. 9. 8.

MS. copia.

tentione fructus misericordiæ; & sæpe avari & superbi, qui sunt ligna silvarum, opera misericordiæ faciunt non pia intentione, sed ut laudentur ab hominibus, vel à Deo plura in hoc mundo recipiant. Nonnè isti quasi dicere videntur: *oliva impera nobis*, sed oliva non regnat super eos, quia affectus misericordiæ inter ligna silvarum vento vanitatis non vult commoveri. De talibus qui *mentiuntur opus olivæ*, dicit Apostolus: *Si dedero omnes facultates meas, &c.* Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Jerunt ad ficum, & dixerunt: impera nobis. Non possum, ait, *deserere dulcedinem meam, & inter ligna moveri:* Ficus est sermo sapientiæ, cum dulcedine charitatis. Habent sæpè superbi, vel avari non fructum, sed folia ficus. Quis enim malus, non benè vult loqui? Sed non habent super se regem ficum, qui dicunt, & non faciunt. Non enim *colligunt de spinis uvas, nec de tribulis ficus.* Tribuli sunt qui vestes Christi scindunt: quia per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda simplicium, de quibus: *Si linguis*, inquit, *Angelorum loquar; charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans aut* cimbalum tinniens. Et *dixerunt viti:* impera nobis. *Non possum*, inquit, *deserere* vinum meum *quod lætificat Deum & homines, & inter ligna coetera moveri.* Quid per vitem, quæ tanto labore excolitur, & putatur, & foditur, nisi martyrium, cujus uva premitur in torculari, antequam possit in vinum eliquari? Denique multi reprobi quasi pro nomine Christi multa patiuntur, sed extrema eorum non in vinum, sed in acina exprimitur. De quibus *si tradidero*, inquit, *corpus meum, ita ut ardeam*,

Oliva, misericordia non movetur inter ea silvarum ligna, nec vult in regem ungi.

Habac. 3. 17.
1. Cor. 13. 3. & seq.

Nec ficus, sermo videlicet sapientiæ.

Mat. 7. 16.

1. Cor. supra.

Neque vitis: patientia, ipsumque Martyrium.

charitatem autem non habuero nihil mihi prodest. Oliva ergo pinguedinem misericordiæ, ficus dulcedinem charitatis, vitis habet spiritale gaudium, quorum nominibus vitia se volunt protegere. Quem ergo regem sibi fecerunt ligna silvarum? rampnum, id est, peccatum suum, qui primum lenis, sed post in spinas vertitur. Et de ramno exit ignis, & devorat habitatores Sichem. Hic est *ignis qui comburit silvam, & sicut flamma comburens montes: superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* De rota transit in stipulam, de stipula in silvam, de silva in montem: similiter & spina, quæ comes est iniquitatis, semper augetur. Nam stipula vento rapitur, silva igne, mons flamma comburitur, ut tenebrosi montes, & in malitia consummati, & intus ponantur ut clibanus, & foris flamma gehennæ crucientur.

At ramnus, peccatum, &c.

Psal. 82. v. 15.

Psal. 73. v. 23.

Nota quibus gradibus superbia reproborum ascendat ad culpam, descendatque ad pœnam.





EXPOSITIONUM MORALIUM PARS ALTERA.

EXPOSITIONES SPECULATIVÆ.

EXPOSITIO PRIMA.

ARGUMENTUM.

Docet, nè in fortitudine suâ roboretur vir, nè præsumat, ne intumescat, vel easdem experietur calamitates atque Samson.

SAmson Nazaræus donum fortitudinis, quæ in septem crinibus continebatur, à Deo consecutus, devotionem sanctitatis quam semel Deo voverat in consecratione cæsariei, & observantiis Nazaræorum Deo reservabat. Quis autem Nazaræi morem ignoret? Ad mortuum non accedere, id est, mortuis operibus non communicare: quia, *qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea*, & vinum & siceram, & omne quod inebriare potest non bibere: Quia *væ coronæ ebriorum*

Ex lib. judic. à c. 14. & deinceps.

vide lib. num. c. 6. Eccl. 13. 1. Isa. 28.

Ephraim, & flori decidenti: Quia caduca amplectentes Dei obliviscuntur. Postquam autem præsumens de fortitudine in amplexus Dalilæ cœpit mollescere, id est, vanæ gloriæ de laude sanctitatis suæ animum inclinare, quis finis eum exceperit, jam palam est. Quamdiu enim dona interioris gratiæ meretrici non revelavit, & noxios funes facilè, ut confidebat, abrupit, nec quælibet eum cum ligatura tenere potuit. Sic diu meretricem sapienter eludebat; & beatus, si veritatem, nec illecebris, nec multo tædio affectus ei prodidisset. Sciendum enim quosdam justos esse, qui, & blandientem plerumque, vanam gloriam à se non abjiciunt, sed celata interiori fortitudine quæ est ex virilis propositi intentione, ei per quædam levia exterius illudunt. Incolumi enim interiore virtute intentionis abscunditæ fraudes vel illecebras mulieris blandientis parvipendunt; quod si adeò decipiuntur, ut blandientem gloriam ad interiora admittant, & de gratia diu occultata gloriam quærant, dum securi in amplexibus meritricis improbæ dormiunt, damna diu suspensa miserabiliter incurrunt. Gratia enim quæ per septiformem spiritum intus increverat, & sanctarum cogitationum cæsaries quæ in sacrificio Dei debebat reponi, ex quo idololatriæ laudis sunt expositi, in potestatem hostium reciderunt; qui benè Philistæi dicuntur, id est, cadentes potione, quia frustra vinum & siceram vitaverat, quem amor laudis debriabat: quia nemo remanet, ubi cecidit, nisi per pœnitentiam prius resurgat. Etiam luminibus privatur, & ad molam deputatur, ut jam ignoret quid boni faciat, & labori sæculari implicetur.

MS Novitios.

Cauti qui vanæ gloriæ volunt illudere.

Peccasti, in deteriora laberis, ni statim te pœniteat.

Sed nec tales plerumque gratia Dei relinquit, sed miseretur tenebris & carceri damnatorum, dum pœnitentiam eorum recipit, & dum suboriri in mente ipsorum novellas bonę intentionis cogitationes, quasi cęsariem capitis, perpendit. Deesse videtur aliquid.

EXPOSITIO SECUNDA.

ARGUMENTUM.

Prælati privatim corripiendi: nec superbis stercora blasphemiarum velut Eglon in correctorem evomentibus, parcendum; secùs humilibus peccatum, ceu David, confitentibus.

PRopter peccata populi regnare facit hipocritam. Iob. 34. 30. Sic filii Israël qui peccaverunt Domino, servierunt Eglon regi Moabitarũ decem & octo annis. Iudic. c. 3. à v. 12. ad 25. Totidem annis, & illa mulier Evangelica detenta fuerat in infirmitate sua, sed completo numero legis, & Evangelii, & mulieri sanitas, & filiis Israël libertas restituta est. Suscitatur ambidexter Aod filius Iera, hoc est, ruminationis, Vulg. gera. filii gemini, id est, dexteræ. Verè dux inclitus, qui & ore verbum Dei ruminat, & utraque manu pro dextera fortiter operatur. Unde & sicam fecit sibi ex utraque parte ancipitem, qua feriret pinguedinem superbiæ extollentem se super Israël Dei. Quo ordine facienda correptio, superbis, prælatis. Sed vide quam sagaci industria tyrannum aggressus est. Priùs in munera, postea sicam protulit; sic protervis rectoribus fortes viri saga-

nimirum per dolorem pœnitentiæ, & continuam ad Deum intentionem amissæ virtutis gratia revocatur: asinus autem comes est in itinere; quia stultitia non recedit ab intentione: unde pater puellæ eum aliquandiu secum retinere laborat, ut maneret in abscondito, ubi Pater videt, & videtur; sed varia mens spreto sapientiæ consilio redire, & exire ad publicum festinat, cui dum appropinquat Gabaon, sol incipit occumbere; quia dum stultorum contubernio familiarem se exhibet à luce veritatis incipit cœcutire: Vnde cum, hospitium reperire non posset, in stultis enim & vanis auditoribus non habet verbum Dei ubi caput suum reclinet, voluit in platea manere, ubi solent lapides sanctuarij colligi, non spargi. Sed hunc vir de monte Effraim rediens de agro corripit, & secum in domo retinuit: quia prudentes in doctrina viri stultorum arrogantiam reprimunt, & domi, hoc est, secum in tecto silentij residere compellunt. Viri autem civitatis filij Belial insanientes nimia libidine, non puellam, sed juvenem ad nefarium scelus violenter repetunt; quia mentes inanis gloriæ luxuria inflammatæ, cum sacræ scripturæ studiis importunè se ingerunt, non virgineos amplexus sapientiæ, sed junenilis impudicitiæ implere libidinem sitiunt. Ij sunt, de quibus in Evangelio: *Nolite*, inquit, *sanctum dare canibus*, *& projicere margaritas ante porcos*, ne conversi dirumpant vos, sicut & idem Gabaonitæ postea filios Israel bis diruperunt. Cum verò tota nocte concubina illius fuissent abusi, manè ad ostium jacens mortua reperitur: quia sępè scripturæ sacræ

Ad interpretes sermonem dirigit.

In stultis auditoribus verbum Dei non habet ubi caput reclinet.

Mat. 7. 6.

træ ſpecies tandiu à perverſorum ſententiis deluditur, donec oſtium intelligentiæ aperire volentibus, quaſi jacens & mortua conſpicitur. Tum vero miſerabilis adoleſcens mortuam eſſe intelligens, triſtis eam aſino ſuperimpoſuit, domumque deferens in duodecim fruſta diviſit, & miſit eam duodecim tribubus Iſraël. Quid eſt autem mortuam aſino ſuperimponere, niſi ſtultitiæ ſuæ, extinctionem virtutis imputare? Et quid eſt domum deferre, & in duodecim fruſta dividere, niſi in occulto ſui cordis fidem ſuam pertractare, & ad perfectum Apoſtolicæ ſanctionis numerum conformare? Ad ſingulas verò tribus Iſraël ſingulas partes mittere, eſt perfectis ſingulorum fidelium ſenſibus ſingulas ſuæ mentis Sectas manifeſtare? Tum verò contra impudicos corruptores gravi diſtrictione itum eſt Nec ab re eſt, quod filij Benjamin, id eſt, dexteræ nuncupantur; quia literarum exercitationem bellicoſi utraque manu veros Iſraëlitas expugnare conantur. Bis ante eos cœſi & in fugam verſi ſunt filij Iſraël, hoc eſt, ſpiritus ſui virtute confidentes, de impiorum nece non triumphaverunt. Ipſi namque etiam ſanæ fidei defenſores, quamvis pietatis cauſam agere videantur; tamen quandiu meritorum ſuorum, vel ſcientiæ conſcientia gloriantur, etiam ante reproborum faciem cadunt, & ſuperantur: at ubi nihil de ſe præſumenres ſancto Spiritui ſe commiſerunt, mox in fugam vertuntur adverſarij, & ſuccenſis eorum munitionibus, utriuſque Teſtamenti gladijs, utrinque confoſſi digna ſtrage diſpereunt. Jurant quoque filij Iſraël, non daturos amplius filias ſuas, id eſt, ſpiritales

Mel. Sententias.

De tribu Benjamin erànt ij petulantes, qui concubina fuerant abuſi: unde filii Iſraël, reliquæ videlicet tribus, bis de mandato Domini eam tribum ſunt aggreſſi, qui tamen ſuccubuere: verùm tertia vice res evenit felicius hoſtes in fugam verſi. cur autem ſic evenerit rationem affert allegor.

ſententias tam nefandis hominibus, niſi fortè per pœnitentiam converſi & compuncti regnum cælorum violenter rapiant: propterea dicebat David: *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

EXPOSITIO QUARTA.

ARGUMENTUM.

Docet quo ſpiritu, & uſu Sententias ſcripturæ, ceu ſpicas à meſſoribus Auguſtino &c. relictas colligere debeamus.

Lect. 19. Octob 21. N. 22. & Dentr. 24. N. 2.

RVth Moabitis, anima peccatrix, quæ ſecuta eſt nurum ſuam, Eccleſiam: de regione tenebrarum venit in Judæam confeſſionis terram; ibi in agro Booz, id eſt, in ſcriptura ſancta colligit ſpicas, quæ meſſorum manus fugiunt, quaſdam ſcilicet ſententiolas à magnis Doctoribus intactas, quas lex præcipit permanere in cibum viduæ, pupilli & advenæ, ſequens poſt terga metentum, ne in ſuis intellectibus a doctrina aberret Catholica. Meſſores magiſtri ſunt Auguſtinus, Hieronymus, Gregorius, & ceteri tales, qui de ſcriptura magnos expoſitionum manipulos collegerunt, ex quibus quaſdam nobis ſcintillulas in ſcriptis ſuis reliquerunt, ut, & de ſpicis quæ colligimus, & de iis quæ intelligimus, tempore famis hujus ruminet, & vivat anima noſtra; intingat quoque buccellam ſuam in aceto amaritudinis comedens cum puellis Chriſti, id eſt, per humilitatem ſe reputans

inter minimos, qui sunt in Ecclesia: neque amplius debet in alieno agro metere, id est, sæcularibus se studiis immergere, qui semel se Christianæ devovit disciplinæ: deinde messem suam virga, id est, subtili discretione excutiens invenit tres modios, id est, tres intellectus secundùm mensuram donationis Christi. In ipsa autem nocte, hoc est, ipsa consideratione superventuræ mortis, dum ventilat aream suam verus Booz, *tempus est enim, ut incipiat judicium in domo Dei*, Lavatur ipsa Ruht, & ungitur, & cultioribus induitur vestimentis, iuxta illud. *Lavabo per singulas noctes lectum meum*; & *myrra & gutta & casia à vestimentis tuis*. &c. ut *Christi bonus odor* fieret: Et sic à parte pedum discooperiens pallium, & mysterio Incarnationis propinquitatem Christi sentiens, sub eodem se protegi pallio deprecatur. Nondum enim adhuc pervenit ad conjugium, ubi dicatur ei à Christo. *Soror mea sponsa*, nisi prius alius qui propinquior videbatur, liberum scilicet arbitrium sub testimonio legis discalcietur: quia nemo suis viribus, sed tantum gratia Dei liberatur.

De his tribus sacræ scripturæ sensibus vide Bernard. ser. 13 in cant. & ser 92. de div.

Ps. 50.

Psal. 44.

2. Cor. 2. v. 15.

Cant. 4.

FINIS.



DE SEQUENTI PARABOLA.

Consequebatur in eodem codice expositiones morales; verum non esse Bernardi suadent inter alia, versus rythmici in fine adhibiti, præter Bern. morem voces barbaræ usurpatæ : Contectalis, assaltus, &c. *devota tamen & digna luce, ceu quædam paraphrasis, Parab. Bernardianæ, ad cujus formam confecta videtur. 5. constat partibus 1. Bene instituitur filius 2. nihilominus aberrat 3. revocatur 4. redit 5. excipitur.*

1. pars optima filij institutio à patre.

REx quidam dives & præpotens, id est Deus, quo nihil ditius, nihil potentius, filium habuit, hominem scilicet, aquis baptismi regeneratum, in filium adoptatum, cui mediam dedit hereditatem, quando eum ad suam creavit imaginem; totam repromittens, si devote ei serviret; ita ut gloria immortalitatis, & plena ipsius cognitione eum ditaret, quod totum est, & pia expectatio sanctorum. Paradisum ei deputavit ad inhabitandum, id est, præsentem Ecclesiam, quæ est hortus deliciarum, cujus Sacramentis & spiritualibus deliciis reficeretur. *Fructus autem spiritus, charitas, gaudium, pax &c.* (Gal 5. 22.) Custodes & pedagogos, quia puer erat, ei providit, id est, prælatos Ecclesiæ, a quibus verbo informaretur & exemplo. A ligno scientiæ boni

& mali eum prohibuit, id eſt, à tranſgreſſione mandatorum Dei; ne propriâ abutens voluntate, incurreret crimen inobedientiæ; quod erat guſtaſſe de ligno ſcientiæ boni & mali, cum diſceret per experientiam quid intereſſet inter bonum obedientiæ, quod deſeruiſſet, & malum inobedientiæ quod incurriſſet. Sed antiquus ſerpens minus providum blandè & ſeductoriè ad cibum vetitum coegit; ut ſcilicet violata mediocritate ſuâ, quâ Deo ſubeſſe, & creaturis debebat præeſſe, Dei mandata rejiceret, & propriæ amator excellentiæ in diaboli conformitatem evolaret

Coegit pro. compulit, induxit.

Inſolens itaque & laſcivus, à Deo recedens & à ſeipſo, quem interius colere deberet, per feneſtras mortis, & per portas ſuæ civitatis elatus, apertis concupiſcentiæ oculis, exteriora cœpit ambire, & in eis delectari, & delectando evagari per campos licentiæ, per ſilvas luxuriæ, per colles altitudinis, per valles cupidinis, per pelagus diverſarum tempeſtatum, per anfractus cogitationum noxiarum, per bivia, per trivia multiplicium errorum. Dum ſic evagatur & diſcurrit, ſeductor nequam ad miſerum æternaliter captivandum laqueos componit; velantur oculi interiores, ne penſet aut videat, unde & quò venerit; os confeſſionis clauditur, ne reclamet ad patrem; injectis vinculis affectuum ſtringitur manus bonorum operum, nè diſſolvantur nodi iniquitatum; pedes, id eſt, animæ affectiones, ne bona velint, vel ad bona ſe extendant, compedibus ferreis innodantur. Confringitur ſpina dorſi, id eſt, rectitudo rationis, ut dormiat, nec exugat à mortuis, immerſa carna-

2 Deficit, fugit à patrie.

nalibus desideriis. Sic gravatus somno malæ delectationis, imponitur navi malæ securitatis, & flante vehementer vento malæ adulationis, peregrè traducitur in regionem dissimilitudinis. Tandem serviturus exponitur spiritibus immundis, fornicationi, superbiæ, iræ & cæteris. Clausus in ergastulo fame consumitur, terram comedit, siliquas porcorum desiderat, quærit in circuitu, ambulat cum impiis, cogitur molere pro emolumento malæ conscientiæ. Jacet tandem immemor & oblitus sui circumdatusque felle & labore non sentit, inebriatus est absyntho, sentes delicias esse computat.

Vide Luc. 15. parabo. de fil. prodigo.

3 Pater revocatur missis legatis

Sed ille præpotens ac piissimus pater quid agit? quare non subvenit filio? sed dicet aliquis; nescit quid evenerit; nihil est, omnia novit, omnia penetrat ejus sapientia. *Pertingens à fine usque ad finem fortiter.* Iterum aliquis: omnia quidem novit, sed non curat, dimittens eum sibi secundum desideria cordis ipsius. Sed nihil est: disponens enim disponit de eo omnia suaviter. Descendunt quippe nuntij ad eum à patre, id est, frequentes cogitationes, tum per præterita, tum per præsentia, eum de salute sua sollicitantes movent, sed non promovent. Adest timor austerus & importabilis orator, sævit in miserum, nec parcit verbis & verberibus, æternam corporis & animæ mortèm districtissime comminatur. Miser ille dum nimis urgetur præ dolore, & immoderatæ confusionis erubescentia mallet non esse, & fixis in terram oculis faciem & caput non audet, vel potest attollere, saturatus dolore & miseria. Dolor ejus ita vehemens, ut miser ille jam tabesceret

Sap. 8. 1. *Nihil est*, pro *minita est*.

Timore.

per lacrymas diræ amaritudinis, citò casurus, absorbente eum tristitia, in foveam vicinæ desperationis. Sed ecce, Deo miserante, secundus adest nuntius, Spes scilicet, virtus benignæ consolationis, quæ plurimùm valet in necessitatibus tempore afflictionis. Hæc pro more sub dilatato pietatis affectu & sinu, sicut decuit, miseriæ & laboribus herilis filij condoluit: aggravabant enim miseriam fœtor & turpitudo loci, squallor in facie, deformitas in veste, timor urgens immoderatè, afflictio in vinculis & fame, & cætera gemitu magis explicanda, quam lingua. Accedens igitur ad puerum, pœnalem & durum timorem cum multa objurgatione reprimendo, imprimis ne vel in modico læderet ægrotantem, voce & manu satis officiosè eum demulsit. Ne timeas, inquit, frater, confortare & esto robustus, spera in Deo, & solventur peccata tua, *sicut glacies in sereno.* Speciosa Dei misericordia in tribulationis tempore, quasi *nubes pluviæ in tempore siccitatis.* Quis enim speravit in eo, & confusus est? Quis invocavit & despexit illum? Mercenarij in domo Patris tui abundant panibus, tu autem hic fame peris? Peccasti, quiesce: qui eras aversus, convertere. Protector est Deus exquirentibus se in veritate. His, & hujusmodi tanquam olei unctione, vel alligatura salutari piè refocillatus apertis oculis, capite erecto, qua potuit infirmitatis voce, nec non & spei alacritate respondit: Miser ego summæ reus majestatis quid feci? quid commerui? cur vitam prodigam tenui? cur ad vitam latam declinavi? Quo adveniam? acceptet Deus, & audiat: peccare

Spe.

Eccli. 3. 17.
Plena consolatione spei alloquia.
Eccli. 35. 26.

Forte *viam.*

ultra non adjiciam, & utinam merear fieri mercenarius, cujus non ſum dignus vocari filius. Ecce converſio. Ad hæc ſpes hilarior reddita, quæſitæ converſationis opportunitatem benè cauta præripuit, & puero adhuc infirmo, adhuc impotenti, equum deſiderij, quo portaretur ad patriam, exhibuit. Nec indignus equo apparatus defuit: ſtatus ſcilicet mundæ voluntatis ſella compunctionis & ſtramenta devotionis.

Deſiderio.

Aſcendens currit, ſanctorum exemplis pro calcaribus utitur, præcedit timor, ſpes ſequitur; ecce fuga. Currenti, quæ virtutum mater eſt, obviat diſcretio. Hanc ſequendo vigorem ſuum virtutes obtinent. Hæc eſt illa contectalis Angelorum, & ſummi Patris domeſtica. Hæc aſſignat Deum quærentibus cauſas & modos, & tempora. Hæc audita viæ cauſâ cœptum iter approbat. Curre frater, curre, inquit, felicius, ſis modeſtus, in te nihil præceps agat impetus: rupes enim præruptę & confragoſæ valles, paludes, ligna & lapides lapſum parant incautè currentibus: damus tibi aurigam, & comitem temperantiam, quæ currentibus equis retardet vehementiam. Ad pellendam verò timoris moleſtiam adeſt fortitudo per campos diſcurrens fiduciæ, clamans nudato gladio lætitiæ: *Cadent à latere tuo mille, & à dextris tuis decem millia: ad te autem non appropinquabunt.* Delegata etiam pro conductu quam ſequatur prudentia aſſignatur iuſtitia, quæ per viam eam conducat regiam, ne caſu ad ſiniſtram declinet vel dexteram. Nota ordinem. Timor pungit, ſpes accendit, deſiderium rapit, temperantia regit, fortitudo protegit, prudentia inſtruit, juſtitia

4. Pars. Redit equo deſiderii vectus.

Contectalis ſub eodem tecto, eâ voce & uſus Ditmarus lib. 2. pag. 15. & l. 3 pag. 29. vide Cangium in gloſar. vbi contendit perperam apud Vghellum legi *Antectalis* pro, *Contectalis.*

Cui ſic equitanti obviant prudentia, temperantia, fortitudo, iuſticia.

Pſal. 90. v. 7.

præcedentiũ recapitulatio

conducit. Habens itaque hujuſmodi laterales & præviοs, jam non timens à tergo Pharaonis exercitum, tandem venit ad locum munitum, ad Clauſtralis ſcilicet ſolitudinis deſertum.

Regina igitur civitatis ſapientia, quæ circuit dignos ſe quærens, & venienti gaudens occurrit: Præoccupat eos qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe prior oſtendat, & amplexata puerum introduxit eum in palatium, in quo erant deambulatoria cum ſeptem columnis exciſa, & divinę contemplationis reclinatorium profundiſſimo humilitatis vallo, quod pręterfluunt aquæ Spiritus ſancti, pręcluſum turribus, id eſt, Chriſti & ſuorum factis inſignibus, & propugnaculis, id eſt, ſcripturę moralitatibus communitum: ibi ſedet, ibi regnat ſapientia, ibi plena imago cœleſtis Hieruſalem, ibi omnia bene diſpoſita. Puer introductus dum ſedens quieſcit in lectulo ſecurus, tanquam curſu conſummato. Hoſtes aſſunt, aſſaltum faciunt, tela volant, tria maximè; phantaſię cogitationum, nebulæ affectionum, paſſiones deſideriorum. Contra hæc dicebat Propheta: *Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum, neque urgeat ſuper me puteus os ſuum.* Timet puer: Timenti dicitur: *Fili accingere, & præpara animam tuam ad tentationem.* Duo tibi incumbunt: Pugna, & victoria. Paratus quippe equus ad diem belli: Deus autem ſalutem dabit. Hoc audito, virtutes animantur ad prælium, habent clypeos & armaturam fortium. Pugnat & reſiſtit puer, ſicut, & quantùm poteſt; ſed aliquando ſubtractâ gratiâ ſibi derelictus ferè rapitur ab hoſtibus. Hoc clauſtrales, hoc boni ſentiunt. In hoc articulo datur conſilium, & com-

5. pars. Excipitur à ſapientia.

Aſſaltum faciunt pro inſurgunt ut vim inferant: vide Gangii gloſſar. ver. *Adſultus* gallicè *aſsaut.*

Pſal. 68. 16.
Eccl. 1. 1.

mune eſt deſiderium, ut mittatur ad patrem oratio ſupplicativa pro puero Accepto ergo fidei equo, de ſuo prodiens abſcondito, tranſvolat
Pſal. 150. 2. Cherubin, & Seraphin, & dirigitur *Sicut incenſum in conſpectu Domini*. Cauſam portat ſibi creditam peroratrix egregia; lingua ſilet, ſed loquuntur fletus & ſuſpiria. Sic movetur iudex ſummus, cui omne cor loquitur, & cui dignius filii conveniat ereptio, perquiritur. Audit cœlo digna, vera Dei ſponſa, & virtutum magiſtra charitas:
Iſa. 6. 8. *Ecce ego mitte me*, inquit, uterino non deerit filio materna pietas. Vade, ait pater, tu revera digna es hoc negotio. Unde puer corruit, tuo revehatur præſidio. Ecce charitas ſecum trahit virtutum militiam: deſperantes jam reſpirant, reſumunt audaciam, cives gaudent, hoſtes dolent:
Verſus ut ut Rythmici. inſtant illi, cedunt iſti; manus enim pugnat Domini. In congreſſu tam fœlici vincunt boni, detruncantur allophili. Victor laudans patrem filius odas ſoluit lætitię, mox aſcendit jam ſecurus de palma victorię.



PARABOLA.

ARGUMENTUM.

Salutare colloquium veritatem inter, justitiam & misericordiam, de statuenda humani generis reparatione: quod quidem explicatius habes serm. in fest. Annunciationis. Sequebatur in cod. precedentem Parabolam.

FActum est in cœlo colloquium ante tribunal pacis, quod superat omnem sensum, inter misericordiam, & veritatem, & justitiam. Primo ergo locuta est misericordia veritati de reparatione generis humani, habens in persuasione pium esse & utile, misero homini per se non valenti resurgere, misericorditer condescendere. Ad quam veritas; hoc nequit fieri, mihi enim contraria essem, quia dixi homini *maledicta terra in opere tuo*. Ad quam misericordia; terram quidem maledixisti in opere Adæ. At si novus posset fieri homo, cui nihil de Adam perveniret, per quem posset fieri redemptio? Ad hęc veritas: vanitas quidem est, & homo, & Angelus; si ergò novuus homo crearetur majorem non haberem in eo fiduciam, quam in Protoplasto; undè nec hominem, nec Angelum ad redemptionem faciendam reor esse idoneum. Dixit autem misericordia: facienda est pro me redemptio; quia autem nequit fieri per vanitatem, tu quæ veritas es, quæ ita mihi adjuncta es, quod pio

Ex Psal. 84

Gen. 3. 17.

Tum Angelus, tùm homo incapaces, qui pro peccato satisfaciant.

affectui meo nequis deesse, visita mecum miserum hominem, reprime diaboli tyrannidem, qui tuum seducendo hominem in te injuriosè egit. Respondit veritas: verè tibi deesse nequeo; quia nec tu aliquid à me posses exigere, cui non possem adesse. Audiens ergo justitia veritatem consensisse misericordiæ, ait: tu quidem veritas facies quod libuerit, sed scias, quia in nullo tibi
Mat. 5. 26. parcam, immò quidquid exigendum est, *usque ad novissimum quadrantem* à te exigam. Cui veritas: volo quidem ut exigas: Quia ero *obediens usque*
Phil. 2. 8. *ad mortem, mortem autem crucis.* Nihil habens ad hoc justitia quod posset hiscere, obmutuit, & utrique Dominæ consensit. Videns ergo pax à throno suo inter illas inestimabilem factam esse concordiam, cum summa admiratione occurrens justitiæ, osculata est eam. Assensu itaque omnium misericordia veritatem ad terram adduxit, & *sic*
Psal. 84. *veritas de terra orta est*, id est, de utero virginis.
Osea. 13. v. 15. Undè in Osee *adducet Dominus ventum de deserto* qui exsiccabit venas mortis. Cum autem ad passionem ventum est, ubi se obedientem exhibuit, *veritas*, quantum promisit *de cælo prospexit*. Respiret ergo miser homo; quia Dominus dabit be-
Psal. 84. nignitatem, benignè faciens *in bona voluntate*
Psal. 50. *sua, ut ædificentur muri Hierusalem*; nec tamen torpeat; quia dabitur benignitas secundùm quod *terra nostra dabit fructum suum.*

Pulchræ ex expositiones absunt à sermone prælaudato, jam edit.



DE SEQUENTI PARABOLA.

PRodit ea altera Parabola *de monacho negotiatore, & Christo emptore*, ex cod. MS. ejusdem majoris nostri conventus Parisini *an. circ. 350, num. 29. cum duobus tsade Hebraicis litteris.* Qui quidem codex multa Divi Bernardi opera complectitur, ut alia sileam, diversæ à cæteris censuræ atque ordinis. *Commentaria in Cantica canticorum* in tres partitur libros. Primus viginti tres sermones continet, quos capitula vocat. Secundus, 47. Tertius 14, nempè ad finem usque. Desunt duo ultimi, quorum locum occupat *Gilleberti continuatio*, autoris nomine prætermisso. Donat Bernardo *librum de amore*, certum *Guillelmi S. Theodorici Abbatis* fœtum, quem unit ejusdem autoris operi, *de natura & dignitate amoris. Sermonem in festo exaltationis sanctæ crucis*, cujus initium: *De virga Iesse devenimus ad virgam crucis*, Bernardo tribuit, qui inter opera B. *Petri Damiani* reperitur impressus. Tandem istam Parabolam quasi à Divo Bernardo profert, quam subsequuntur duę aliæ jam editæ 1. *Inter Hierusalem & Babiloniam.* 2. *Rex dives & præpotens*, à quibus sanè toto cœlo differt. An esset *Nicolai Clarevallensis*? locum habet in codice statim ab ejus sermone in festo S. *Nicolai Myrensis*, qui & extat apud Bernardum inter spuria tom. 5. Eo ab edit. discrimine est in meâ schedâ, quod ab iis tantũ incipiat verbis: *Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam ac-* *Luc. 19.*

cipere sibi regnum & reverti ; & ait servis suis : negotiamini dum venio. Securè negotiabor, praci-
Psal. 70. *piente* Domino *meo, nec timebo Psalmistam dicentem: quia non cognovi, &c.* Superiora verò omnia succidat : idque debitè factum puto ; geminus enim sermo in unum coaluit. Vidên alteram partem sancti præconiis omnino addictam, ab his verbis exordii : *Nicolaus iste meus, immò & vester. &c.* ad eam transitionem : *Verumtamen ne tergiversationes inducere videar, &c.* alteram vero nihil de eo dicere amplius. An prima pars Nicolai esset concio ; ultima, Bernardi eo ipso die in Evangelium discursus ?

PARABOLA.

Simile est regnum cœlorum monacho negotiatori, qui audiens proximarum nundinarum opinionem sarcinas suas disposuit in foro exponendas, quas octonario numero evehens, obvium habuit Dominum Jesum Christum qui strenuitatem & industriam aspiciens: Unde, inquit, & quò monachus à monasterio ad nundinas res quæris vendere, si emptorem inveneris? Verum ex mercibus tuis mihi explica primam M.
Mat. 5. 3. Nec sapientiam tuam latet mercium harum pre-
1. Beatitudo. ciositas, nec me latet ad emendum tua omnipotens facultas. Prima igitur hæc sarcina vide quid habeat. Tu dixisti : *Beati pauperes spiritu.* Hæc itaque nihil habet nisi paupertates, & miserias, paupertatum, & miseriarum angustias. *D.* Papæ, quorsùm ista? *M.* Cophinus stercoris multùm valet ad radicem arboris. D. Placet quod dicis. Prima igitur hæc merces quale præmium

desiderat ? M. Regnum cœlorum. *D.* grande pretium, sed non rem, quin potius debemus pensa- 2.
re rei effectum. Admove secundam, quid justius *Ioh.* 28. 15.
habet ? *M.* Mansuetudinem : *Beati* quippe *mites.*
D. Præclara res & Deo digna mansuetudo. Cujus pretii ? *M. Non dabitur aurum obrysum pro ea, nec appendetur argentum pro commutatione ejus*, sed terram requiro, non nisi terram habere desidero pro ea. *D.* Ab India usque in Britanniam *num.* 13. 33.
terra spaciosa est, & cultoribus indiget, accipe quantùm vis, ubi vis. *M.* Nequaquam, hæc terra est morientium, *devorat habitatores suos*, mo- *Mat. sup.*
riuntur in ea homines, ego vero terram viventium desidero : *Credo* enim *videre bona Domini* 3.
in terra viventium. D. Quantum perpendo invitus moreris, vivere vis in æternum : Ecce, *Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram.* Tertia quid
continet ? *M.* Esuriem, famem, sitim, & om- *Mat. ibid.*
nium rerum penuriam. *D.* Ad comparandum hoc preciosum quale æstimabitur pretium ? *M.* Justitia : *Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. D.* Saturaberis ergo, &
perveniet tibi justitia, si non intercesserit negli- 4.
gentia. Quarta quid continet ? *M.* Lachymas,
fletus, ploratus, irriguum superius & irriguum *Ibid.*
inferius. *D.* Luctus & fletus non solent emi,
sed redimi ; tamen quia, & hæc pretium deside- 5.
rant : *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.* Quintus ille sacculus quid habet ? *M.* Rem pretiosam, misericordiam, quam quia tibi placere perpendo, nec te protraham : pro misericordia, volo misericordiam ; sed pro temporali, *Ibid.*
æternam. *D.* Non es bonus rerum arbiter, pro temporalibus enim nunquid accipies æterna, nisi

pro te ageret ipsa misericordia, tamen fiat tibi secundum fidem: tuam: Et, *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Sed jam paupertatibus & fletibus, & ærumnis & miseriis

6. abundamus Revolve sextam, si quid fortè melius continet *M.* Melius planè, sed hoc non amat publicum, nec in publico, sed in secreto, intus, in cubili videbitur, ibique pretium ejus taxabitur. *D.* Eia intus sumus, quidnam est modo? *M.* Munditia cordis; hinc pretiosa illa vasa aurea & argentea continentur, pietas, charitas, gaudium in Spiritu Sancto. Hinc pretiosa illa pallia tibi explicabuntur, lectiones, orationes, meditationes, contemplationes: *Iudicia Domini vera justificata in semetipsa: desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multùm, & dulciora super mel & favum. Etenim servus tuus custodit ea. D. In custodiendis illis retributio multa.* Pete igitur quid vis? M. Visionem Dei. D. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

> Vel, *ac pretio ejus taxabitur.* in cod. enim non pretium sed *deprecatio* legitur.

> *Psal.* 18

> *Mat. suprà.*

7. Evolve septimam. *M.* Præsto est, pacem continet. *D.* pacem tu mihi venditurus es? *M.* Non meæ expedit paupertati, nec tuæ justitię competit, ut gratis à me aliquid accipias; sed jam omnibus, te largiente, abundo & superabundo; unde quod deest mihi, suppleri deposco. Homo sum rusticus & ignobilis, de luto factus, de limo terræ compactus, tędet me ignobilitatis meæ, nolo mihi ulterius imperari: *Terra es, & in terram ibis*; quin potius volo dici mihi: cœlum es, & in cœlum ibis, sortem filiorum Dei desidero. Filius Dei esse concupisco. *D.* Dixi, nec diffiteor: *Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur.* Si igitur filiorum servas charitatem, habebis hæreditatem

> Forsan *imperari.* *Gen.* 2.

> *Mat. suprà.*

tatem. Jam ultima restat sarcina, explica eam. *M.* Non habet, nisi persecutiones, & tribulationes pro justitia. *D.* Et quid pro iis exigis? *M.* Regnum cœlorum. D. jam pro præmio, vel pretio paupertatis istud tibi concessi. *M.* Utique, sed mensis ex mense, sabbatum ex sabbato arrhas desidero pręsenti sabbato vel mense; quod residuum est, expecto. *D.* Miror in negotiando prudentiam tuam, & nunc: *Euge serve bone & fidelis quia supra pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam intra in gaudium Domini tui*; *labores manuum tuarum quia manducabis beatus es, & bene tibi erit.*

Matt. 25.

Psal. 127.

Sed quid est? Ecce alterum negotiatorem res venales referentem, sed non nisi quatuor sarcinas habentem, videtur mihi similis *Homini negotiatori quærenti bonas margaritas. M.* Sic est: unus est de multitudine hominum quibus sufficit hoc quod vivant. Negotiator hic tenuis substantiæ, monachus tepidę obedientiæ non habitat nisi in loco campestri cum multitudine illa copiosa *à Iudæa & Maritima, & Tyri & Sidonis*, nec ascendere desiderat cum Apostolis in montem Domini, nec stare in loco sancto ejus, nec audire sapientiam de octo beatitudinibus disputantem: sufficit ei quod audit in campestribus, quod commune habet cum multitudine, & cum eis qui veniunt ut curentur à languoribus suis: nescit enim mansuetudinem, ignorat misericordiam, nec famam potuit audire pacis illius, *quæ exuperat omnem sensum*, paupertatem habet spiritus, id est humilitatem fidei, luctum pœnitentiæ, esuriem justitiæ, & in his omnibus usque ad persecutiones & mortis angustias constantiam &

Matt. 13.

Luc. 6. 17.

Alludit ad numerū beatitudinum; Matheus octo recenset, lucas tantùm quatuor; videsis interpretes iis locis.

Philip. 4. 7.

Hiatum suspicor hic, & in seq.

perseverentiam in iis vivere, & sine iis vivere non potest. Docuit enim meũ Lucas Sirus ille medicus, qui sicut medicus scit quid ei expediat, nec revelavit divitias & delitias, medicavit meus Telonearius Mathæus sedens in Telonio, id est, lucris hujus mundi deditus, & negotiorum horum magister & doctor constitutus. *D.* Eia talium est
Iob. 3. regnum cœlorum, sicut enim dicit *Iob* : *Et parvus, & magnus ibi sunt.* Paupertati ergo spiritus debetur regnum cœlorum, lugentibus consolatio, famelicis justitiæ saturitas, perseverantibus in tribulatione merces in cœlis copiosa. Sed dic quæso, o negotiator meus, ubi negotiatus es? Ubi hoc lucratus es? Ubi hæc acquisisti? *M.* In monasterio, sub claustrali disciplina; ibi horum negotiorum locus, horum lucrorum facultas. *D.* O fœlicem loci illius mansionem, at esto Apostolus fratrum tuorum, dic illis ex me, ne delectet eos à claustro monasterii illius sæpius, & longius exire, vel evagari ubi tantam habent copiam & facultatem lucrandi.

AD SEQVENTEM TRACTATVM de Corpore Domini.

IN ejusdem majoris Augustiniani conventus codice num. 195. sequens tractatus eum ostentat titulum : *Incipit quidam tractatus beati Bernardi de corpore Domini :* Atque in fine : *Explicit liber beati Bernardi de corpore Domini.* Fides sit penes codicem, in quo notatu dignum est
Idem reperi in cod. Navar. meditationes Divi Bernardi nomine evulgatas ad decimum quartum caput se tantùm extendere,

iisque finire verbis : *Quantoque Deum plus amabit , tantò propius videbit , quem cernere finis est sine fine.* Edit. verò sic habent : T*antò propius videbit quem cernere cupit , &c.* Idem codex ministrat mihi librum Isidori Hispalensis , *de norma vivendi* longè auctiorem sub titulo : *Formula honesta vita.* Sed de his aliàs.

TRACTATUS BEATI BERNARDI
DE CORPORE DOMINI.

Misericordias Dei recolentes gratias agamus ei qui per *Viscera misericordiæ suæ visitavit nos oriens ex alto.* Nam si, quod absit, ingrati extiterimus ei qui propter se fecit nos , & propter sese redemit nos , tanquàm servi inutiles projiciemur de domo, & velut infructuosa arbor evellemur de terra sanctorum. Abhorrentes ergo omnèm ingratitudinem quia filii gratiæ sumus, videamus charitatem supereffluentem , misericordiam superabundantem quam quotidiè peccatoribus exhibet illa majestas. Putaris quod semel venerit ad vos Deus, quòd & reliquerit vos, quod semel visitaverit terram , & ultra non respexerit eam ? Numquid abbreviata est manus Dei , aut virtus ejus infirmata est, aut oblitus est misereri Deus , ut qui semel innotuit , nunc jam ex toto recesserit. Nequaquam ? *Ecce ego* , inquit , *vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Veri-

Luc. 1. 78.

Mat. 28. 20.

tas est quæ loquitur, & veritatem loquitur, nec te fallit, o homo, qui multum te diligit, nec à te falli vult. Hoc totum pro te facit.

Ipse nobiscum vult permanere, ut nos cum eo simus; immò non sumus, ita ut nobis vere dicere possit: *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognovistis me: Philippe, &c.* Ideo dicit: *filii hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Ecce quotidie venit ad nos ipse humilis apparens, nec reputamus eum: quotidiè descendit de sinu patris super altare in manibus sacerdotis, & nescimus eum: quotidiè humiliat se, sicut quando à regalibus sedibus venit in uterum virginis, & nos obdurati non consideramus, o homo credis hunc esse filium Dei? utique credo, & confiteor. Et quomodo non totus deficis, non totus expavescis, non totus contremiscis, quando ille quem tremunt angeli, & omnis cœlicus ordo adorat, quotidie se abjiciat, quotidie se humiliet pro te terra, & cinere. Suspectum te habeo, ne voce solummodo confitearis, quod in corde non habes, & operibus contradicis. Etenim si non credis, jam judicatus es: Si verò credis ut dicis, & ita irreverenter agis ad tam magnificum Sacramentum stultus es, superbissimus es, & invenitur, *iniquitas tua ad odium.* Ipse enim dicit: *Qui manducat carnem meam, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo.* Quomodo in eo manes quem iniquis operibus inhonoras, & pravis moribus exacerbas, qui vere sanctus est, & in eo non nisi sanctum manere potest? Aut quomodo manet in te superbo, qui non nisi *Super*

Joan. 14. 6. Psal. 4. 3. Psal. 35. 3. Joan. 55. v. 57. Isai. 66. v. 2.

humilem & quietum requiescit? Si ergo non manet in te, non manducas carnem ejus, nec ejus sanguinem bibis: si autem non manducas, salvari omninò non potes, ipso dicente: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem non habebitis vitam in vobis.* Ioan. 6. 54.

Vis ergo manducare carnem filii hominis ut habeas vitam æternam. Ut dignus sis, recollige ea quę pro te passus est, & assidua recordatione memoriæ tuę commenda passiones animæ, & corporis necessitates, revolve per singula omnia usque ad mortem crucis; sic exhibe suo exemplo & imitatione, corpus & animam tuam, *Hostiam viventem, sanctam, sibi placentem*, ut te totum exhibeas ei sacrificium acceptabile in odorem suavitatis, sicut ipse se totum in tua redemptione expendit. Ultimò verò crede firmiter, absque omni mentis scrupulo sanctum panem, & sanctum vinum super altare secundùm formam sanctæ Ecclesiæ verum suum effici corpus & sanguinem in manu Sacerdotis, & digna cum reverentia sume ipsum cum timore sancto, conscientia bona, charitate pura, & fide non ficta: Recolens quod sicut sanctis Apostolis apparuit in vera carne, ita & modò se nobis ostendit in sancto pane, & sicut ipsi intuitu carnis suæ tantùm ejus carnem videbant, sed Deum credebant oculis spiritualibus contemplantes; sic & nos videntes panem & vinum credamus esse ejus corpus & sanguinem, & vivum esse & verum.

Quid agere debeat, qui dignè vult ad Eucharistiam accedere.

Rom. 12. v. 1.

1. Cor. 6.

Ideo enim, ideo apparuit divina benignitas in humanitate, ut homo humilis appareat gloriosus in divinitate. Scimus enim quod cum

Videtur aliquid deesse.

apparuerit similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est per gloriam suam quæ plenissima, sufficientissima, & abundantissima est æternaliter in omnibus qui diligunt eum in veritate. Ipsi soli honor & gloria in Spiritu sancto. Amen.

Ms. gratiam.

Explicit liber Beati Bernardi de Corpore Domini.





S. BERNARDI CLAREVALLENSIS ABBATIS.

LIBER DE LAUDIBUS VIRGINIS.

DISSERTATIO

Quâ asseritur S. Bernardo Clarevallensi sequens tractatus, ejusque secundus Hymnus S. Casimiro Poloniæ Duci abjudicatur.

Biblioteca regia sequentis operis me locupletem fecit, cod. num. 1524. quod quidem ad laudem beatissimæ Virginis, devotionemque ejus in dies magis magisque propagandam omnibus Christianis summâ animi mei lætitiâ communicô. In fronte MS. nomen Bernardi inscribitur : scribebatur verò ab an. 1123. teste Amanvensi ad an circiter. 1131. *A captivitate*, inquit, *Troiæ usque ad passionem Domini supputatis Olympiadibus sunt*

anni. 1214. *Ab Incarnatione verò, non à Passione Domini usque nunc, sunt anni* 1123. vitæ S. Bernardi 33. Deinde catalogum Regum Franciæ seriatim, per genealogiasque contexens, in fine addit. *Henricus Rex genuit Philippum regem, & Hugonem magnum. Philippus genuit Huldovicum modernum Regem. Huldovicus genuit Philippum, qui ante ipsum mortuus est. Huldovicus frater ejus ei subrogatus est. Huldovicus gen.* ibi hæret. Junior dictus, Remis consecratus an. 1131. quo tempore Bernardus agebat an. circiter. 40. natus an. 1091. Datâ codicis, librique sequentis ætate certa, jam de Authore dissera-mus.

A sæculo undecimo ad duodecimum summorum virorum par excelluit, quibus *Bernardi* nomen fuit appellatio: Ambo monachi; alter *Cluniacensis*, de quo jam mentionem in præfatione nostrâ ad exposit.morales S. Bernardi; alter *Cisterciensis*, ac demum Clarevallensis Abbas: Ambo Poëseos conscriptione satis insignes, minùs quidem fortè elegantis, at piè quàm plurimùm. Suspensum me facit epigraphe paulò obscurior, uter hujus libri dicendus sit author. Favere videretur *Cluniacensi*, dignitatis silentium, titulique Abbatis oblivio; nisi reperire id frequentissimum esset in vetustissimis codicibus etiam genuina S. Bernardi Clarevallensis opera referentibus. Quodve totius ponderis est: nisi in versibus pietas, gravitas in sententiis sacræ scripturæ testimoniis passim intertextis, in beatissimam Virginem Mariam lactea filialisque devotio, cæteraque multa quæ Divi Bernardi doctrinam geniumque redolent, eum hujus partus conclama-

rent editorem. Confer indubitata ſancti Docto-ris Poëmata, & utrobique nardum Bernardi odorabis; verſus noſtri ſapphyci in hymno decimo octavo, iis longè elegantiores ſunt quos officio ſancti Victoris adhibuit; quippe regularum artis obſervantiores. Cur ſtrictæ orationi eò loci ſeſe non alligaverit, rationem affert ep. 312. Inde tamen evinco, hujus odæ cum Bernardi indole convenientiam, quem ejuſmodi ſapphycis metris, vel eo exemplo conſtat fuiſſe delectatum, ſicut exametris, idque genus aliis præſertim juvenili ætate. Vide *Petrum Berengarium in Apolog. pro Abaillardo*; *à quo*, *&* *ejus rei culpatur*; quàm inſulsè, judex eſto *D. Carolum de Visch in Bibliotheca Ciſtercienſi.* Ex quibus Poëmatis, ſi omnia quæ circumferuntur, ab ejus venâ profluxerint, nolim definire.

Ejus operis meminerunt, quantùm aſſequor, inſcii tamen idem *Carolus de Viſch ſupra laudatus Franciſcus Coſterus*, *Gavantus*, *tom.* 2. *Theſauri ſect.* 5. *c.* 4. dum Hymnum: *Ave maris ſtella*, cujus etiamnùm author quæritur, vide *Dyon. Carthuſ. in ſuis comment. ad hymnos*, Bernardo conceſſerunt. Ex vario ſitu hujus vocis, *ſtella*, opinor deceptos. Non ille quidem hymnulus deſignabatur, quem nec diligentiſſimus, *D. Mabillon.* ſancti operibus, vel incertis, admiſcrit; ſed præſens de quo jam quæſtio libellus, non, *Ave maris ſtella*, ſed, *Ave ſtella maris*; voce tranſpoſitâ, ceu *Stella maris* à veteribus nuncupatus: eâ nempè ratione, quòd hymni ab his verbis incœpti, *Hymn.* 16. &c. quibuſdam in codicibus cæteros anteirent: ſæpe namque à primâ voce libris nomen inditum

est. Vel certè quod iis in precibus frequentissimè Deipara virgo sub *Stella* typico compellatur, invoceturque vocabulo. Vide Hymn. 1. *Stellam maris, ne vincaris*, Hym. 4. princ. *Salutaris Stella maris*; & ad med. *maris stella interpella*; & in fin. *maris Stella de procella*. Hymn. 6. *maris Stella Dei cella*; Hym. 9. *Stella maris quæ præclaris.* Hymn. 11. *Stella maris quæ ignaris*; Hym. 13. *Stella maris quæ testaris*; & in ejusdem fine; *maris Stella, sic compella*; Hym. 15. *maris Stella, seda bella*; Hym. 18. *O salutaris virgo, Stella maris*; præcipuè vero Hymn. 16. cujus initium; *Stella maris singularis* & statim; *Stella maris summi patris, &c.* In quo observabis obiter rythmum circa med. *O Maria dulcis, pia, nobis fer auxilium*, & confer quod narrat *Chron. spire. l.* 12. Bernardum Hymno: *Salve Regina*, addidisse, *O clemens, o pia, o dulcis virgo Maria*. Annon quantùm rythmi patiebatur harmonia, eadem verba, aut saltem idem planè sensus atque affectus repetitur, reperiturque.

Verùm, ut de Bernardi opere ex ipso Bernardo judicemus: scrutemur num concordes cum eorum carminum diversis motibus in ejus vitâ reperire sit eventus; eodemque tramite tempus quo ea cudere potuerit, perquiramus. Conversionis suæ incunabulis, quibus ætatis necdum erat provectioris, eoque scribendi genere sese oblectabat impensissimè, plerasque ex iis odas cecinisse, cum ex suffragio Petri Berengarii supra, tùm ex eo quo pertractant argumento facilè deducimus; sic Hymnus, sivè ode 1. 34. 9. 10. sunt animi ad cordis munditiem, summumque perfectionis apicem contendentis: Plurimas

in ſacræ ſcripturæ lectione exercitatio. Hymnus 8. quàm ſublimia de canticis canticorum exponit! Alias Paulò poſt cæleſtem eam ſuavemque viſionem pueri Jeſu Matriſque ejus in Nativitatis nocte, de quâ *Guillelmus S. Theodorici c. 2. vita S. Bernardi.* Tanti myſterii teneritudine flagrans, quæ hic ſtrictâ oratione condidit, latiori poſtmodùm uberiorique ſtilo in ſuis quatuor *Super miſſus eſt* homiliis effuſurus. Illud eximium opus his cantilenis præludebat: penè namque ſimiles mentis conceptus, cordiſque anhelitus & æſtus, in utroque demireris: Hym. 5. init. 6. pręſertim verò Hym. 11. quo devotiſſimè, doctiſſimeque omnis myſterii Incarnationis explicatur œconomia, cæteriſque his odis, quibus B. V. mediatrix hominum, Angelorum regina, Dei filia, ſponſa, parens pronuntiatur: Nonnullas propinquis, fratribus, patre necdum converſis. Vide quam enixè divinam pro eis exoret clementiam. Hymn. 8.

Pro meorum propinquorum
Te ſalute poſtulo,
Vt lætentur, & ſalventur
Ex omni periculo

Et Hym. 10.

Noxas dele parentelæ, &c.

Reliquas tandem recenti adhuc vulnere, paulò poſt matris patriſque mortem. Hymno. 5.

Meis charis largiaris
Iam defunctis veniam.

Et Hym. 7. nominatim.

Illic patrem atque matrem
Meam fac conſtitui,
Et bonorum æternorum
Vbertate perfrui.

Vide Hym. 8. & 10. pater vivis sublatus an. 1117. matre defunctâ an. 1105.

Sed jam indicare operæ pretium est, quantam sibi famam meruerit, apud quos, à quo tempore, vel unicum hujus operis fragmentum. Hymnus ordine inter alios secundus, *omni die dic Maria*, quem in honorem B. V. quotis diebus sanctum Casimirum Poloniæ Principem recitare flexis genibus fuisse solitum testantur æquè historici Poloniæ, tùm ejus omnes vitæ scriptores; quemque sibi decumbenti in pheretro cordi superponi, vel capiti supponi jusserit, demandarit. De quo sic *Henschenius ad diem*. 4. *Maii Prolegom. ad hujus sancti vitam parag* 6. *n*. 40. *& seq.* qui & dubius an ipsemet *Cas.* hymnum tumulò suo reponi præceperit, proponit commentaturque memor tabellæ ad sepulchrum S. Agathæ inventæ: Annon forte Angelorum æquè ministerio eo loci immissa sit hæc Hymnologia? Verba exscribo; quippe simul castissimi Principis religionem celebrent, divinam hujus precis ad miracula patranda, obtinenda beneficia, commendent energiam, nostramque ad ejus frequentem usum devotionem invitent, provocent, & acuant. *Hunc hymnum*, inquit, *videtur voluisse sanctus in eodem secum tumulo recondi, & quidem sub capite suo. Certe enim cum anno* CIↃIↃXCIV. *sepulchrum ejus instauraretur, inventus est incorrupto corpore, & vestibus: quâ ipsâ occasione repertus est quoque hymnus de beata Virgine, qui sic incipit :* omni die dic Mariæ mea laudes anima, *dextro ejus tempori subjectus. R P. Ioannes Rivochi nobis ante annos aliquot scripsit supra pectus divi in tumbâ repertum, atque ita habent aliquot*

precatorii libelli, in quibus impressus extat, & paulò post, *hic mihi venit in mentem scriptura illius sive tabella, quam intra sepulchrum sanctæ Agathæ Virginis & Martyris*, ad caput ejus *positam fuisse, illius acta probatissima narrant 5. Februar. quæst. 3. num. 13. Certè enim quæ ea exhibebat inscripta, mentem sanctam, spontaneum honorem Deo, & patriæ liberationem; eadem Hymnus S. Casimiri, vel capiti suppositus in sepulchro, vel superpositus pectori, ingerere quodammodò videtur illum piè recitantibus; mentem sanctam decora magnæ matris contemplantem; spontaneum honorem Deo virginitate tam sanctè custoditâ, oblatum*; & *patriæ liberationem, cùm vastitatem quam impii jam inferebant, Divi hujus ope invocatâ, propulsatam, experta non semel Lithuania ejus patria, est. Quæ eadem sperare fas est eos omnes, qui Hymnum ab eo compositum, pari religione*, omni die, *aut quoties opportunum erit, revolvent. Et verò, quod intra sepulchrum virginis Agathæ tabellam illam posuisse eximius quidam Angelus, cum numeroso aliorum comitatu sepulturæ ejus assistens, memoratur; quis scit, annon vel sancto Casimiro eam mentem afflarint Angeli, ut cæleste illud canticum sibi intra tumulum apponi mandaret, aut ipsimet apposuerint? Certè Cieszynskius, diœceseos Vilnensis Cancellarius, antea à nobis laudatus, in Panegyrico quem Divo Casimiro cecinit, Angelorum obsequia in funere divi ejusdem agnoscit, ita scribens:*

Procul planctus; date cantus,
Et lilia tumulo:
Casti flores & odores
Uno erunt cumulo

En cælicus Angelicus
Ab alto exercitus.
Ad hoc funus gratum munus
Prosequendum excitus.

Hæc Henschenius.

Ad eam orationem fervescere visa est cum tempore devotio. Primùm juveni Principi privata fuit, quam, ut par est credere, commodatam, commendatamque habuit à monachis ex instituto D. Bernardi in regno Poloniæ, Lituaniæ, Livoniæ longe ante Casimiri tempora, summâ reverentiâ habitis & acceptis regibusque charissimis ex theatro Cisterciensi, & notitia Abbatiarum ejusdem Ordinis Coloniæ *impress. an.* 1640. *Cromero l. 6. &c.* Deinde antequàm aperto divi extraheretur è tumulo in piorum devenit manus. Namque, ut scribit *Suvesiskius Eccles. Cathedralis Vilnensis Canonicus vita S. Casimiri scriptor satis diligens : Per quemdam Zlotinkouuski an.* 1499. *ex codicibus S. Casimiri in publicam tabellam relata est*, tandem an. 1604. solemniori eventu è sepulchro Casimiri detecta, sub ejus nomine, quasi author fuisset, majori famâ evulgari cœpit, tantâque alacritate, religione ab omnibus Polonis complexa est, ut alii in vernaculam linguam traduxerint, alii Commentariis exornarint; nec privatim modò, verùm & publicè, alii consueverint, vel in Ecclesiis decantare: Testem habeo *R. P. Joann. Rinuoki, S. I. disertissimum in triumphali S. Casimiri translatione, an.* 1636. *Panegyristam, in suâ jam laudatâ ad Henschenium epistolâ : Canitur*, inquit, *etiam in templis, ut præclarum pietatis erga Deiparam incentivum; atque ut in variis Ecclesiis, Germania, Ca-*

thetica partibus à juventute scolasticâ sacrificii temporè concini precationes aliquæ aut odæ solent ad laudem numinis, sensumque pietatis in canentium & audientium animis excitandum accommodatæ; ita in regno Poloniæ hunc ut plurimùm *gentilis divi ac tutelaris sui hymnum decantant.*

Nec Poloni soli, verùm & cæteræ gentes eam precationem tanti fecerunt, ut orariis suis passim inserverint. Duos ex cæteris seligo, apud quos eam sæpè pervolutavi: nostratem unum, *R. P. Poirier*; Germanum alterum, *Merlo Horstius.* R. P. Poirier S. J. in grandi suo volumine *de triplici virginis coronâ* Gallico idiomate exhibet eam, laudat & consulit, quam inde exceptam, dum hîc novitium agerem an. 1664. ætat. meæ. 20. diurno tributo potentissimæ cœli Reginæ persolui; ac demum fervorem sopitum exsuscitavit, reparavitque. Merlo Horstius Coloniensis Pastor, qui eam suo libro *Paradisi animæ sect.* 7. publicæ pietati consignavit. Crede experto, lector, exundabit in te gratiarum pelagus à liberalitate Mariæ: Si pensum illud tibi indixeris, exegerisque, si non quotidianum, singulis saltem hebdomadæ diebus, unicuique suam sectionem distribuens recitandam, prout eam tuis commodis in sex decades distinxit idem Horstius, appendimusque ad finem præsentis operis variis lectionibus exornatam. Vice septimæ universum hymnum concinere te compellimus, scuto negotiorum confracto; quasi sis occupatior principi. Pudeat tandem ubi de cultu virginis agitur, non æmulari exteros, vinci ab aliis. Vindicatâ ea oratione nostrati Bernardo, sic in pietatem, ut in jura Polonorum transeundum est.

Quorum historicis venialis huc usque fuisset error Angelico Principi eam precationem ascribere (noverant quàm singulari ad eam vivens moveretur affectu, mortuo contumulatam viderant, certus latebat author, cum aliàs incertum fortè non esset juvenem ducem multa in laudem Virginis aliquandò cecinisse,) nî *Zacharias Ferrerius Episcopus Gardiensis Leonis decimi Prælatus domesticus & Referendarius, ac per universum Poloniæ regnum, &c. Nuntius & Orator, atque de mandato ejusdem summi Pontificis cum Ioanne Archipræsule Gneznensi, & Petro Presmiliensi Episcopo, gestorum sancti Casimiri inquisitor, perindeque vitæ ejus scriptor accuratissimus.* Nî, inquam, is talis, tantusque testis, omni fide dignissimus *Zacharias*, orationem à *S.* Casimiro confectam proprio charactere notasset, atque longe diversam esse à nostrâ, digito, ut aiunt, demonstrasset. Ita enim scribit: *Incredibili etiam erga Dei genitricem devotione flagrabat, quàm pius adolescens factâ à se exametris egregiâ oratione, quam vidimus, omnia penè Dominicæ Incarnationis mysteria pulchro schemate claudentem, quotidiè salutabat, assiduisque laudabat præconiis.* Jam lapidem lydium admoveamus. En orationis Casimirinæ characterismus. 1. constabat *exametris. 2. pulchro schemate omnia penè Incarnationis mysteria reserabat.* Submovetque *Zacharias* omnem de se juridico teste scrupulum, tractavit, legit, judicavit. Sanè hymnus *omni die*, neque omnia penè incarnationis recludit mysteria, neque incedit *exametris*. Jam mendum arguerat *Henschenius*, qui gentilem præferens fovere errorem quam sanare, aut saltem dissimulare ignoto remedio,

dio,

dio, pro *Exametris* substituit *Eptametris*. Quasi verò etiam ejusmodi sint. *Eptametris*, inquit, *notâ primâ ad c. 2. vita S. Casim. à Zachar. conscripta, legendum videtur. Apographum habebat* Exametris. *Neque Exametri dici possunt. Sunt potius Eptametri hypercatalecti, ut trochaici, non tamen regulari observatâ syllabarum quantitate.* Suvesiskius difficultatem declinat: *Metris*, inquit, *à se singulari artificio elaboratis*. Sed de his satis, quæ quidem prolixiora retulimus, ne nos Poloni hujus docti sacrique furti insimulent; atque eos, vel nostro codici præscribentes, ratione convictos audiremus, se hujus thesauri huc usque malæ fidei fuisse possessores: sola namque temporis ætas, qua apographum nostrum depictum fuit, omnem absumebat litem. Scribebatur, quod initio docuimus, an. 1121. Casimirus vero posterioribus sæculis nascitur an. 1458. decumbitque an, 1484.

Nec semel accidit versus D. Bernardi illis tribui, qui recitare morem habuerint. Idem enim jam evenisse testatur *D. Carolus de Visch in præfatâ Bibliotheca Cisterciensi* de Bernardo agens. *Circumferuntur*, inquit, *passim nomine sancti Bernardi varii Rythmi, & hymni sacri*; nominatim *hymnus*, Ave maris stella, *& alius de vanitate mundi*: *cur mundus militet* &c. *quorum posteriorem jam etiam sub eodem nomine publicavit Bernardus Bauhusius S. I. in pergula spiritalis melodia, &c. Vbi specialiter notandum venit, beatum Iacoponum ordinis sancti Francisci religiosum, ex eodem rythmo aliquando collegisse versus magis fluidos, quos frequenter decantare solebat, scriptoque aliis communicabat; atque hinc factum esse.*

L

ut ipse autor putaretur eorumdem versuum. Cæterũ ejuscemodi hymnũ Casimiro subtrahentes, non effusa est contemptio nostra super principẽ, ejusque, aut doctrinæ quicquã, aut pietati minuimus. Reddimus quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Bernardi, Bernardo. Gemmas è diademate Poloni jubemus decidere, verum est; nostrę erant: agnovimus, recuperavimus: quid mali? Non doctrinæ quidem meritissimi principis detrahimus, cum alia ejusdem argumenti edidisse poëmata non diffiteamur. Nî aditus suspicioni esset, Zachariam huncce librum integrum pervidisse ab exametris inceptum: *O lumen verum*, cum laudibus Virginis omnia penè incarnationis mysteria concludentem, quem, cum verus hymnista minimè sese offerret, donaverit Casimiro, cùm autoris apud posteros famâ. Minus etiam purissimi principis in beatam Virginem maculamus pietatem, quin cumulamus magis. Neque enim ea unicâ prece, quod aliàs opinandum esset, Domini dignissimam matrem quotidie salutare solitum fuisse suademus; sed & insuper aliâ, quam ipse exametris fecerit, Zacharia teste, vel etiam omnibus hocce volumine complexis, dum prædictæ suspicioni sit locus. Hymnum verò, *Omni die*, cæteris prætulit Casimirus, vel tenerrimis, suavissimisque in B. Virg. quibus abundat & fervet illectus affectibus; vel quia iis inciperet verbis, quę votum nunquam intermittendæ pietatis testarentur, semperque memoriæ, ut cordi objicerent, applicarent.

Hæ nostræ sunt pro S. Bernardo Clarevallensi conjecturæ, rationes, vindicię. Qui pro Cluniacensi perorare volucrit; si rectè dicat, li-

bens libenter audiam; si verè, credam; si neutrum, patienter feram. Interim librum proferimus, cujus partes, sectionesque varias, vel hymnos, vel cantica, vel odas quisque pro libitu suo poterit appellare.

PRÆFATIO
S. BERNARDI.

INVOCAT DIVINAM SAPIENTIAM quò dignius valeat B. Virginis Laudes decantare.

O lumen verum quo lux est facta dierum,
Lumen pręclarum, sapientia, fons animarum,
Quæ requiem fessis tribuis, solatia pressis;
Et quę justificas animas, clementer iniquas
Ad te, suspiro, te supplico, teque requiro
Pane salutari cupiens te dante cibari;
Verus enim panis tua verba, cibusque perennis
Fons vitę rora refovens mea cœlitus ora
Funde tuum rorem, nę deficiendo laborem
Ut non lacescam, mihi da, quę non perit, escam,
Langueo jejunus, quo sublever annue munus;
Nempe super dulces epulas, pia pectora mulces
Tu superexcellis dulcore cibaria mellis;
Tu super argentum renites oculis sapientum
Nec lapides chari tibi possunt ęqui parari.
Aurum vile putat mens quam tua gratia mutat

Solis fulgorem superas, lunæque decorem, (dis.
Cunctaq; transcendis, quibus instat mũdus haben-
Te quicumque caret, quasi fænum transit, & aret.
Prudentes animæ, dono pietatis opimæ,
Fructibus, & specie cumulantur adinstar olivæ.
Stultus ut herba cadit, modico viget, & citò cadit:
Justus florebit, quasi palma, diuque manebit;
Utque cedrus Libani vivet radice perenni;
Sic benedicetur, te quisquis habere meretur.
Da mihi lux lucis, nullis hærere caducis.
Sic me purifica, ne mens mea tractet iniqua
Da fidei scutum, me reddens undique tutum.
Presta virtutem, quâ crimina cuncta refutem;
Sensum sincerum, valeam quò cernere verum
Virtutum genitrix, & criminis unica victrix,
Vel *Carnem*. Sic precor, ut vires reprimas, carnemque refrenes,
Ut sanctè vivam, curam cohibendo nocivam,
Et sic restringam canto moderamine linguam,
Nè dum laxatur, quæ sunt reticenda, loquatur.
Christe, fave votis, quem sensibus invoco totis:
Ut sapiens fiam, veram sitiendo sophiam:
Verba sapore salis mea condi spiritualis:
Fac me solertem, ne sentiat hostis inertem:
Qui facis infantes charismate laudis ovantes,
Oraque multa doces. formosas promere voces
Oris claustra mei resera sermone fideli
Quò tibi laus detur, quò proximus ædificetur



LIBER
IN LAUDIBUS VIRGINIS.
ODE I.

UT jucundas cervus undas æſtuans deſiderat;
Sic ad Deum fontem vivum me s fidelis.
Sicut rivi fontis vivi præbét refrigeriũ. (properat;
Ita menti ſitienti Deus eſt remedium.
Quantis bonis ſuperponis ſanctos tuos, Domine.
Seſe lædit, qui recedit ab æterno lumine.
Vitam lætam & quietam, qui te quærit, reperit:
Nam laborem & dolorem metit, qui te deſerit.
Pacem donas & coronas his qui tibi militant:
Cuncta læta ſine meta, his qui tecum habitant:
Heu, quam vanâ mens humana viſione falleris!
Dum te curis nocituris impudenter inſeris,
Cur non caves lapſus graves, quos ſuadet proditor;
Nec affectas vias rectas, quas oſtendit conditor
Reſipiſce, atque diſce, cujus ſis originis:
Ubi degis, cujus legis, cujus ſis & ordinis:
Ne te ſpernas, ſed diſcernas, homo gemma regia.
Te perpende, & attende quâ ſis factus gratiâ.
Recordare, quis, & quarè ſis à Deo conditus.
Hujus heres nunc maneres, ſi fuiſſes ſubditus.
O mortalis quantis malis meruiſti affici,
Dum rectori & autori noluiſti ſubjici.
Sed majores ſunt dolores infernalis carceris,
Quò mittendus & torquendus es, ſi malè vixeris.
Cui mundus eſt jucundus, ſuam perdit animam:
Pro re levi, atque brevi, vitam perdit optimam.
Ergo cavè, ne ſuave jugum ſpernas Domini:
Nec, abjecta lege recta, ſervias libidini.

Si sunt plagæ, curam age, ut curentur citius:
Ne, si crescant & putrescant, pergas in deterius.
Ne desperes, jam coheres Christi esse poteris :
Si carnales, quantum vales, affectus excluseris.
Si formidas, ne diffidas, sed medelam postula:
Noxam plange, corpus ange, diliie piacula.
Si vivorum & functorum Christum times judicem
Debes scire, quod perire suum non vult suplicem.
Preces funde, pectus tunde, flendo cor humilia:
Pœnitenti & gementi non negatur venia.
Exorando & laudando, Mariam commemora :
Nam delere potest verè quæcumque facinora.
Si antiquus inimicus suggerit illicita,
Stellam maris, ne vincaris, mente posce subdita.
Si te sentis tentamentis urgeri dæmonicis,
Mox respiras, si requiras matrem summi judicis:
Nam, si quando te tentando dirus serpens læserit,
Suspiranti & oranti pia Mater aderit.
Quod si fortè mortis portæ te vicinum sentias,
Crede tamen, quod juvamen per eam recipias.
Si te doles ferre moles culparum prementium :
Hanc precare, ut placare possis ejus filium :
Nam placatum ejus natum tunc habere poteris,
Si fideli mente cœli Reginam rogaveris.
Virgam Jesse, quam præesse cunctis scis viventibus
Supplex ora & implora totis hanc visceribus.
Hanc require, quæ lenire solet corda tristium.
Certus esto, quod sit præsto votis se precantium.
Hæc Regina de ruina faciet te surgere :
Hæc profectò te directo deducet itinere :
Ipsa multos jam sepultos fecit reviviscere:
Hæc adversos & subversos potest Deo jungere.
Ipsam ama, ad hanc clama cordis desiderio:
Ut sustentet, & præsentet te beato Filio.

Hanc si colis, veri solis perfrueris lumine.
Hac adjutus, eris tutus ab omni formidine.
Hoc credēdum, & fatendum ad honorem Domini,
Quod subjecit quidquid fecit Christus Matri Virgini.

I I.

OMni die dic Mariæ mea laudes anima:
Ejus festa, ejus gesta cole splendidissima.
Contemplare & mirare ejus celsitudinem.
Dic fœlicem Genitricem, dic beatam Virginem.
Ipsam cole, ut de mole criminum te liberet.
Hanc appella, ne procella vitiorum superet.
Hæc persona nobis bona contulit cœlestia.
Hæc Regina nos divinâ illustravit gratiâ.
Lingua mea dic trophæa Virginis puerperæ,
Quæ inflictum maledictum miro transfert genere.
Sine fine dic Reginæ mundi laudum cantica.
Ejus bona semper sona, semper illam prædica.
Omnes mei sensus ei personate gloriam:
Frequentate tam beatæ Virginis memoriam.
Nullus certe tam disertæ extat eloquentiæ,
Qui condignos promat hymnos ejus excellentiæ.
Omnes laudent, unde gaudent, matrē Dei virginē.
Nullus fingat ut attingat ejus celsitudinem,
Nemo dicet, quantum licet, laudans ejus merita:
Cujus cuncta sunt creata ditioni subdita
Sed necesse, quod prodesse constat piis mentibus,
Ut intendam & impendam me ipsius laudibus
Quāvis sciam quod Mariam nemo digne prædicet;
Tamen vanus & insanus est, qui illam reticet:
Cujus vita erudita, disciplina cœlica,
Argumenta & figmenta destruxit hæretica:
Cujus mores, tanquam flores, exornant Ecclesiam.
Actiones & sermones miram præstant gratiam.

Horstius, ad pietatis institutum & cōmodum tres sequentes hymnos in decades divisit: cujus partitionem ad finem libri hujusce reperias, cum diversis ab apographo nostro lectionibus. De his *Vide præfat.*

Evæ crimen nobis limen Paradiſi clauſerat:
Hæc dum credit,& obedit, Cœli clauſtra reſerat.
Propter Evam homo ſævam accepit ſententiam
Per Mariam habet viam quæ ducit ad Patriam
Hæc amanda & laudanda, cunctis ſpiritualiter
Venerari & precari decet illam jugiter.
Ipſam poſco, quam agnoſco poſſe prorſus omnia,
Ut evellat & repellat quæcumque ſunt noxia
Ipſa donet, ut, quod monet ejus natus, faciam;
Ut finitâ carnis vitâ hunc lætus aſpiciam.

III.

O Cunctarum fœminarum decus atque gloria,
Quam electam & provectam ſcimus ſuper omnia.
Clemens audi tuæ laudi quos inſtantes conſpicis.
Munda reos, & fac eos bonis dignos cœlicis.
Virga Jeſſe, ſpes oppreſſæ mentis, & refugium,
Decus mundi, lux profundi, Domini ſacrarium,
Vitæ forma, morum norma, plenitudo gratiæ,
Dei templum, & exemplum totius juſtitiæ.
Virgo ſalve, per quam valuæ cœli patent miſeris.
Quam non flexit, nec illexit fraus ſerpentis veteris.
Glorioſa & formoſa David Regis filia,
Quam elegit Rex, qui regit & creavit omnia.
Gemma decens, roſa recens, caſtitatis lilium
Caſtum chorum ad polorũ quæ producis gaudium
Rationis & ſermonis facultatem tribue,
Ut tuorum meritorum laudes promam ſtrenuè.
Opto nimis, ut in primis tui des memoriam,
Ut frequenter & decenter tuam cantem gloriam.
Quamvis muta & polluta mea ſciam labia,
Præſumendum nec ſilendum eſt de tuâ gloriâ.
Virgo gaude, omni laude digna, & præconio,
Quæ damnatis libertatis facta es occaſio.

Semper munda & fœcunda Virgo & puerpera,
Mater alma, velut palma florens & fructifera,
Cujus flore, vel odore recreari cupimus:
Cujus fructu nos à luctu liberari credimus.
Pulchra tota ſine nota cujuſcumque maculæ,
Fac nos mundos ac jocundos te laudare ſedulè.
O beata, per quam nata nova mundo gaudia;
Et aperta fide certâ regna ſunt cœleſtia:
Per quam mundus lętabundus vero fulget lumine,
Antiquarum tenebrarum exutus caligine.
Tunc potentes ſunt egentes, ſicut olim dixeras,
Et egeni fiunt pleni, quod tu prophetaveras.
Per te morum nunc pravorum relinquuntur devia:
Doctrinarum perverſarum pulſa ſunt præſtigia.
Mundi luxus atque fluxus docuiſti ſpernere:
Deum quæri, carnem teri, vitiis reſiſtere:
Mentis curſum tendi ſurſum pietatis ſtudio,
Corpus angi, motus frangi pro cœleſti præmio.
Tu portaſti inter caſti clauſtra ventris Dominum
Redemptorem; ad honorem nos reformans priſti-
Mater facta, ſed intacta, genuiſti filium, (num.
Regem verum, atque rerum creatorem omnium.
Benedicta perquam victa eſt hoſtis verſutia.
Reſtitutis ſpe ſalutis datur indulgentia.
Benedictus Rex invictus, cujus Mater crederis,
Qui reatus ex te natus ſolvit noſtri generis.
Reparatrix & ſolatrix deſperantis animæ,
A preſſura, quæ ventura malis eſt, me redime.
Pro me pete, ut quiete ſempiternâ perfruar:
Ne tormentis comburentis ſtagni miſer obruar.
Quod requiro, quod ſuſpiro, mea ſana vulnera,
Et da menti te poſcenti gratiarum munera,
Ut ſim caſtus & modeſtus, dulcis, blandus, ſobrius,
Pius, rectus, circumſpectus, ſimultatis neſcius

Eruditus, & munitus divinis eloquiis,
Timoratus, & ornatus ſacris exercitiis,
Conſtans, gravis, & ſuavis, benignus, amabilis:
Simplex, purus, & maturus, patiens, & humilis,
Corde prudens, ore ſtudens veritatem dicere,
Malum nolens, Deum colens pio ſemper opere.
Eſto nutrix & adjutrix Chriſtiani populi.
Pacem præſta, ne moleſta nos conturbent ſæculi.
Da levamen & juvamen tuum illis jugiter,
Tua feſta, ſivè geſta qui colunt alacriter.
Pater Deus, fili Deus, Deus alme ſpiritus.
Per æterna nos guberna, Deus unus, ſæcula. Amen.

IV.

SAlutaris ſtella maris, ſummis digna laudibus,
Quę præcellis cũctis ſtellis, atque luminaribus:
Tuâ dulci prece fulci, ſupplices nos refove:
Quidquid gravat, vel depravat mentes noſtras, remove.
Virgo gaude, quæ de fraude dæmonis nos liberas,
Dum tu verâ & ſincerâ Deum carne generas,
Illibata & ditata cœleſti progenie,
Gravidata, nec privata flore pudicitiæ:
Nam quod eras, perſeveras, dum intacta generas,
Illum tractans, atq; lactans per quem facta fueras,
Mihi mœſto nunc adeſto, dans perenne gaudium:
Dona, quæſo, nimis læſo optatum remedium:
Commendare me dignare Chriſto tuo filio,
Ut non cadam, ſed evadam de mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem, compelle laſciviam:
Contra crimen da munimen & mentis cõſtantiam,
Non me liget, nec fatiget ſæculi cupiditas,
Quæ obſcurat & indurat mentes ſibi ſubditas.
Numquam ira, numquam dira me vincat elatio,
Quæ multorum fit malorum frequenter occaſio.

Ora Deum,ut cor meum ſua ſervet gratia;
Ne antiquus inimicus ſeminet zizania.
Da virtutum mihi ſcutum ; ne in bello concidam,
Fidem rectam, ſpem robuſtã, charitatem fervidã.
Da furoris & timoris ſuperare vitia,
Et ut linguam ſic reſtringam , ne loquatur noxia.
Maris ſtella, interpella quem portaſti in utero :
Ut hoc mare tranſmeare curſu donet proſpero ,
Det timorem & amorem ſui ſemper nominis,
Donet pacem , & fornacem extinguat libidinis;
Caſtitatis , pietatis , munimenta conferat,
Adſit rector & protector, nec unquam me deſerat.
O Præclara, viam para ad ſupernam Patriam;
Sic me ſana , ut mundana gaudia deſpiciam,
Quod imploro , non ignoro dare te fidelibus ,
Cujus juſſa inconcuſſa manent modis omnibus.
Mater bona , meis dona requiem parentibus ;
Nec non cunctis jam defunctis notis & affinibus.
Hunc egenum fac ad plenum pervenire gaudium,
Quo manere & videre tuum poſſim filium :
Meos notos fac devotos piis ſemper actibus ;
Ut mandatis veritatis totis inſtent viribus.
Mala pelle , & refelle hoſtium verſutias ,
Spiritales , & carnales compeſce nequitias.
Virgo lenis , à catenis criminum nos eripe,
Ut ſoluti ſimus tuti victo mortis principe.
Adjutricem & tutricem ubique te ſentiant,
Qui fœlicem Genitricem Dei te pronunciant.
Maris ſtella, de procella ſæculi nos libera ,
Protegendo & præbendo cuncta nobis proſpera,
Splendor patris, factor matris Jeſu noſtra gloria,
Da ut fiam per Mariam tuâ dignus gratiâ.
Dominator & Salvator mundi benigniſſime,
Da virtutem & ſalutem corporis & animæ ,

Ut saluti restituti te laudemus, Domine,
Qui salvasti, quos creasti, natus almâ virgine.
Pater Deus, Fili Deus, Deus alme Spiritus,
Per æterna nos guberna, Deus unus, sęcula, Amen.

V.

MAter Christi, quę tulisti sacris hunc visceribus
Absque viro, partu miro, quo pax datur Gentibus,
Huc aspectum, hùc affectum dirige propitium,
Condescendens & impendens miseris auxilium.
Virgo mitis, quæ contritis spem largiris veniæ,
Posce Deum, ut trophæum suæ det Ecclesiæ.
Dona pacem, & fallacem inimicum contere,
Ne ignitis is sagittis possit nos elidere.
Jocundare quæ portare meruisti Dominum,
Mundi lucem, vitæ ducem, Salvatorem hominum.
Incorrupta & intacta genuisti puerum,
Nullum tamen hinc gravamen tuum læsit uterum:
Alter partus gravat artus, incutit suspiria;
Tuus fructus pellit luctus dans æterna gaudia,
Aliarum fœminarum proles flêtu funditur:
Partus iste nil scit triste, quando Deus nascitur.
Benedicta, quæ delicta primæ matris operis;
Et divinam medicinam impetrasti miseris.
Benedictus, qui amictus in te carnis trabeâ
Nos erexit & revexit ad regna syderea.
O quam lætis à Prophetis es laudata vocibus,
Hoc secretum, quod cõpletũ est in te, mirantibus,
Te beatam & prælatam cunctis esse docuit
Cum suave illud ave Gabriel aperuit.
Tu portasti & lactasti benedicta Domina
Quem adorat & honorat mundi trina machina.
Adorabas & lactabas Deum factum hominem,
Qui nos lavit & salvavit suum ponens sanguinẽ.

Vagientem & lactentem confovebas gremio.
Servi ille, tu ancillæ functa es officio :
Tu docentis & vescentis usa es præsentia.
Te sciente & vidente fecit mirabilia:
Te præsente & monente consecravit nuptias,
Quando vino repentino sex implevit hydrïas.
Tu divinæ disciplinæ pascebaris gratiâ,
Dum signorum & verborum ejus esses conscia.
Quot angores, quot dolores tua sensit anima,
Cum in crucē summum ducē gens levavit pessima!
Quot lamenta, quot tormenta, quanti tui gemitus,
Cum Rex cœli tam crudeli morti esset traditus!
Corde tristi pertulisti passionis gladium,
Cum irrisum & occisum tuum cernis filium,
Nam rex magnus, velut agnus immolari voluit,
Et per crucem nobis lucem & salutem tribuit,
Ejus pœna nos ad regna provehit cœlestia:
Crux virtutis & salutis certa est fiducia.
Mundum regens, velut egens, visus est incredulis,
Ut per formam sui normam vitæ daret servulis.
Rex immensus est suspensus crucis in patibulo,
A pœnarum æternarum salvans nos periculo,
Pius Jesus flagris cæsus, & coronâ spineâ
Coronatus, & prælatus est transfixus lancea,
Qui effingens chaos ingens spoliavit inferos,
Fractis portis diræ mortis vinctos facit liberos.
O quam læta es effecta die facta tertiâ,
Cum Rex fortis victæ mortis protulit judicia!
Nam antiquum inimicum diris stringens vinculis,
Se videndum & tangendum præbuit discipulis,
Quis narrare? quis pensare tuum possit gaudium?
Quando mœstis Rex cœlestis pacis dedit nuntiū.
Undè tibi laus adscribi debet, atque gloria,
Quæ tantorum gaudiorum facta es materia.

Post tot signa, quæ tu digna meruisti cernere;
Ad Paternum vides thronum filium ascendere,
Cui juncta super cuncta potestatem obtines,
Omnis soli, omnis poli supergressa ordines.
O Regina hùc inclina piæ mentis lumina,
Et excusa prece fusâ servulorum crimina;
Jam sublimis facta nimis manes juxta filium
Celsâ sede intercede pro salute omnium,
Nos conforta & reporta munus indulgentiæ:
Ut reformes nos enormes ad statum justitiæ.
Meis charis largiaris jam defunctis veniam
Et cunctorũ commodorum his qui vivunt copiam:
Illis mecum dona precum tuarum suffragia
Ut modernâ & æternâ fruamur lætitia:
O Maria, mater pia, tuum da subsidium,
Quò vincamus & vivamus in terrâ viventium;
Da medelam & tutelam cunctis te colentibus,
Pacem bonam & coronam cum supernis civibus.
Pater Deus, Fili Deus, Deus alme Spiritus,
Per æterna nos guberna, Deus unus, sęcula,
Amen.

VI.

AVe virgo, quæ origo nobis es lætitiæ,
Redemptorem & auctorem pariendo gloriæ
Virgo mater, per quam ater spiritus occubuit
Quo primæva mater Eva suggerente corruit,
Alma parens, omni carens corruptelæ maculâ,
Quam elegit qui confregit dira mortis vincula;
Clemens præsta ut qui festa tua gaudent colere,
Gratulentur & ditentur tuæ lucis munere
Mater Christi, quæ das tristi animæ lætitiam:
Da quod quæro, ut sincero corde Christo serviam:
Mansuetum, & quietum redde meum animum,
Ut in Deum aut in meũ non delinquam proximum.

Margarita summi sita Regis diademate,
Quæ cunctarum gratiarum es ornata stemmate;
Maris stella Dei cella virtutisque speculum
Quam miratur & precatur universum sæculum:
Da, ut queam mentem meam emundare vitiis
Exercendo & colendo sacris eam studiis;
Dona, inquam, ut evincam tentamenta dæmonum,
Nec permittas per sagittas me perire criminum
O decora Deum ora, ut det mihi veniam,
Det ne cunctos, vel robustos meos hostes sentiā;
Obtineto, ut quod peto merear accipere,
Ut in finem non declinem à recto itinere:
O puella, quæ ut stella matutina radias,
Dum nocturnas pellens umbras vêram lucem nuntias,
Curam habe ut à labe criminum purifices,
Et quâ nites, tuos dites castitate supplices.
Princeps mortis nos intortis inquietat jaculis;
Tu resiste, ne nos iste suis trahat vinculis:
Dona pacem per quam vacem divinis obsequiis,
Ne per curas perituras veris priver gaudiis.
Da ut gratum famulatum reddam regi glorię,
Et ipsius amor pius meæ sint deliciæ.
Reos munda, & circumda tuo nos præsidio
Fac securos, nos, & puros ab omni contagio.
Liberari & salvari per te nos confidimus,
Quam clementem & potentē super omnes novimus
Jam prædives inter cives es cœlestis patriæ.
O sophia, quam Maria incarnatam edidit,
Nec sic florem vel decorem castitatis perdidit:
Tibi canto, nunc pro tanto laudis beneficio,
Nam saluti restituti sumus hoc mysterio.
Rex virtutum, cujus nutum nihil potest fallere,
Nos tuere, atque veræ lucis dita munere:

Deest aliquid.

Hoc jejunus à te munus poſco, ne deficiam,
Ut ſacrarum ſcripturarum mihi des ſcientiam;
Micas panis, velut canis, dari mihi poſtulo,
Et quod quæro, tuo ſpero te daturum ſervulo.
Rex benigne, fac me dignè tuam matrem colere,
Quæ portavit & lactavit te ſacrato ubere.
Da virtutem, ut refutem omnem immunditiam;
Fac me mitem, ut devitem zelum & ſuperbiam;
Honeſtorum mihi morum para elegantiam;
Pelle dolum, ut te ſolum purâ mente cupiam.
Jeſu bone, ſic diſpone horam mei tranſitus,
Ut ad chorum electorum meus pergat ſpiritus.
Pater Deus, Fili Deus, Deus alme ſpiritus
Per æterna nos guberna, Deus unus ſæcula.
Amen.

VII.

DUx ſanctorum, ſpes lapſorum, virgo mater Domini.
Per quam vita reſtituta eſt perennis homini,
Gemebundo corde fundo ad te preces, Domina,
Namque gravi, quã paravi premor valde ſarcinâ.
Solve moles, ſicut ſoles, quibus preſſus jaceo,
Et excuſa, quod confusâ mente factum doleo,
Dolor ingens me conſtringens vehemẽter cruciat,
Culpę telum cor anhelum ſiquidem dilaniat.
O quam pravi & ignavi ſunt qui mundũ diligunt
Non attendunt, cui vendunt ſe, qui Deũ negligunt.
Verè cœcus, & ut pecus expers es ſcientiæ
Quem delectat hoc, quod ſpectat in valle miſeriæ;
Nam quem fructum, niſi luctum, præſtant mundi gaudia,
Cujus cura gignit dura miſeris ſupplicia.
Parce flenti & dolenti ſumme rerum arbiter;
Nam mandata per te data sũ tranſgreſſus nequiter;
Erubeſco

Erubesco & tabesco tuam timens faciem,
Dum meórum delictorum perpendo congeriem.
Ingens metus, atque fletus meam turbat animam;
Pavet sensus, dum suspensus horã pensat vltimam.
Quis futurus est securus in illo examine,
Quando patent, quæ nunc latent arguente lumine:
Quo dolore, quo mœrore deprimuntur miseri,
Qui abyssis pro commissis submergentur inferi.
Ululatus & ploratus? frustra dabunt perditi,
Cum maligni sœvo igni semel erunt traditi.
Heù quid egi, quò impegi, quò infœlix cecidi,
Quò deducunt, quem seducunt fraudes hostis perfidi:
Ad quid tendam, ut tremendam evadã sententiam;
Quem requiram, per quem iram judicis effugiam:
O MARIA qua sophia, prodiit altissimi,
Ut credendo & sequendo homo posset redimi.
Formidandum redde blandum judicem supplicibus;
Ne iratus ob reatus sævis tradat ignibus.
Cæli scala, fac me mala quæ impugnant vincere;
Et in bono quod propono, constanter persistere:
Nunquam sinas in me spinas vitiorum crescere,
Quæ ad fructum nos virtutũ doces semper tẽdere:
Clemens dona, ut Patrona velis esse misero,
Et sis mecum, cum ad æquum tribunal processero:
Supplicando me commendo tuo patrocinio,
Ne Rex fortis diræ mortis tradat me supplicio.
Preces funde, & responde pro me ante judicem;
Nam offensę sunt immensæ quæ accusant supplicẽ:
Desperarem, si pensarem mea tantum merita,
Nî audissem, aut sensissem te salvare perdita.
Mater alma tuis salva precibus hunc miserum,
Quem subegit & confregit magna moles scelerum:
A culparum vel pœnarum me salva propositis,

Te poscentem & habentem spem in tuis meritis.
Virgo lenis a terrenis munda nos affectibus,
Et cunctorum delictorum nos absolve nexibus.
Paradisi quo divisi exulamus, aditum, (tum.
Nobis pande, quod ob grande nimis potes meri-
Illic patrem, atque matrem meam fac constitui,
Et bonorum æternorum ubertate perfrui.
Regem cœli, pro fideli semper ora populo,
Ut ab isto, duce Christo, eruamur sœculo.
Deo chara nobis para viam ad cœlestia,
Vbi frui Christi tui mereamur gloriâ,
Auctor mundi, qui effundi tuo ventre voluit,
Se amare & servare nobis det quod docuit.
Pater Deus, Fili Deus, Deus alme Spiritus,
Per æterna nos guberna, Deus unus, sæcula.
Amen.

VIII.

CÆli porta perquam orta salus est fidelium,
Porta lucis quæ perducis ad perēne gaudium.
Virgo clara, quæ ignara virilis consortij,
Meruisti esse Christi Mater, dei Filij. (minæ,
Virgo prudens, quæ excludens primæ culpam fæ-
Gestas fructum non productum ex virili semine.
Sume vota, ne remota tuis sis supplicibus,
Sed intende, & defende nos a malis omnibus.
Multa de te sunt Prophetæ locuti præsagia,
Non ignari singulari te ditandam gratiâ.
Nam qui nasci, atque pasci, tua carne voluit,
Nec scripturis, nec figuris tuas laudes tacuit.
Prima parens sensu carens meruit interitum,
Dum serpenti se fallenti credit, gustans vetitum.
Causa plane tu humanæ salutis præcipua,
Tui causa quondam clausa patet cæli janua.
Nam spernendo & cavendo blandimenta sæculi,

Quod est mirum, caput dirum contrivisti zabuli,
Serpens dirus, suum virus Evæ dando nocuit.
Sed prudentem tuam mentem, fallere non potuit.
Tu primatum & ducatnm gerens continentium,
Casti gregis chorum Regis per callem egregium.
Mundi florem contra morem tui spernens generis,
Carnis curam & naturam cohibendam suggeris.
Viam rectam & perfectã pandens te sequentibus,
Ut modestis & honestis se perornent moribus.
Nam mundana prius vana docuisti gaudia,
Fugitiva & nociva, falsa, deceptoria.
Mater Eva, morte sæva prolem suam perdidit,
Tua fides quâ renides nobis vitam reddidit.
Tu præclarus es thesaurus omnium charismatum,
Sane plenus & amænus hortus es aromatum,
Fons redundans reos mundans aquarum viventium,
Has qui bibunt, non sitibunt, sed habent remedium.
Fons signatus non turbatus bestiarum pedibus,
Non confusus, sed conclusus divinis virtutibus.
Exquisitis margaritis ornantur monilia,
Sed tuorum plane morum extat major gratia.
Solent miræ delinire vernantes aureolæ,
Quam plus grata vernant sata cælestis agricolæ.
Flores verni solent cerni voluptate nimiâ,
Tu delectas mentes rectas præcellenti gratiâ.
Nam si flores dant odores, & decorem proferunt,
Mox marcescunt & arescunt nec durare poterunt.
Tuus viror quem plus miror, non est corruptibilis,
Non marcessit, nec decrescit, sed est immutabilis.
Tua fama, thymiama balsamumque superat,
Dum flagrescit, mentes pascit, & a morte liberat.
Nunc elati, nunc prostrati, sicut dicis cantico,

Et abjecti, sunt provecti honore mirifico.
Vniversus est aspersus mundus Christi gratiâ,
Qui te matre sine patre natus regit omnia.
Concubinæ & Reginæ tuas laudes prædicant,
Linguæ, gentes jam credentes tibi rite supplicant.
Te laudantes & mirantes pulchræ Sion filiæ,
Illustrari & ornari tuâ gaudent specie.
Te decoram, ut auroram universi præferunt.
Te electam, & perfectam te Reginam asserunt,
Quæ est ista, tam venusta, elegans & inclyta.
Quæ tot donis, tot coronis est virtutum prædita,
Turturinas habens genas, columbinos oculos.
Speciosa ut columba ad aquarum rivulos,
Cujus vita insignita cunctis est virtutibus.
Quæ pigmentis & unguentis cunctis es suavior,
Speciosis prorsus rosis, liliisque gratior.
O fœlicem genitricem cujus sacra viscera
Meruere continere continentem æthera!
Fœlix lectus, in quo tectus Rex virtutum tacuit.
Fœlix venter quo clementer carnem Deus induit,
Fœlix sinus quo divinus requievit spiritus.
Fœlix alvus, quo fit salvus homo fraude perditus,
Fœlix thorus & decorus istius puerperæ.
Quam maritus ut est ritus non præsumpsit tangere,
O Mammilla cujus stilla fuit hujus pabulum.
Qui dans terræ fructus ferre pascit omne sæculum,
Hac in domo Deus homo fieri disposuit.
Hic absconsus pulcher, sponsus vestē suam induit.
Sic natura vinci jura novo stupet ordine,
Cujus vsus est exclusus pariente Virgine.
Mater Dei, nostræ spei, causa & exordium,
Posce natum ut optatum nobis det remedium,
Istum cæcum sana precum tuarum suffragio,
Vt per viam ire sciam tua gratam filio.

In hac vita sic me dita donis spiritalibus,
Dando pignus quo sim dignus gaudiis cælestibus.
De mortalis vitæ malis me dignanter erue,
Et post mortem fac consortem quietis perpetuæ.
Pro meorum propinquorum te salute postulo,
Ut lætentur & salventur ex omni periculo.
O beata miserata preces nostras suscipe,
Et de malis universis nos clementer eripe.
Pater Deus, Fili Deus, Deus alma Charitas,
Per æterna nos guberna sæcla, Deus Trinitas.
Amen.

IX.

ANimarum spes lapsarum Virgo Mater unica,
Gignẽs Regẽ cujus legẽ mũdi servat fabrica.
Porta ducis qui per crucis salvans nos Mysterium,
Ad sanctorum Angelorum restaurat consortium,
Sume laudes atque grates quas devotus concino,
Namque scio, sic me pio placiturum Domino.
O beata, benedicta, gloriosa domina,
Quæ divinâ medicinâ mundi purgas crimina.
Fœlix Mater cujus venter omni carens maculâ,
Regem texit, atque vexit qui gubernat sæcula.
Quàm sacratæ quàm beatæ, manus, atque brachia,
Quę paverũt, quæ gesserunt, per quẽ vigent omnia.
Culpa Evæ corruptelæ fecit nos obnoxios,
Tu captivos adoptivos facis Dei filios.
Virgo mitis imperitis lumen da scientiæ,
Et afflictis pro delictis posce munus veniæ.
Quæ es sola plena schola virtutum Cælestium,
Intuere & medere morbis te poscentium.
Quis narrare, quis pensare tua possit merita,
Per quam gratiis captivatis est libertas reddita.
Non est sensus sic extensus ut tot laudes disserat,
Nec humanum os tam sanum ut tot voces proferat.

Nullum nævũ, nihil ſævũ,nil quod lædit contines,
Tam decore, quam honore univerſis præmines:
Omnes orent & honorent tuam excellentiam,
Quamvis plenè nullus benè tuam narret gloriam.
Licet dignè tam inſigne nullus laudet meritum,
Magnum tamen eſt juvamen hoc fateri debitum.
Stella maris, quæ præclaris emicas virtutibus,
Prædicata & laudata a ſupernis civibus.
Ab errore tuo more pereuntes libera,
Fac redire & largire gratiarum munera.
Primum quidem nobis fidem tuis auge precibus,
Et da nobis, ut te probis imitemur actibus.
Spe labentes firma mentes, charitate robora,
Fac concordes, pelle ſordes excuſa facinora,
Jeſſe proles, ſolue moles quæ me premunt ſcelerũ,
Atque pacem da feracem perfectorum operum.
Truculentus & cruentus hoſtis inſtat nimium,
Nempe certat ut ſubvertat me per carnis vitium:
Nunc latenter, nunc patenter non ceſſat irruere,
Quærens artem atque partem quâ poſſit ſubripere.
Conſervare me dignare glorioſa Domina,
Et relide homicidæ furentis conamina.
Sermo vanus aut inſanus mihi non ſubripiat,
Non auditus, non pruritus gulæ me dejiciat.
Non me tactus, aut ol factus ad peccandũ excitet,
Non me riſus, non me viſus, aut furor præcipitet.
Sic nociva incentiva ſopiantur corporis,
Ut frigeſcant & quieſcant pravi motus pectoris.
Sit ſerena mens, & plena ſpiritali gaudio,
Illuſtrata & purgata veræ lucis radio.
Meum pectus ſic affectus charitatis repleat,
Ut ab eo quidquid Deo diſplicet, removeat.
O Maria vitæ via, plena Dei gratiâ,
Inter Deum & hunc re um precor, ut ſis media.

Funde precem, ne in necem decidam perpetuam,
Ut sim castus, atque fastus hujus mundi respuam.
Ille ductor & instructor adsit mihi spiritus,
Qui te mundam & fœcundam fecit esse cœlitus.
Illa, inquam, ne delinquam me conservet gratia
Quâ replevit te, qui flevit inter tua brachia.
Orbis rector & protector noster clementissimè
Hos iuvise, ut elisæ convalescant animæ.
Lumen sparge tuæ largæ super nos clementiæ
Atque mœstis da cœlestis solamen lætitiæ.
Dei fili ex hostili serva me fallaciâ:
Da, ut fiam per Mariam tua dignus gratiâ.
Ob amorem & honorem matris tuæ tribue,
Ut cum bonis fruar donis quietis perpetuæ.
Te rogamus, & laudamus per ipsius meritum,
Ut æterni nobis Regni clemens pandas aditum.
Pater Deus, Fili Deus, Deus alma charitas
Per æterna nos guberna sæcla, Deus Trinitas.
Amen.

X.

O Regina quam divina præelegit gratia,
Cujus partus sacrosanctus instauravit omnia.
Quæ odorem gratiorem thure das, & balsamo,
Quâ excelsus est egressus ut sponsus de thalamo.
Mater Regis, per quam legis panduntur mysteria,
Cujus natum olim vatum canebant præconia.
Fons virtutum da ut lutum vitiorum deseram,
Mentis visum, atque nisum ad superna transferam.
Sic infundas quâ redundas cordi meo gratiam
Ut terrena, fide plenâ præditus, despiciam.
Mater Dei, cordis mei munda penetralia,
Ac meorum labiorum diluë contagia.
Ut peccatis expurgatis, Deum honorificem,
Et a corde pulsâ sorde laudes tuas prædicem.

O benigna laude digna, quis te possit colere,
Quæ ditari singulari meruisti munere.
Cum aurora sit decora, quando rubens oritur,
Comparatâ, minus grata, minus pulchra cernitur.
Luna clara, quam præclara, nullis tecta nubibus,
Sed majorem tu fulgorem puris infers mentibus,
Cunctis horis lux fulgoris tui nos lætificat,
Nam vix una nocte luna super terram emicat.
Luna plena sit amœna, sed defectum patitur,
Modo patens, modo latẽs, nunquã stare noscitur.
Tu corusca, numquam fusca nostri dux itineris,
Non obtecta, sed electa sicut sol aspiceris.
Est reverâ solis sphæra mirâ luce prædita,
Sæpe tamen ob velamen, nobis est abscondita.
Tu præclara namque rara cuncta supergrederis,
Quæ nec tectũ, nec defectum aut occasum pateris.
Tota munda & jucunda, tota es mirabilis,
Tibi vita, nec audita, nec est visa similis.
Cives poli, tuæ proli semper cantant gloriam,
Venerantes & mirantes tuam excellentiam.
Angelorum nempè chorum dignitate superas,
Principatus, Potestates, & virtutes cæteras.
O quàm grata & beata, tua est memoria,
Actiones & sermones tui sunt remedia.
Cuncta recta, & perfecta, cuncta sunt salubria,
Ex his venit, quæ nos lenit, vitalis fragrantia.
Gratulamur, & conamur laudes tuas canere,
Quamvis totum cor devotum, nequeat exprimere.
Sic est densa, sic immensa laudis tuæ copia,
Ut profunda & facunda succumbant ingenia.
Nemo præbet quantas debet laudes tuæ gloriæ,
Qua processit, qui repressit authorem maliciæ.
Benedicta, quæ relicta vana carnis gloria,
Æternorum gaudiorum extitisti nuntia.

Benedictus, qui afflictus crucis in patibulo,
Nos salvavit ,& donavit pacem suo populo.
Virgo mitis, infinitis prædicanda laudibus,
Tuum natum fac placatum cunctis te colentibus.
Da perfectum intellectum, quo devitem noxia,
Fac me nosse,& da posse hæc quæ sunt utilia.
Curam gere ut sincere conversari studeam,
Et devotus carnis motus spiritu coërceam.
Mater agni qui tyranni victor cœpit spolia,
Quo elisi Paradisi caremus lætitiâ.
Noxas dele parentelæ meæ tuis precibus,
Et da cunctis mihi junctis frui bonis omnibus.
Virgo sancta, mater casta, David proles inclyta,
Piâ prece, nos de nece peccatorum suscita.
Proles Jesse, perquam fessæ roborantur animæ,
Fac nos fortes,& cohortes tenebrarum reprime.
Ab his telis, tuos velis supplices deffendere,
Quibus perit, quisquis quærit carni satisfacere.
Virgo lenis nos a pœnis salva gehennalibus,
Nec substerni nos inferni sinas cruciatibus.
Vitam lætam & quietam fac nos semper agere,
Ut virtutis & salutis gaudeamus munere.
Supplex oro,ut in choro te sanctorum videam,
Et divinæ sine fine dono lucis gaudeam.
Jesu Christe,per quem iste mũdus primo factus est
Homo Deus, per quem reus homo liberatus est.
Metuende rex deffende nos a malis omnibus,
Redde vicem hanc fœlicem Mariam colentibus.
Ut restaures nos, hæc aures tuas pulset precibus,
Hæc sustentet & presentet tuis nos aspectibus.
Rex æterne, pio cerne supplices intuitu,
Et illustra corda nostra tuo sancto spiritu.
Propter illam quæ ammmillam tibi dedit parvulo,
Munimentum & augmentum tuo præsta populo.

Pastor bone, à leone tuas oves libera,
Et cum illis qui in cælis gaudent, nos annumera.
Regi magno laus & agno, Patri atque filio,
Flaminique qui utrique compar est imperio.

X I.

BEatarum fœminarum, virgo beatissima,
Illum gerens, qui nos parens visitavit infima.
Regis Mater, cujus Pater non cognovit fœminam,
Mater ejus, mundi hujus qui gubernat machinam.
Quæ cœlesti adimplesti totum orbem dogmate,
Nos emunda, quo fœcunda facta es charismate.
De terreno fac me cœno nisu mentis surgere,
Atque totum meum votum ad summa dirigere.
Ut non segnis summis regnis admisceri studeam,
Ne ab istis exul tristis sine fine maneam.
O beata fiant grata nostra tibi cantica,
Nec sit vilis hæc exilis tibi laus & modica.
Grates solvo, dum revoluo quanta nobis feceris,
Dum perpẽdo, quã horrẽdo malo nos substraxeris.
Crimen Evæ fecit breve nostræ vitæ spatium,
Infinitæ per te vitæ nobis datur gaudium.
Non est justum tam venustum opus, & piissimum
Oblivisci, quod addisci convenit potissimum.
Immò verè hoc silere magnum est periculum,
Quo purgari & salvari constat omne sæculum.
Prædicandus & laudandus tui fructus uteri,
Tua gesta manifesta debent cunctis fieri.
Gabrielis est de cœlis ad te factum nuntium,
Quod conpletum, hosti metũ, nobis dat præsidiũ.
A præclarâ missus aulâ, sublimique solio
Fert secreta, quæ repleta sunt perenni gaudio.
Sic legatus destinatus ob regales nuptias
Petit terras, ut supernas pandat amicitias.
Ad terrenas officinas est elapsus æthere,

Dei nutum & statutum tibi curat pandere.
Ad te tendens, quæ resplendens eras stirpe Regiâ,
Deo chari, & pręclari Regis David filia.
Mente mitis, margaritis gratiarum prædita,
Nulli nocens, omnes docens, vita Deo placita.
Jam adulta & inculta, non mente sed corpore,
Sancta vultu, sancta cultu, prorsus sancta pectore.
Primis annis plena magnis thesauris scientiæ,
Deo chara, & ignara totius malitiæ:
Vincens sexum, & complexum carnalem despiciens,
Deo placens, sive tacens, sivè os aperiens.
Corde prudens, semper studens legis observantiæ,
Ex his sanè non humanæ laudem quęrens gloriæ.
Actione & sermone irreprehensibilis,
Et cunctarum gratiarum fulgore mirabilis.
Divinorum secretorum lator, ad te properat,
Fert arcanum, quod humanum genus fide liberat.
Nec silendum, quā stupendum honorem exhibuit
Te mirante, nam hoc ante, nulla, nec post meruit.
Hic legatus est testatus cunctis te præcellere
Planè quando, te mirando salutavit genere
Pandit ore cum honore, quod futurum noverat
Et declarat, quod Rex parat, qui tę consecraverat
Salutavit, nuntiavit Dei beneficium,
Ore blando declarando haberes quod filium.
Primum, ave, post suave depromit mysterium,
Quod est ingens & pertingens ad salutem omnium.
O Maria, Deo digna, plena, inquit, gratiâ,
Benedicta, & beata sæcula per omnia;
Amans Deum, apud eum invenisti gratiam,
Quæ repleta, eris læta prolem gignens Regiam.
Ne formides, sola fides, dabit tibi filium,
Contra morem, salvatorem generabis omnium:

Mater eris & diceris omnis orbis Domina;
Eris Parens, ſed non carens caſtitate priſtinâ.
Ne turberis, ne mireris, audiens, quod paries,
Gignes quidem, ſed ut pridem Virginem te ſenties.
Appetitus, & pruritus carnis ignorabitur,
Partum tamen in te flamen ſanctum operabitur.
Summa virtus, atque ſanctus te replebit ſpiritus,
Ut cunctorum ſæculorum Rex, tuus ſit genitus.
Eris prægnans, nāque regnans in æternū Dominus.
Sumet corpus, per quod opus mundi tollet facinus.
Sic ſalvabit, quem purgabit à peccatis populum,
Regnaturus & daturus, regnum his in ſæculum.
Exultabunt, & laudabunt te, fideles fœminæ,
Erunt omnes nationes tuo ſalvæ munere.
Credidiſti quod audiſti mente devotiſſimâ,
Ante partum & poſt partum manens integerima,
Ut ſcripturæ prædixere facta es puerpera,
Jam cum nato coronato regnas ſuper æthera.
Univerſæ jam converſæ gentes te magnificant,
Te precantur, te mirantur ac devotè prædicant.
Sunt cæleſtes chori teſtes quibus es præpoſita,
Te cunctorum electorum tranſcendiſſe merita.
Totus orbis te pro morbis & neceſſitatibus,
Deprecatur, ut fruatur optatis ſucceſſibus.
Te laudamus & rogamus fœminarum gloria,
Tuam prolem, verum ſolem, nobis reconcilia.
Nos conſerva, ne caterva lædat adverſantium,
Atque cæcis tuæ precis porrige ſubſidium.
Preces funde, ne immundæ ſuccumbam cupidini,
Ut mens mea non ſit rea in conſpectu Domini.
Stella maris quæ ignaris ſubvenis, & perditis,
Ne amaris patiaris abſorberi fluctibus.
Qui extollunt, atque colunt te devotis mentibus,

Virgo mitis ab ignitis me jaculis libera,
Quibus cadunt, qui non vadunt tua per itinera.
Gemebundus fero pondus, culparum ingentium,
His solutum ad virtutum trahe me fastigium.
Alma Virgo, supplex rogo tuam excellentiam,
Ut æternam per te çernam tui nati gloriam.
Amen.

XII.

O Messia de Maria nate semper Virgine,
Qui purgasti & salvasti mundũ tuo sanguine.
Author vitę nobis mitte veritatis spiritum,
Ut sciamus & agamus, quod est tibi placitum,
Da virtutem, ut immutem usum pravi operis,
Dona, inquam, ut relinquam cursum vitæ veteris,
Rex immense, me recense in terra viventium.
Nec sis memor, quibus premor peccatorum omnium,
Culpas lava, quibus prava sordet conscientia.
Ut sincerâ mente, pura comprehendam gaudia,
Nec in lacum me opacum permittas descendere,
quò mittuntur qui præmuntur peccatorũ pondere,
Lux æterna sic guberna quos vocasti filios.
Ut incessus, atque gressus devitemus noxios,
Judex juste rogamus te ut des cunctis veniam,
Qui Mariæ matris tuæ diligunt memoriam,
Sit divinæ sine fine decus atque gloria.
Majestati, quâ creati sumus nos, & omnia.
Amen,

XIII.

Virgo splendens, quæ transcendens electorum ordines,
Magistratum & primatum sanctitatis obtines.
Quę enixa, non amissâ castitate, Dominum,
Viam pacis, ire facis nos ad Patrem luminum.

Stella maris, quæ testaris erroris itinera
Relinquenda, & agenda novę lucis opera;
Fons virtutum sic pollutum meum os purifices,
Ut favore digna fore mea verba judices,
Importunus & indignus tuis sum præconiis,
Cum obsessus & oppressus multis sim flagitiis:
Tamen spero, quod non ero expers voti penitùs,
Si te colam, per quam solam est ad vitam reditus.
Benedicta cujus vita summo regi placita
Hostem stravit, culpam lavit, restauravit perdita.
Mater Dei, preces ei funde, quæ nos muniant;
Preces funde, ut secundæ quæque res eveniant.
Tuas preces efficaces esse numquam ambigit.
Quisquis illum quem pusillum lactavisti, diligit.
Virgo lenis a venenis me draconis libera,
Cujus doli celsa poli labefactant sydera:
Pensa, pensa, quâ immensam carnis sit fragilitas,
Quàm iniquùm inimicùm nostra fert humanitas,
Dei aula circumvalla tuo nos munimine,
Reos solve, justos fove, imbecilles substine.
Mediatrix & salvatrix infirmarum mentium,
Fave votis, dans ęgrotis optatum remedium.
Cęcis lumen & acumen caligosis repara,
Leva pressos, juva fessos, mœrentes exhilara.
Egenorum & vinctorum consolare gemitum,
Peregrinis & captivis gratum posce reditum,
Ut lætantes navigantes veniant ad littora,
Violentos claude ventos mota sedans æquora.
Inimicos fac amicos, & benignos invicem,
Ut non gravem, sed suavem sentiamus judicem.
Pro Judæis licet reis, tuum roga filium,
Ut agnoscant hunc, & poscant ejus adjutorium.
O Magistra & ministra verę sapientię,
Fac me rectum, & perfectum in via justitiæ.

Poſce natum, ut reatum meum ipſe deleat,
Et implora, ut in horâ mortis nîl me terreat.
Ora regem, ut ſic legem ipſius cuſtodiam,
Et ex mundo tranſeundo lætus hunc aſpiciam.
O beata ſic peccata tuis dele precibus,
Quæ commiſi, Paradiſi ut quieſcam ſedibus:
Te colentes fac gaudentes, cuncta pelle noxia,
Et procura ut manſurâ perfruamur gloria.
Maris ſtella ſic compella aures ſummi judicis;
Ut nos feſtis Rex cœleſtis ſociet Angelicis;
Ut in ſorte & cohorte ſupernorum civium
Numeremur, & lætemur in terrâ viventium.
Amen.

XIV.

Vitæ dator & plaſmator, ac Redemptor hominis,
Clavis David, quem portavit venter almæ virginis;
Benedicte Rex dimitte cuncta mihi debita
Quæ contraxi, nam hæc auxi, ſemper agens vetita.
Heù quam malè, ſpiritale Baptiſmi myſterium
Violavi, nam fœdavi me per omne vitium.
Male feci, quod ſubjeci me pravis ſpiritibus
Serviendo, & favendò ſceleratis actibus.
Fili Dei, cordis mei diſſipa caliginem
Ne deſcendam in horrendam inferni voraginem.
Interventu & obtentu matris tuę virginis,
Me timore & amore reple tui nominis.
Pius eſto, & memento, quid pro nobis feceris,
Pro indignis & malignis quanta ſuſtinueris;
Preces audi, & cuſtodi nos a cunctis hoſtibus,
Exoratus & placatus matris tuæ precibus;

Intercedat hęc, & reddat nobis te placabilem,
Quem portavit atque pavit lacte factum humilem.
Propter eam, quæso meam munda conscientiam;
Ne offendam reverendam vultus tui gloriam.
O Beate, pietate tuâ me justifica,
Quid gerendum, quid dicendum, mihi semper indica.
Deus homo, fac de domo nos exire carceris;
Et jam dones mansiones, quibus ipse cerneris.
Tuum vultum nunc occultum, tuis jam fidelibus;
Manifesta, atque pręsta pacem te colentibus.
Fac intrare nos pręclarę tuæ domus atria,
Atque bonis mansionis nos supernę satia.
Tibi nato, cum beato Patre laus & gloria,
Flaminique, qui utrique compar est per omnia:
Amen.

X V.

LAus fidelis Israëlis Virgo plena gratiâ,
Quę dum paris, non privaris virginali gloriâ.
Quam præscitam & electam Deus ante secula;
Benedixit, & promisit per vatum oracula.
Jesse virga, sic nos purga vitiorum sordibus,
Ut remotis his, devotis, te laudemus mentibus.
Insensatos, & ingratos esse Dei gratiæ,
Se ostendunt, qui non reddunt laudem tuæ gloriæ.
Se se fraudat qui non laudat genitricem Domini;
Qui non orat hanc, ignorat quid sit datum homini.
Precor ergo, sacra virgo, ut meum obsequium;
Sit acceptum, nec ineptum sit laudantis studium.
Benedictus

Benedictus sit beatus tui fructus uteri,
Cujus dono pax humano restauratur generi.
Quam jocundum lux in mundum venit indeficiens
Carne sumptâ ex innuptâ matre, nobis oriens.
Res novella, quod puella Regem nostrum genuit,
Regem magnũ, nec sic damnum pudoris substinuit.
Quam sacrata, & beata genitricis ubera,
Ex quâ natus & lactatus est, qui regit sydera.
O mammillæ quibus ille parvulus nutritus est,
Jussu cujus, mundi hujus ornatus perfectus est.
Protoplasti culpâ cuncti gloriam amisimus,
Per consortem ejus, mortem geminam incurrimus.
Per Mariam dum Messiam ejus natum sequimur,
Immortales & æquales angelis efficimur.
Dei Mater fac gratanter tua nos solemnia
Celebrare, & vitare Carnis desideria.
Virgo mitis, impeditis, libertatem postula,
Pelle falsa, & relaxa delictorum vincula.
Maris stella seda bella, seda malos homines,
Ne nos mergant, aut dispergant mundi hujus turbines.
In hoc mari dominari non permittas Spiritus,
Quibus mentes imprudentes subruuntur funditus.
Ex hoc freto, tuo peto erui præsidio,
Et postremò in supremo Collocari gaudio.
Iter tutum, per virtutum gradus mihi præpara,
Pressum leva, ne in sæva miser ruam tartara.
Magnum onus gesto pronus, culparum congerie,
Onus grave quod est pravæ pœna conscientiæ,
Audiendo & videndo, verbis & operibus
Me destruxi, & seduxi variis erroribus.
Virgo clemens, tuam gemens precor excellentiam,
Ut cunctorum delictorum mihi poscas veniam.
Mater bona mente pronâ deprecor ac supplico,

Da virtutem, ut non nutem impetu demonico.
Te requiro, ut a diro hoste me custodias,
Et coronam sempiternam mihi dari facias.
Sit voluntas; nam facultas tuum velle sequitur;
Quidquid voles, tua proles dare non morabitur.
Virgo pulchra, fulgens ultra cuncta cæli sydera,
Postulamus, ut sumamus per te vitæ munera.
Curam gere, ut videre mereamur filium;
Quære pacem, ne minacem vibret in nos gladium.
Meam vitam fac munitam fide, & operibus,
Ut ad cænam intrem plenam bonis immortalibus.
Dei verbum, qui superbum cruce vincens zabulum
Expiasti protoplasti noxam, tuum populum,
A malignis pro indignis patiens crudelia,
Ut terrenos & egenos sublimares gloriâ:
Rex cœlestis, sic modestis me perorna moribus,
Ut bonorum æternorum dignus sim muneribus.
Munimentum sit credentum ejus intercessio;
Quæ te pavit, & gestavit sacro-sancto gremio.
Reis parce, qui ab arce missus es æthereâ,
Carne sumptâ, ut corrupta restaurares terrea.
Tua mundet, & fæcundet corda nostra gratia,
Ut virtutum feram fructum expellendo vitia.
Innocenter & prudenter fac nos cuncta gerere,
Ne phantasma tuum plasma possit ullum fallere.
Fac me cautum atque promptum in hoc vitæ stadio,
Ut per fletus fruar lætus summæ pacis bravio.
Amen.

XVI.

STella maris, singularis mater excellentiæ,
Quæ post natum, principatum tenes sancti-moniæ,
Stella maris summi Patris ex quâ nasci genitus

Est dignatus, per quem datus est ad vitam reditus;
Roga Christum, ut auditũ præbens te colentibus
Nos gubernet, & exornet gratiæ muneribus.
Salve Virgo, quæ nos jugo absoluisti criminis
Quo ligavit nos & stravit primi lapsus hominis.
Jesse Virga, omnis lingua debet te percolere,
Tibi gentes debent grates atque laudes reddere;
Nam dum verbum sempiternum summi Patris generas,
Tuo partu à reatu nos antiquo liberas.
Reges multi atque justi per divinam gratiam
Inspirati, tui nati poscebant præsentiam.
O beata revelata per te nunc Prophetica
Sunt secreta, & completa legis priscæ mystica.
Virga florem, contra morem atque fructum arida
Germinavit, quæ signavit quod tu fores gravida.
Tu nimirum, numquam virum fassa prolem Regiam
Edidisti, nec sensisti pariens tristitiam
Stella maris, quæ dum paris, non perdis signaculum
Castitatis, a pecatis tuum solve servulum.
Virgo splendens, quæ ascendens sicut fumi virgula,
Procedentis ex pigmentis, omni cares maculâ,
Fit salutis causa cunctis, quod te Deum credimus
Genuisse, & mansisse Virginem asserimus.
O Maria dulcis, pia, nobis fer auxilium,
Cujus nomen, dat solamen miseris, & gaudium:
Nomen sanctum, per quod planctum æternum evasimus,
Nomen bonum, per quod donum salutis accepimus,
Jesse virga tuum roga benedictum filium

Ut nos servet, & enervet fraudes adversantium,
O beata postulata nobis clemens obtine,
Redde tutos & exutos nos ab omni crimine.
Dei mater incessanter nobis posce veniam,
Et cunctorum commodorum confer affluentiam.
Aufer bella, & flagella, famem, pestem, gladium,
Tribulatis pietatis impende solatium.
Pax, & quies nostros dies faciant lætissimos,
Ne languores, aut mærores nostros gravent animos.
Mater bona, nobis dona tuum Patrocinium,
Ut regnemus, & laudemus tuum semper filium.
Factor orbis, qui pro nobis natus es ex fœminâ,
Crucis pœnâ aliena qui purgasti crimina:
Ad te clamo, ut ex hamo me peccati liberes,
Et coronæ sempiternæ donativo muneres.
Matris prece, me de nece quam formido libera;
Pelle metum, fac me lætum cuncta sanans vulnera.
Rex virtutum, fac devotum me in tuæ laudibus
Genitricis, quæ pudicis gessit te visceribus.
Ejus laudes contra fraudes inimici faciant
Nos invictos, & afflictos a male eripiant.
Rex perennis, fac me regnis gaudere cælestibus
Cum amicis genitricis tuæ sanctis precibus.
Inter oves quas tu foves, pietatis gratiâ
Me recense, atque mensæ tuæ bonis satia.
Illibatæ matris nate, Christe spes fidelium,
Da cum sanctis, ignorantis finem Regni gaudium.
Tibi nato, cum beato Patre, laus & gloria,
Flaminique, qui utrique compar est per omnia.
Amen.

XVII.

MAter Dei, perquam rei consequuntur veniam.

Quæ vicisti maledicti serpentis astutiam:
Benedicta, fac nos ita tua festa colere,
Ut venturam per te iram; possimus evadere.
O insignis, ut te dignis valeamus laudibus
Venerari, fac mundari, nos a culpis omnibus.
Te laudare, prædicare, atque benedicere
Delectantur, qui conantur ad summa pertingere:
Nam, & ipsi quondam missi cæli cives incliti,
Congaudebant, nec tacebant quanti esses meriti.
Virgo fœlix, per quam cælis atque terris gaudium
Est tributũ, quæ virtutum gemmis fulges omnium;
Deprecare, ut vitare nos peccata faciat
Rex æternus, ne infernus post mortem deglutiat.
Virgo sancta, cerne quanta perferamus jugiter
Tentamenta, & sustenta nos, ut stemus fortiter
Heu, quid feci, cum me neci tradidi perpetuæ,
Vanitate captus vitæ brevis & exiguæ;
Quantis visus sum elisus & auditus lapsibus,
Gustus, tactus, & olfactus, vulneratus sensibus.
Virgo mitis, ad te tristis & mærens confugio,
Meliorem ad languorem curam non invenio;
Te rogare, singulare lapsis est remedium
Sanitatis; vulneratis per quam datur gaudium.
Te requirat, qui suspirat pressus mole criminum;
Habens ratum, quod placatũ reddes ei dominum.
Deo juncta potes cuncta dare te rogantibus,
Cum malignis &, benignis imperes spiritibus.
Quæ seductis, spes salutis esset aut solatium,
Si non nobis factor orbis daret hoc remedium:
Si divina medicina defuisset vulneri,
Quid facturi, quo ituri, nos eramus miseri!
Mater prima nos ad ima suo traxit crimine,
Nunc reatus est ablatus tuæ prolis sanguine.
Nunc regressus est concessus, ad superna gaudia,

His qui vincunt & relinquunt mundi desideria,
Cunctis sanctis es pro tantis grata beneficiis,
Cunctis chara & præclara magnis privilegiis.
Virgo mitis, a delictis nos emunda precibus,
Ut purgati, simus apti jungi cæli civibus.
Lumen verum, factor rerum, mũdi rector fabricæ,
Tot procellis, tot flagellis nos afflictos respice
In diebus nostris, rebus nos secundis sustine,
Et custodi nos ab omni incorruptos crimine.
Fide muni nos, & uni charitatis munere;
Nullus terror, nullus error possit nos subjicere.
Rex æterne a gehennæ salva nos supplicio,
Quos peccato soluis dato mortis tuæ pretio;
Prece matris nos ab atris libera spiritibus,
Ne cum ipsis pro commissis, damnemur reatibus.
Jesu bone, visione tua nos lætifica;
Sic guberna nos, ut regna consequamur cœlica.
Tibi nato, cum beato Patre laus & Gloria,
Flaminique, qui utrique compar est per omnia.
Amen.

XVIII.

ODE SAPPHICA.

O Salutaris virgo stella maris,
Generans prolem æquitatis solem,
Lucis auctorem, retinens pudorem,
Suscipe laudem.

Cœli Regina per quam medicina
Datur ægrotis, gratia devotis,
Gaudium mœstis, mundo lux cœlestis,
Spesque salutis.

Aula regalis, Virgo specialis,
Posce medelam nobis & tutelam,
Suscipe vota, precibusque cuncta
Pelle molesta.

Virtutum chori summo qui rectori
Semper astatis atque jubilatis,
O vis remotæ memores estote,
Nosque juvate.
Fœlices estis patriæ cœlestis
Cives, cunctorum nescii malorum
Quæ nos infestant, miseramque præstant,
Undique vitam.
Vnde rogamus, atque supplicamus,
Ut foveatis, atque muniatis,
Vestros conservos quorum rex super vos,
Cum patre regnat.
Patriarcharum atque prophetarum
Pollens senatus diluat reatus,
Sedens in thronis, renitens coronis,
Vestibus albis.
Ordo sanctorum nos Apostolorum,
Regat docendo, foveat regendo,
Votis intendant, supplicesdefendant,
Vincula solvant.
Pacis augmentum, poscat innocentum,
Grex candidatus, quos rex perturbatus
Iussit necari, metuens privari
Culmine regni.
Triumphatores mundi qui terrores,
Fide vicerunt, gloriam spreverunt,
Nobis suorum præstent triumphorum
Gaudia secum.
Impetret votum chorus sacerdotum,
Necnon cunctorum cœtus confessorum;
Omnes qui gratum Deo famulatum
Exhibuerunt.
Grex virginalis oret ut de malis,
Sæcli præsentis, sicut & sequentis,

Eripiamur, & quod postulamus,
Accipiamus.
Universorum cunei sanctorum,
Cœlo regnantes audiant rogantes,
Quibus adjuti mereamur uti,
Luce perenni.
Omnes electi compotes effecti
Vitæ beatæ, Dominum rogate,
Nobis ut lætam donet & quietam
Ducere vitam.
Præstet levamen nobis & juvamen,
Quò mundi fluctus, gehennæque luctu
Sic evadamus, ut quod peroptamus,
Obtineamus.
Lux sempiterna piè nos guberna,
Pater ac nate parque deitate,
Spiritus sancte, Deus unus ante
Sæcula trinus. Amen.

Exemplar hymni secundi omni die *ex partitione Horstii de quâ in dissertatione. Addidimus distinctum singulis diebus pensum.*

DECAS. I.

Die lunæ. OMni die dic Mariæ
Mea laudes anima:
Ejus festa, ejus gesta,
Cole devotissima.
Contemplare & mirare
Ejus celsitudinem.

Dic felicem genitricem,
Dic beatam Virginem.
Ipſam cole, ut de mole,
Criminum te liberet.
Hanc appella, ne procella
Vitiorum ſuperet.
Hæc perſona nobis dona
Contulit cęleſtia,
Hęc Regina nos divinâ
Colluſtravit gratia.
Lingua mea dic trophæa
Virginis puerperæ,
Quę inflictum maledictum
Miro transfert germine.
Sine fine dic Reginę
Mundi, laudum cantica:
Eia bona ſemper ſona,
Semper illa prædica.
Omnes mei ſenſus ei
Perſonate gloriam.
Frequentate tam beatæ
Virginis memoriam.
Nullus certe tam diſertæ
Extat eloquentiæ,
Qui condignos promat hymnos,
Ejus excellentiæ.
Omnes laudent unde gaudent
Matrem Dei Virginem.
Nullus fingat quod attingat
Ejus celſitudinem.
Sed neceſſe, quod prodeſſe
Piis conſtat mentibus,
Ut intendam, quod impendam
In ipſius laudibus.

Ave Maria.

DECAS. II.

Die Martis.

QUamvis sciam, quod Mariam
Nemo digne prædicet,
Tamen vanus & insanus,
Quisquis illam reticet.
Cujus vita erudita,
Disciplina cælica,
Argumenta & figmenta,
Destruxit hæretica.
Cujus mores tanquam flores,
Exornant Ecclesiam
Actiones & sermones,
Miram præstant gratiam.
Evæ crimen nobis limen
Paradisi clauserat
Hæc dum credit & obedit,
Cęli claustra reserat.
Propter Evam homo sævam
Accepit sententiam:
Per Mariam habet viam,
Quæ ducit ad patriam.
Hęc amanda & laudanda,
Cunctis specialiter.
Venerari, prædicari,
Eam decet jugiter.
Ipsa donet, ut quod monet
Natus ejus, faciam:
Ut finitâ carnis vitâ,
Lętus hunc aspiciam.
O cunctarum fæminarum
Decus atque gloria,
Quam electam & evectam
Scimus super omnia.

Clemens audi, tuæ laudi
Quos inſtantes conſpicis.
Munda reos, & fac eos
Donis dignos cælicis.
Virga Jeſſe, ſpes oppreſſæ
Mentis & refugium,
Decus mundi, lux profundi,
Domini ſacrarium.

Ne denarius numerus aligaris conjungerem ſequenti

Ave Maria.

DECAS. III.

Die Mercurii.

VItæ forma, morum norma,
Plenitudo gratiæ
Dei templum & exemplum,
Totius juſtitiæ.
Virgo ſalve per quam valuæ
Cæli patent miſeris,
Quam non flexit, nec allexit
Fraus ſerpentis veteris.
Generoſa & formoſa,
David regis filia.
Quam elegit Rex, qui regit
Et creavit omnia.
Gemma decens, roſa recens,
Caſtitatis lilium,
Caſtum chorum ad polorum
Quæ perducis gaudium,
Actionis & ſermonis
Facultatem tribue,
Ut tuorum meritorum
Laudes promam ſtrenue.
Opto nimis ut imprimis
Des mihi memoriam,
Ut decenter & frequenter

Tuam cantem gloriam.
Quamvis muta & polluta
Meà ſciam labia,
Præſumendum nec ſilendum
Eſt de tua gloria.
Virgo gaude omni laude
Digna & præconio,
Quæ damnatis libertatis
Facta es occaſio.
Semper munda & fœcunda
Virgo tu puerpera,
Mater alma velut palma
Florens & fructifera.
Ejus flore & odore
Recreari cupimus,
Cujus fructu nos à luctu
Liberari credimus. Ave Maria.

DECAS. IV.

Die Jouis. PUlchra tota ſine nota
Cujus cumque maculæ,
Fac nos mundos & jucundos,
Te laudare ſedule.
O beata, per quam data
Nova mundo gaudia,
Et aperta fide certa,
Regna ſunt cæleſtia.
Per te mundus lætabundus
Novò fulget lumine,
Antiquarum tenebrarum
Exutus caligine.
Nunc potentes ſunt egentes,
Sicut olim dixeras:
Et egeni fiunt pleni,

Ut tu prophetaveras.
Per te morum corruptorum
Relinquntur devia,
Doctrinarum perversarum
Pulsa sunt præstigia.
Mundi luxus atque fluxus
Docuisti spernere.
Deum quæri, carnem teri,
Vitiis resistere.
Mentis cursum tendi sursum
Pietatis studio,
Corpus angi, motus frangi
Pro cælesti præmio.
Tu portasti inter casti
Ventris claustra Dominum
Redemptorem, ad honorem
Nos reformans pristinum.
Mater facta sed intacta,
Genuisti filium.
Regem regum, atque rerum
Creatorem omnium.
Benedicta, per quam victa
Mortis est sententia.
Destitutis spe salutis;
Datur indulgentia.

Ave Maria.

DECAS. V.

Die Veneris.

Benedictus rex invictus,
Cujus mater crederis,
Nobis datus, ex te natus.
Nostri salus generis.
Reparatrix, consolatrix
Desperantis animę,

A pressura quæ ventura
Malis est, nos redime.
Pro me pete, ut quiete
Sempiterna perfruar,
Ne tormentis comburentis,
Stagni miser obruar.
Quod requiro, quod suspiro,
Mea sana vulnera;
Et da menti te poscenti,
Gratiarum munera.
Ut sim castus & modestus,
Dulcis, blandus, sobrius,
Pius, rectus, circumspectus,
Simultatis nescius.
Eruditus & munitus,
Divinis eloquiis,
Timoratus, & ornatus
Sacris exercitiis,
Constans, gravis & suavis,
Benignus, amabilis,
Simplex, purus, & maturus,
Patiens, & humilis.
Corde prudens, ore studens
Veritatem dicere.
Malum nolens, Deum colens
Pio semper opere.
Esto tutrix & adjutrix
Christiani populi.
Pacem præsta, ne molesta
Nos perturbent sæculi.
Salutaris stella maris
Summis digna laudibus,
Quæ præcellis cunctis stellis,
Atque luminaribus.

Ave Maria.

DECAS VI.

Sabbato. TVa dulci prece fulci
Supplices, & refove;
Quidquid gravat vel depravat
Mentes nostras remove.
Virgo gaude, quod de fraude
Dæmonis nos liberas,
Dum in vera & sincera
Deum carne generas.
Illibata & dotata,
Cœlesti progenie
Gravidata,, nec privata
Flore pudicitiæ.
Nam quod eras, perseveras
Dum intacta generas,
Illum tractans, atque lactans
Per quam facta fueras.
Commendare me dignare
Christo tuo filio,
Ut non cadam, sed evadam
De mundi naufragio.
Fac me mitem, pelle litem,
Compesce lasciviam:
Contra crimen da munimen
Et mentis constantiam.
Non me liget, nec fatiget
Sæculi cupiditas,
Quæ indurat & obscurat
Mentes sibi subditas.
Nunquam ira, nunquam dira
Me vincat elatio,
Quæ multorum fit malorum
Frequenter occasio.
Ora Deum ut cor meum,

Sua servet gratia;
Nec antiquus inimicus
Seminet zizania.
Da levamen & juvamen
Tuum illis jugiter,
Tua festa, sive gesta
Qui colunt alacriter.
Ave Maria.

Die Dominica, ut jam excitavi & monui, integrum hymnum non pigeat recitare, cujus varias lectiones omisimus: quippe facile sit unicuique ex mutuâ utriusque exemplaris collatione eas secernere.



ADDENDA.

ADdenda ad pag. 34. atque inserenda post hæc quartæ lineæ verba: *In cæteris autentis*. secundum exemplar Libri chori amplissimæ, nobilissimæque Abbatiæ Caroli loci prope silvanectum.

1. ITerum quilibet cantus hujus diminutæ progressionis, si in principio sui, à finali ad quartam ascenderit per diatesseron plenariè formatum, & in decitò ad finalem rediens in ea pausaverit, plagalis est. Hoc determino propter quædam principia septimi toni, quæ licet per diatessaron ascendant, ipsum tamen reflectunt, & mox ad quintam prosiliunt. Per hanc regulam hæc Antiphona: *Petrus Apostolus*. plagalis

galis est, licet autenti sui propriam videatur habere compositionem.

D. Restat ut insinues quis cantus sit regularis?

M. Ut eum tibi propriâ & convertibili descriptione comprehendam. Cantus regularis est, qui sibi perfectè consonans suam in se maneriam certificat.

D. Expositione indiget brevis quidem, sed obscura definitio.

M. Ille cantus perfectè sibi consonat in quo nec inconveniens est progressio, nec progressioni, sive dispositioni dissimilis est compositio, nec compositionem dissoluit oppositio.

D. Da exemplum de singulis.

M. In illo cantu est inconveniens progressio, in quo autenticæ elevationi plagalis subjungitur dispositio; qui nimirum inconsulte progrediens, metasque debitas utrobique transgrediens, humano capiti caudam subjungit equinam. Hujus nœvo vitij decolorata sunt hæc responsoria: *Sancte Paule: Cornelius*, & plures alij cantus. Circa quos ut ingrediantur sine maculâ operati sumus justitiam. Inconvenienter etiam cantus ille progreditur, qui nimis contractam habet elevationem. Sicut enim sunt metæ ultra quas non habet ascendere; ita sunt litteræ ad quas eum necesse est ascendere. De omni namque autento certum est, quod necesse est eum ascendere ad quartam. Plagalis autem elevari debet usque ad quartam; vel ad minus usque ad litteram illam in qua incipit suum *seculorum*, si sit antiphona; vel suus versus, si sit responsorium. Assume enim hanc antiphonam, *Clamavi* secundum quod cantatur in quarto tono,

quâ finitâ, si ejus *sæculorum* incœperis, ridiculosum & dissonantem saltum facies. Illa siquidem antiphona non ascendit ultrâ F. Grave; *sæculorum* autem incipit in A. acuto. Propter hoc prolixiorem dedimus ascensum quibusdam antiphonis in hoc vitiosis, scilicet, *Dele Domine*; *Omnis terra*; *Si iniquitates*, & consimilibus.

D. Procede, ut ea quæ sequuntur similis illuminet euidentia.

M. In illo canatu progressioni reclamat compositio, qui ubique autenticam habens compositionem, plagalem alicubi descensum interserit, sicut erat: *Deus omnium*; *Sint lumbi*, & multa alia, tam antiphonæ, quam responsoria. Sunt alij cantus in quibus progressioni compositio consentit, sed dissentit à dispositione; quia secundum naturalem dispositionem litterarum unius sunt maneriæ, sed secundum compositionis similitudinem sub aliâ videntur & dicuntur contineri maneriâ, sicut, *Benedicta tu*, & multæ consimiles antiphonæ; quæ apud fere omnes hoc laborant vitio; quia secundum naturalem dispositionem primæ sunt maneriæ, & tamen propter similitudinem compositionis dicuntur & creduntur esse secundæ. Illius verò cantus compositio oppositione dissoluitur, qui in partibus suis dissimiliter compositus est; ita ut in una parte sui cujusdam toni; in alterâ alterius toni esse videatur, sicut, *Beata Cæcilia*; *Videntes Joseph*; &, *Dedisti Domine*.

D. Qui sunt, qui suam in se maneriam certificant?

M. Qui ita cujuslibet maneriæ carent proprietate, ut in diversarum finalibus maneriarum

pariter terminari possint, & diversorum esse tonorum. De numero quorum erant: *Ecce Sacerdos*, & multi alij cantus septimi toni: *Visita nos*, & multi octavi toni: *Nazaræus vocabitur*, & plures quinti toni: *Miserere mei*, & plures sexti toni.

D. Illas maneriarum proprietates mihi vellem exprimi, quibus cantus innexi diversis non possunt fluctuare finalibus?

M. Qui cantus vitiose composuerunt, vel benè compositos malè notando, vel cantando postmodùm depravârunt, si has quas requiris cognovissent proprietates, non tot cantuum emersissent improprietates. Ut ergo ad interrogata breviter respondeam. In nullo cantu prima vel secunda maneria debet prætermittere semitonium quod finali vicinius est, quin alicubi, vel semel, inveniatur; & sic finales illarum maneriarum alternari non possunt. Similiter omnes cantus quinti toni debent habere sub finali, vel sub quintâ semitonium, vel supra, sextum tonum. Omnes verò cantus septimi toni debent habere sub quartâ semitonium, & præter hoc, vel sub finali tonum, vel supra sextam semitonium, cujus plagalis semitonium sub quartâ, & tonum exigit sub finali.

D. Præmissis quæ ad notitiam tonorum videntur necessaria ad faciendam doctrinam, de singulis potes commodius differere.

M. Tuis quæstionibus prout potui compendiosè respondi, cæteris, si quas habes, eâdem responsurus diligentiâ.

De Tonis in particulari.

M. QUid est primus tonus?

D. Regula autentum primæ maneriæ determinans.

Hujus opusculi 5. exemplaria in choro præfatæ Abbatiæ Caroli-loci conspeximus.

D. Quæ est illa?

M. Quilibet cantus regularis autenticè elevatus vel compositus terminatus in D. vel in A. autentus est primæ maneriæ. Quæ sit autem autentica elevatio, vel compositio, superius dictum est.

D. Quid si cantus aliquis autenticè elevetur, non tamen autenticam sed plagalem habeat compositionem?

M. Hunc sibi vetusta vendicat irregularitas; sicut a novitate usus nostri, ita & a præsenti disputatione alienum.

D. Quod differentias habet?

M. Exclusis multiplicium quæ ab aliis canuntur differentiarum superfluitatibus, tres quibusdam videntur necessariæ. Prima quæ maturis & gravibus, secunda quæ levibus & acutis, tertia quæ mediocribus habeat subservire principiis. Quorumdam tamen importunitate minus discretè brevitatem æmulantium, relictâ eâ quæ gravibus propriè convenit, & in primo tono canitur, reliquis duabus in hoc tono utimur; nam tertiam differentiam quæ illi antiphonæ, scilicet *Nos qui vivimus* adaptatur, magis voluntas quàm ratio retinuit. Cum enim illam abjcerint quę non solùm adeò propria, sed & levior & usitatior est, quâ ratione hanc in uno tantùm psalmo retinuerunt? Utinam tamen vel hac solâ in primo tono contenti fuissent. Cum primi toni proprietatem exprimat, & alii tono servire non possit. Nam de reliquis duabus differentiis neutrum verum est.

Facilè erit vel minimùm peritis ea suo loci aptare.

S. BERNARDI COMMENTARIORUM IN CANTICA CANTICORUM CONTINUATIO AUTHORE G. ABBATI.

CANT. CAPUT III.

I. *In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni.*

II. *Surgam, & circuibo civitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit amima mea.*

III. *Quæsivi illum, & non inveni. Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.*

IV. *Num quem diligit anima mea vidistis? Paululùm cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: tenui eum: nec dimittam donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.*

V. *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.*

IN *lectulo meo*, &c. Non est reversus sponsus ad vocem votumque revocantis, & hoc non Bernard. ser 75. in cant.

indignationis causâ sed dissimulationis gratiâ: ut ejus videlicet cresceret desiderium, probaretur affectus, exerceretur amoris negotium: quia tamen sponsum sponsa diligit, facta cupidior mox ad eum requirendum aviditate tota se dedit, si fortè reperiretur quæsitus, qui non venerat vocatus, dicente Domino: *Omnis qui quærit invenit.* Surgit enim, circuit civitatem, it, redit, *per plateas & vicos*, & non occurrit, non apparet. Interrogantur quicunque fortè occurrerint, nihil certi reportatur, neque vicis unius, aut unius noctis quæsitio hæc; & ista frustratio, cum dicat: *quæsivi per noctes.* Quid hoc desiderii est & ardoris, ut surgens de nocte publicum non erubescat, percurrat civitatem, percunctetur palam de dilecto, atque à vestigandis semitis ejus nulla valeat ratione averti, nulla prapediri difficultate, non tempestivæ retineri amore quietis, non sponsæ verecundia, non vel timore nocturno? Et tamen in iis omnibus frustrata est usque * adhuc desiderio suo. Quid sibi vult hæc pertinax & diuturna fraudatio, tædiorum nutrix, amoris noverca, desperationis mater? sed quatuor sunt causæ propter quas quærentes frustrari solent, cùm videlicet non in tempore quærunt, aut non sicut oportet, aut non ubi oportet, aut non per quem oportet. Sed ut quæ dicentur planiora fiant.

Mat. 7. 8.

* *usque adhuc desiderio: &c.* ita leg. in edit abest *adhuc*

Quatuor causæ cur quærentes frustrari soleant: tres tantum affert S. Bern. ser. 75 prælaudato. *num.* 3

Notandum quod verba ista possunt esse animæ deiformis in persona matris. Aut in propria persona loquentis, & utrumque secundum statum imperfectionis, aut etiam perfectionis. si verò in persona matris, sic sunt verba Ecclesiæ primitivæ secundùm diversos sui status diversi-

Nota, quò auctoris mêtê assequaris facilius in sequenti Commentario.

modè dicentis: *Non inveni & inveni*, secundùm quod in expositione patebit. Et bene anima deiformis sibi appropriat quod est matris, quia cum Ecclesiæ portio sit, nihil separatum habere ab ea se sentit, & matris donum, quodcunque sit illud, sibi attribuit. Ergo cum primitiva Ecclesia tam studiosè & impigrè, nunc quidem in lecto, nunc verò in civitate, aut etiam in plateis vel uicis quæsierit sponsum, cur non invenit? An quia non in tempore suo? si omne tempus aptum est ad quærendum, cur propheta dicit: *quærite Dominum dùm inveniri potest.* Quia erit tempus cum longè factus, nec a fatuis virginibus quibus *ianua clausa* erit, nec ab impiis quos ultores angeli arcebunt ne videant gloriam Dei, poterit, inveniri dicente illo: *Quæretis me & non invenietis*. Ceterùm *tunc tempus acceptabile*, quando Deus antequam invocetur se offert, cum dies est, ideoque oportunitas operandi. Nunc dies salutis quando rex noster operatus est salutem in medio terræ sanguine redemptoris effuso, aridam rigante, inebriante terram quæ in terris, & quæ in cœlis sunt pacificante solum, non autem quæ apud inferos: quia solùm semel sponsi anima illo excurrit, & fecit ea parte redemptionem, ne, vel eo momento vacarent opera * pietatis, sed ultra non adjiciet. Ergo sponsam non impedivit, quod non quæsierit tempore oportuno, nempe invocantem & quærentem in tempore.

Sed nec quod tepide aut negligenter, ceu perfunctorié quæsierit; nam corde ardenti, & omninò infatigabiliter quæsivit, planè ut decuit. Sed quod *in lectulo* quæsivit, ubi non

1. Si opportunum negligatur tempus. vide infra ubi de nocte.

Esa 55. 9.

Mat. 25.
Mat. 7.

Vide notas ed. *Mabill.*

M. Habet etiam * *pietatis* edit *charitatis* meam lectionem probarim; quippe ministerii Christi significantior.

2. Si tepidè fiat perquisitio.

decet quæri? forte in lecto quærendus erat, non in lectulo, cui angustus totus est orbis. Sed nec horret lectulum, qui novit parvulum. Annon lectulus tumulus? Annon lectulus præsepium? Annon lectulus uterus Virginis? lectulus planè. Nam patris uterus non lectulus est, sed lectus magnus: Quamvis nec lectus sit censendus, qui regentis potius quàm jacentis est locus. Sed cur dicit *meo*? quia omne quod infirmum est Dei non de proprio inesse illi manifestum est, sed de nostro. Ex nobis assumpsit, quod pro nobis sustinuit, nasci, lactari, mori, sepeliri. In suo ergo quærebat, qui se jam in sua receperat. Sed nonne, ô sponsa, videras filium hominis ascendentem ubi erat prius: jam cœlum tumulo commutavit, & stabulo, & tu illum adhuc in tuo lectulo quæris? *surrexit, non est hic*: quæritis in lecto* fortem, in lectulo magnum, clarificatum in stabulo, introivit *in potentias Domini*, *decorem induit, & fortitudinem*, & ecce sedet super Cherubim, qui sub lapide jacuit. Sic sanctæ mulieres, sic Petrus & Joannes quæsierunt, & minimè repererunt: quia etsi Ecclesia cognovit olim Christum secundùm carnis infirmitatem, sed nunc jam non novit; ita ut quilibet prædictorum membrorum ipsius dicere potuerit: *in lectulo meo quæsivi quem diligit anima mea; quæsivi illum, & non inveni.* Pulchè sponsa, non quem diligo ego, sed, *quem diligit anima mea*, inquit: quia verè & propriè ad solam pertinet animam illa dilectio quæ aliquid diligit spiritaliter, verbi gratia, Deum, animam, angelum, justitiam, veritatem, pietatem, sapientiam, virtutesque alias hujusmodi. Nam cum se-

[Margin notes:]
3. Si non eo quo convenit loco.
Edit: in * lectulo fortem sed malé.
Marc. 16.
Psalm. 92.
Cant. 3.

eundùm carnem quippiam diligit, vel potius appetit anima, verbi gratia, cibum, vestimentum, domum & hujusmodi quæ sunt corporalia, carnis potius dicendus est amor, quàm animæ.

Ser. sup. lectione 9 edit leg. * Dominium: at nostra lectio ex MS. cod. sanior; quippe hîc Bernardus de rebus corporalibus agat, inter quæ propriè Dominium non numeraveris.

Forté quod non invenit, & hoc impedivit? quia cum parvula saperet ut parvula *per noctes* dilectum quæsivit, ignorantiæ scilicet, in qua *qui dormiunt, nocte dormiunt*, & qui ignorant, nocte ignorant. Sed cur per *noctes* dicit pluraliter. nisi propter diversas & varias quas habet mundus, cum penè ipse totus sit nox, & totus semper versetur in tenebris. Nox est judaïca perfidia, nox ignorantia paganorum, nox hæretica pravitas, nox catholicorum carnalis conversatio, ubi non percipitur ea quæ sunt spiritus Dei. Per istas invalida, infirma quondam sponsa minusque idonea sequi, quæsivit, & non invenit, cum propius & diligentius exploravit, dicentibus tamen omnibus: *Ecce hic est Christus ecce illic*, sed deprehendit noctes esse, quæ se dies mentiebantur, & dixit: *surgam*, quò clarè innuit, quod jacebat, quæ mortuum viventem quærebat. Sed surrexit cognita resurrectione dilecti, ut non quæ *deorsum, sed quæ sursùm sunt*, quæreret, *ubi Christus est in dextera* Patris *sedens*, unde subjungit. *Et circuibo civitatem.* Sed hoc proprium est impiorum, sponsæ autem non proprium, sed propter quemdam excusabilem pietatis errorem, de quo subjungit: *Per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Arbitrata est Ecclesia fortè in Magdalena, aut in parvulis sensu fruendi avidis, sed ignaris mysterii egressum de tumulo publicum mox petisse, ut solitò doceret populos, ac sanaret infirmos,

Thessal. 5.

Marc. 13. c.

Colos. 3. a.

Incipit interpret. ser. 76.

& ut manifestaret gloriam suam in Israël si fortè reciperent resurgentem de morte, qui se recepturos promittebant descendentem de cruce; non advertens, quod opus consummatum erat quod dederat ei pater, ut faceret; & quod fortius ac divinius exaltatus super æthera traheret ad se omnia: Et quia jam tempus est, ut in sinum, in dexteram scilicet patris, sesè reciperet, in quo ejus omnis ejus injuria propulsaretur, quam tulerat in aliena: Et propterea per vicos & plateas, & semel bisque frustrata repetit: *quæsivi illum, & non inveni.* Quasi fide non inveniatur, nisi visu cernatur? non enim aliter existimat Christum intrare in gloriam suam, nisi prius resurrectionis gloria palam mundo innotescente confutetur * impietas, exultent fideles, glorientur discipuli, populi convertantur, demumque ab universis glorificetur ipse; cum ex præsentia resurgentis cunctis claruerit veritas prædicentis. Sed fallitur sponsa: quia magis consentaneum est, ut *Non detur sanctum canibus*, ut, *qui sunt in sordibus, sordescant adhuc*, & justi justificentur magis, ut non dormitent præ tædio cœli, si non ipse pater diutius frustretur a desiderio cordis sui, si non unigenitus ab introitu gloriæ suæ ullatenus retardetur, si non protrahatur petitio in longius, dicentis: *Pater clarifica filium tuum* quæ non est suspicanda in plateis aut vicis debere fieri, nisi fortè in plateis novæ Hierusalem, quæ stratæ sunt auro mundo, & in vicis per quos *Alleluia* cantatur, in quibus revera claritatem recepit a patre, cui non poterit similis inveniri, nec in cœlestibus quidem.

Codex * *confutatur impietas* alii cod. MS. ut in edit *confutetur*: non tamen a prima lectione abhorreo.

Apoc. 22. 6.

Ioan. 17. a

Tob. 13. 22.

Sed tu, ô sponsa, illuc non potes eum sequi

modo, aut te ingerere audes, vel vales huic tam sancto arcano, ut filium in patre, & patrem in filio contuearis. Quære tamen votis, sequere actibus, fide inveni quæ attingit inaccessa, deprehendit ignota, comprehendit immensa, apprehendit novissima, ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu quodammodò circumcludit: quia æternam beatamque trinitatem, quam sponsa non intelligit, credit, tenet fide quam non capit mente. Fidei proprietates insignes.

Sed te, per te sic quærente quid accidit? Quem quærebam non reperi, & ab ipsis quos non quærebam reperta sum, ut eis præcursoribus invenirem quem diu sola quæsieram. Audiant qui sine duce, & præceptore vias vitæ ingredi non formidant, ipsi sibi existentes in arte disciplinæ spiritualis, & discipuli pariter & magistri, quibus non sufficit à vero tramite deviare, nisi secum & alios in errorem ducant. Videant quomodo sponsa prius ad eum quem quærebat non valuit pervenire, quàm sibi occurrerent quorum magisterio ad cognoscendum dilectum uteretur. *Invenerunt me*, ait, *vigiles qui custodiunt civitatem:* Apostoli videlicet eorumque successores boni prælati, vigilantes animo, in orationibus pernoctantes, hostium insidias explorantes, sagaciter anticipantes consilia malignantium, eludentes tendiculas, machinamenta frustrantes, fratrum amatores & populi Christiani.

4. Si per alium quàm par sit.

Bern ser. 77. *num.* 6.

Ver. 3.

Sed quomodo te invenerunt, cum non esses in esse gratiæ, cum ubi quærebas tibi quoque non eras. Sed in opus inventionis sponsæ, sacrique cum sponso connubii, tres sibi invicem coo-

* perantur Deus, Angelus, Homo, quamvis differenter: nam Deus sine motu & æstu, Angelus non sine motu, absque tamen animi æstu; homo verò cum motu pariter & æstu. Deus quoque sola volendi facilitate absque horum adminiculo, ii verò non sine ipso, nec sibi eos ascivit in opus ministerii ad solatium, sed ad eorum profectum, angelis vero ad gaudium, quia diligi cupiunt ab hominibus quos diligunt, ut potè per quos antiqua suę civitatis damna resarcitum iri non ignorant, scientes quod non aliis profecto legibus regnum charitatis regi debet, quàm piis angelorum hominumque qui pariter regnaturi sunt mutuisque amoribus. & puris affectionibus in invicem, & in Deum. In hoc autem sacræ unionis opere tria sibi vendicavit auctor salutis Dominus in quibus omnes suos cooperatores prævenit, prædestinationem ante tempora in æternitate, creationem cum tempore, inspirationem in tempore, ubi, & quandò vellet. Constat quod in prædestinatione electorum quę facta est in profundo æternitatis sinu, antequàm quicquàm in lucem prodiret, nullus angelorum vel hominum Deo potuit cooperari, sed & cum ad nutum creantis inter cæteras species formasque factas emersisset creatione, non continuo ab angelo vel homine potuit inveniri, eo quod non agnosceretur imagine terrestris hominis adumbratâ, & *opertâ mortis caligine*. Latuit ergo sponsa inter gremium beatæ prædestinationis, & inter massam miseræ damnationis. Cæterùm quam celaverat ab æterno prædestinans sapientia, nec satis in manifesto * eduxerat creans potentia, suo tempore revelavit visitans gratia. De sponsi spi-

Ber. serm. 78. in cant. *Cooperantur* ita & alius cod. MS. non vero *concurrũt*, ut notat Mabill. Huic lectioni favent sequentia, *Et Deus quidni operetur*, &c. & infra nũ. 3. *auxiliatores, & cooperatores suos.*

Tres nostræ saluti cooperantur, differenter tamen.

1. Deus sine motu & æstu.

2. Angelus cum motu, atque sine æstu.

3. Homo cum motu pariter & æstu.

At Deus cooperatores suos maxime superat.

1. Prædestinatione.

2. Creatione.

3. Inspiratione.

Job. 10. 21.

* *Nec satis in manifesto eduxerat creans potentia* edit.

ritu in præparationem evangelii pacis humanis spiritum infundendo spiritibus, ut pararent viam Domino, atque Evangelio gloriæ ejus ad corda hominum, quotquot erant prædestinati ad vitam. * Frustra namque vigiles laborassent in prędicando, si non hæc præcessisset inspiratio. Sed postquam viderant in gentibus velociter currere verbum, & populos nationum ad Dominum in omni facilitate converti, & concurrere in unitatem fidei tribus & linguas, atque in unam colligi matrem catholicam terminos terræ, cognoverunt de divitiis gloriæ quę abscunditæ à sæculis tenebantur in abdito prædestinationis ęternæ, & gavisi sunt eam invenisse quam antę sæcula Dominus elegerat in sponsam sibi, propterea se inventam testatur ab eis, non quod eam prædestinando elegerint, sed quòd collegerint, non quod inspirando converterint, quod solum est Dei salutaris, sed quod compererint. Sed nec à sponso inventam se dicit; quia nihil invenit, qui nihil unquam non novit, nec est proprie invenire, sed prævenire, cum pręventio pręcludat inventionem. Ergò sponsam sponsus quam ab æterno elegit, cum tempore condidit, in tempore justificavit, non invenit propriè sed prævenit, & per gratiam ut inveniretur à vigilibus eam præparavit, sicut testimonium perhibuit qui vidit, ut ait: *Vidi civitatem, sanctam Hierusalem novam descendentem de cœlo à Deo paratam tanquam sponsam ornatam viro suo.* Præparationem verò ipse declaravit admonens: *Levate oculos vestros, & videte regiones quæ * albæ sunt jam ad messem.* Ideo quæsierunt sponsam, ut inventam de dilecto indicarent; quia sponsi amici, non suam, sed

leg. *& iter. creans potentia minima prodiderat ab initio.* Sic habent & nostri. MS.

* *Frustra namque* usque *præcessisset.* ita repone in edit.

Nullū Deus invenit, sed prævenit.

Apoc. 21. 2.

* Albæ sunt jam, id est, *præparatæ.*

illud judico imperfectum ut sensus sit clarior ex *ser.* 78. *sec.* 6.

* *Gratiam* ita & MS. edit. *gloriam*, an bene: ex consequentibus judices.

Vers. 4.

Act. 9.

Act 10.

Ioan. 1.

Mat. 1. 18.

sponsi gratiam quærebant; sed pro hac re non multùm laboraverunt, quia in tantùm præparata fuit voluntas ejus à Domino, quod mox affuit, dilectumque tota dilectione quæsivit. Denique necdùm illis quicquam loquentibus interrogat de dilecto, & præventa inventores suos prævenit, percunctans, & dicens: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Sic à Petro Cornelius, ab Anania Saulus, à Philippo Nathanel, ab Andrea Simon inventus. Omnes tamen prius à Domino præventi, quam ab hominibus inventi; sic & Maria *inventa est habens in utero de Spiritu sancto*; sic & matri huic spiritali accidit. Quia si de Spiritu sancto non habuisset, nequaquàm ab inventoribus suis tàm familiariter de dilecto requisisset, cujus spiritus est ille.

ex ser. 79. in cant.

Sed quid sibi vult torrentis, & decurtati eloquii tam subita, tam decurtata petitio: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Quasi verò hi sciant quid cogitat ipsa? Quem diligit anima tua de illo sciscitaris? numquid non habet nomen? quænam tu, & quis ille? omne quod cogitat ista, & quòd loquitur, dilectum sonat, dilectum redolet, & aliud nihil; ita ipsius sibi cor vendicavit & linguam. O præceps, vehemens, flagrans, impetuose amor hoc facis; qui præter te aliud cogitare non finis, fastidis cætera, contemnis omnia præter te, te contentus, confundis ordines, usum dissimulas, ignoras modum, totum quod oportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilii, judicii esse videtur triumphas in temetipso, & redigis in captivitatem: Sed quid est quod dicit: *Num vidistis?* Pietatis quæstio est, non dubietatis; admirationis, non ela-

Amoris indolem suis depingit coloribus.

tionis; congratulationis non indignationis. Num vos estis quibus videre datum est *Quem tot reges & prophetæ voluerunt videre, & non viderunt?* Num vos estis qui meruistis in carne respicere sapientiam, in corpore veritatem, in homine Deum: Multi dicunt: *Ecce hic est, ecce illic.* Sed ego mihi arbitror tutius fidem accommodare vobis, qui manducastis & bibistis cum eo. Vigiles isti qui de Spiritu sancto & ipsi acceperant, scientes quid spiritus loqueretur, amoris vocibus optimè compertis sibi, simili ei lingua responderunt, studiis scilicet amoris pietatisque, quibus in brevi de dilecto ita eam edoctam dimittunt, ut dicat: *Paululum cum pertransissem eos inveni quem diligit anima mea* Benè, *paululum*: quia verbum abbreviatum fecerunt ei, tradentes symbolum fidei; ac per eos transivit, per quos veritatem cognovit, sed & eos transivit, ut & eum qui super ipsos est, reperiret: alioquin, si non ipsos transisset, quem quærebat non invenisset, propter quod & consuluit: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me.* Siquidem pertransierat is quem sponsa investigabat, non modo enim de morte ad vitam transierat, sed pertransierat ad gloriam; nec solum eos pertransire sponsam oportebat, sed & ipsam, perveniens fide, quo nondum pervenerat re. Quia ergo sponsus omnes transierat resurgendo, pertransierat ascendendo, oportuit & sponsam transire credendo resurrectionem, pertransire credendo ascensionem, ut inveniret pertingens fide, ubi ille est corpore. Ubi enim illa eum non sequetur. Et nos si eum volumus invenire, sic oportet transire.

Redit ad ... ser. 78. sect. 8.

Luc. 10. 24.

Mat. 24. 23.

Vigiles, apostoli, symbolum fidei Ecclesiæ tradunt: quod quidem verbum abbreviatum est.

Vers. 4.

Eccl. 24. 26.

Transire & pertransire differunt.

Sponsa ut inveniat dilectum, & vigiles, & seipsam pertranseat necesse est.

Pertransivit ergò, & invenit, sed eo invento quid fecit? Tentâ prius potentiæ divinæ virtute, tenuit eum fidei firmitate; tentâ misericordiæ pietate, tenuit eum devotionis ceu affectionis suavitate. Tenuit & sanctus Patriarcha eum, nec dimisit, nisi prius benediceret sibi; ista, nec pro benedictione quidem, ita ut dicere videatur: nolo benedictionem tuam, sed te, *quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram. Non dimittam te nisi benedixeris mihi*, qui & teneri vis cum *delitiæ* tuæ sint *esse cum filiis hominum*; non ad horam, sed, *usque ad consummationem sæculi.* Tenuit vero eum bono charitatis glutino, tenaci tenore, immò fœliciter pertinaci, utrumque indissolubiliter conjungente. Quid enim tenacius glutino? Quod nec aquis eluitur, nec ventis dissoluitur, nec scinditur gladiis. Denique, *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*: nec ignis prævalebit in ea: Propterea, nec verbositatibus Philosophorum, nec cavillationibus hæreticorum, nec gladiis persecutorum ista potuit, aut poterit aliquando separari *à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.* Sed quamdiu? *Donec*, ait, *introducam eum in domum matris meæ*, quò infirmæ domui reddam medicum, & salus communis omnibus fiat, & *in cubiculo genitricis meæ*, ut repudiatæ reddam sponsum; & sic quod fuit prærogativæ indicium, nomen pariter & gratia sponsæ redeat. Vides igitur benignitatem ecclesiæ, quæ illum quem diligit anima sua, parata est communicare etiam inimicæ synagogæ. Salvator indignabundus exierat de domo & hæreditate sua, & nunc ad hujus gratiam mitigatus inflectitur, ita ut redeat, non modò salvator, sed sponsus.

Gen. 32. 26.
Psal. 72. d.
Gen. 32. 26.
Prov. 8. 31.
Mat. 28. 20.
Sponsa, nec pro benedictione, ceu quondam Jacob, sponsum dimittit, eo solo contenta est.
De eo glutino vid. abundantius ser. 4. div.
Cant. 8. 7.
Rom. 8. 39.

sus. *Donec* tamen inclusivè intellige: quia, sic cupit dilectum matri bona filia; non ut cedat illi, sed ut concedat; non ut appropriet, sed ut communicet.

Tunc sponsus filiabus Hierusalem, fide videlicet Deum cernentibus, piorum devotas & affectas mentes à contemplatione importunè ad actionem sollicitantibus, ait, non sono vocis, sed verbo suæ virtutis: *Adjuro vos per capreas*, per mentes sublimiores angelicas in verbo speculantes salutem vestram, si vultis ab eis purgari, si erudiri, si affici: Et, *per cervos camporum*, per veloces ministros & custodes inferiorum, si vultis per eos tueri, protegi ac defendi, *ne suscitetis dilectam* primitivam Ecclesiam à somno contemplationis, *neque evigilare faciatis*, ad studium actionis, *donec ipsa velit*, quæ nunquam volet, nisi cum opportunum fuerit: nunquam volet, quin velle hoc expedierit. Ista prærogativa interrumpendæ quietis angelis sponsi & sponsæ paranymphis, aut primis pastoribus gregis sponsi debet servari, qui spiritu divino imbuti plenè noverunt *tempus tacendi & tempus loquendi*; *tempus amplexandi, tempus longe fieri ab amplexibus*.

Cant. 2. Vers. 5.

6. Angelorū ad nos officia.

Eccl. 3. v. 5. & 7.

Vel quia superius sponsa ut sapienter amens, & amenter diligens, sæpius quasi extra sensum locuta esse videtur, immò & operata, quærendo viventem cum mortuis, & tonantem in cœlis prædicantem in plateis, loquitur sponsus adolescentulis rationibus venativis, & imaginibus lutulentis: *Adjuro vos filiæ Hierusalem* rationis inventrices, formatrices imaginum, spiritalium formarum speculatrices. *Per capreas*, per theorias

venativæ: enimvero ratio in meditatione quasi venatur, ut mentis cordisque apta

superintellectualium contemplationum, *per cervos camporum*, per sitibundos affectus angelicarum mentium theophaniarum capabilium, *collium æternorum*, quos sponsus ad patris dexteram collocatus transivit; si eas post sponsam quæ sponsum captum tenet, & stringit, superextendi vultis; si affectus in planis refici apprehensivæ gloriæ corporis gloriosi sponsi, si eos imporabilibus gaudiis ejus inebriari cupitis; *ne suscitetis dilectam*, à morte sensuum, *nec evigilare faciatis* ab extasi superdominantis dulcoris, saporis, amoris, *donec ipsa velit*, donec sepulta ratione, suspenso sensu, voluntati, non intellectui servit; nam si eum à spiritu ad sensum, à dilectione ad imaginationem, ab amore ad rationem, ab affectu ad intellectum deducere vultis, ipsius *capreæ*, intelligentię supernæ, ad inferiora secum ruent, *cervi camporum* divinorum sitibundi affectus deorsum fluent.

cem in contemplatione pascat. Rationis inventrices: quod in meditatione quærantur rationes quibus virtutis suadeatur affectio, &c.

Sublimiter & acute.

Jam nunc tempus est, ut anima deiformis, seu præteriti erroris memor, seu gratiæ præsentis conscia loquatur, & dicat: *In lectulo meo quæsivi quem diligit anima mea.* Sed affinitatis animæ ad verbum quærenda radix est, atque id necesse. Quæ enim conventio tantę majestati, & tantæ paupertati, ut more & amore sponsorum veluti ex æquo sese complecti referantur sublimitas illa, & illa humilitas. Nàm, si verè id dicitur, valde læta fiducia; si falsò valde punienda audacia. Sed hujus affinitatis ratio est naturarum Verbi & animæ tanta cognatio, ut hoc imago patris, illa ad imaginem sit. Deindè quod cognationem testetur similitudo. Nempè non ad imaginem tantùm, sed & ad similitudinem facta est. Verbum

Cant. c. 3. v. 1. Ex ser. 80. in cant.

Cur tam ardenti affectu verbum animam prosequatur.

veritas est, sapientia est, justitia est; & hæc imago. Cujus? sapientiæ, justitiæ, veritatis. Est enim imago hæc sapientia de sapientia, justitia de justitia, veritas de veritate, quasi lumen de lumine, Deus de Deo. Et est in his & in omnibus aliis filio in æqualitate majestas, & in forma Dei rectitudo; ut dum magnitudo magnitudini, rectitudo rectitudini comparantur, imago filius, & pater cujus est imago sibi altrinsecus respondere appareat, quod ad imaginem est, & cujus imago est. Nunc quod legis: *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus.* Nunc vero *rectus Dominus noster, & non est iniquitas in eo.* Est autem consubstantialis Deo imago sua, & omne quod eidem imagini suæ impartiri videtur, ambobus substantiale est, non accidentale; ita quod hæc duo quæ in natura discrepare videntur, magnum scilicet & rectum, in eis unum sint, sitque imagini verbo, id magnum rectumque esse, quod esse. Non talis est anima Dei patris imago; quia veritatis, sapientiæ, justitiæ increatæ nihil est anima; est tamen earumdem capax, appetensque, & ideo fortassis ad imaginem. Celsa creatura in capacitate quidem majestatis, in appetentia autem rectitudinis insigne præferens. Sed quia magnitudo & rectitudo ipsius animæ non in ea idem sunt, sed diversa, non semper paribus passibus ambulant. Si enim eò magna est anima, quò capax est æternorum, eò recta quò appetens supernorum, quandò nec quærit, nec sapit quæ sursum sunt, *sed quæ super terram*, non planè est recta, sed curva, cum tamen pro hujusmodi magna esse non desinat, manens utique & sic æternitatis capax: neque enim illius ali-

Animæ & verbi inter se conformitates & discrepantiæ.

Verbum imago substantialis patris: anima ad imaginem ejus & similitudinem.

Psal. 146. 5.

Psal. 91. 8. 10.

In Deo magnum & rectum idem sunt.

Non sic in anima.

In quo animæ magnitudo rectitudoque consistat, ejusque depressio.

quandò non capax erit, etsi nunquam capiens fuerit, ut sit quod scriptum est: *Verumtamen in imagine pertransit homo*; utique secundum magnitudinem; quantùm autem ad rectitudinem veluti claudicans conturbatur, & deturbatur ab imagine, frustra thesaurizans sibi iram, ignorans cui congreget, aut scilicet tineæ demolienti, aut furi effodienti, aut hosti diripienti, aut igni devoranti. Et inde misero homini incurvanti se, & incubanti iis quæ in terra sunt, flebilis illa vox de psalmo: *Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar*, Quia in semet experitur quod factus Adam rectus infinitis se miscuit doloribus; unde continua vox ludibrii ad eum: *incurvare, ut transeamus.*

Psal. 38. 6.

Anima thesaurizat sibi iram ex terrenorum affectu ad quæ curvatur à vide sec. 4. hujus serm.

Psal. 37. a

Eccl. 7.

Esa. 51. g.

Non solum vero ad imaginem, sed & ad similitudinem: quia videlicet ab ingenuitate divinæ similitudinis, habet naturæ simplicitatem, essentiæ ceu vitæ immortalitatem, arbitrii libertatem, naturæ simplicitatem, quia non aliunde ab extrinseco vivens, quam à seipsa; unde illi quodam modò idem est esse, quod vivere, & econversò; non tamen sicut beata Trinitas hoc habet à seipsa; & propter hujusmodi vitæ simplicitatem habet immortalitatem, sed vitæ naturæ, non autem vitæ gratiæ. At qualis vita in qua satius fuisset non nasci, quàm nòn ab ea mori; consequenter habet & arbitrii libertatum, sed à coactione sufficienti, non tamen ab efficienti propter necessitatem peccandi, in qua volens misera se subjecit. Sed licet quadam quasi peccati acu affixa sit simplicitati fraus, immortalitati mors, necessitas libertati, non tamen essentię simplicitati præscribit duplicitas cordis, non naturę im-

Tres animæ dotes ratione ejus ad Deum similitudinis

1. Natura sua simplex est. Ex Serm. 81.

2. Vita immortalis.

3. Voluntate libera.

3 Mala iis tribus opposita dotibus.

mortalitati mors, aut voluntaria peccati, aut necessaria corporis, non arbitrii libertati necessitas voluntariæ servitutis: bonis naturæ accedunt ista, non succedunt, deturpant ea, non exterminant, conturbant, non deturbant: ideo licet anima sit onerata peccatis, vitiis irretita, capta illecebris, exilio captiva, corpore carcerata, luto hærens, membris affixa, confixa curis, semper tamen in sese ad imaginem & similitudinem verbi factam potest advertere, non modò undè respirare in spem veniæ, sed etiam undè audeat aspirare ad nuptias sponsi, cum verbo inire fœdus societatis, suave amoris jugum, cum rege angelorum ducere.

Ex Serm. 8. sect. 5.

Ex Serm. 83. in cant.

Ad hoc namque Deus ipsius auctor divinæ insigne generositatis perpetuò voluit in anima conservari, ut semper ex verbo in sese habeat quo admoneatur, semper aut stare cum verbo, aut redire, si mota fuerit. Redditus vero ejus, conversio est verbum reformandæ per ipsum, & conformandæ ipsi: utique in charitate in qua debet ambulare, diligendo sponsum sicut dilexit eam. Talis enim conformitas maritat animam verbo, ut quæ similis est per naturam, similem se per voluntatem exhibeat, diligens sicut dilecta, quem si sic dilexit, nupsit, atque anima sicut ad sponsum sponsa fideliter ad verbum accedit, constanter verbo inhæret, verbum familiariter percunctatur, consultatque de omni re, quantùm intellectu capax, tantùm audax desiderio, tali complexu sibi unita, ut idem velle & nolle unum spiritum fecerit de duobus.

Edit. Autor ipse: ita & alter cod. MS.

Cur Deus noluerit peccatis suam in anima oblitterari imaginem.

Voluntas nostra divinæ uniformis, animam Deo maritat.

Notandum quod allocutura sponsum inusitatè loquendo, duo dicit: *diligit* & *quærit*: per unum

designans suam principalem affectionem, per aliud affectionis gradum eminentiorem. Non enim dicit: *indica mihi* quem honorat, aut quem timet anima mea, sed, *quem diligit* Tria sunt amor, honor, timor: major his cunctis affectionibus amor. Nempè absque hoc, & timor pœnam habet, & honor non habet gratiam. Amor verò per se sufficit, per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium sibi, præter se non requirit causam, non fructum, fructus ejus, usus ejus: amo quem amo; amo, ut amer. Magna res amor, si tamen ad suum recurrat principium, si suæ origini redditus, si refusus suo fonti semper ex eo sumat, unde jugiter fluat. Solus est amor ex omnibus animæ motibus in quo potest creatura, etsi non ex æquo respondere creatori, vel de simili mutuam rependere vicem. Si Deus irascitur, non irascetur ei similiter anima sed pavebit, & depræcabitur: si arguet, non redarguet, sed adorabit: si salvet, non salvabit ipsa: si liberat, non liberabit: si dominatur, serviet; si imperat, parebit. Sed si amat, nihil aliud vult, quàm amari, nec alia connexio est propriè inter sponsum & sponsam, quàm amari. Propterea non dicit, quem honorat; quia honor debetur à filio patri. Nec quem timet; quia timor à servo debetur Domino: sed, *quem diligit anima mea*; quia amor debetur à sponsa sponso. Priorum vero uterque horret, & stupet, & servus qui metuit, & filius qui miratur; penes amantem verò vacant hæc omnia. Amor sibi abundat, amor ubi venerit, cæteros omnes in se traducit, & captivat affectus. Dictura verò *diligit*, præmisit, *quem*, ut amoris summum in quo sponsa stat, gradum notaret.

Tres possunt esse ad sponsum sponsæ affectiones.
1. Timor.
2. Honor.
3. Amor.

Amor iis omnibus supereminere, devote eleganterque ostenditur.

Namque vivus est amor de amore increato fluens, plenus, & purus; plenus, quia spe substracta non extinguitur, nec minuitur; purus, quia præter sponsum nihil quærit aliud. Amant filii, sed de hæreditate cogitant: Amant mercenarii, sed ad mercedem festinant. Purus amor, nec de spe vires sumit, nec præ desperatione diffidentiæ damna sentit. Sponsæ hic est: quia hoc amore anima sponsa est quæcunque est. Sponsæ res & spes unus amor est. Hoc contentus est sponsus. Nec is aliud quærit, nec illa aliud habet, & ideo dicit: *quem diligit anima mea.*

Amoris origo, Deus: in Deum ergo, suum principium refundatur: ejus duæ proprietates.
1. Plenitudo.
2. Puritas.
* Edit. *Nec tamen diffidentia.*
Hæc non parvam lucem afferunt iis quæ habet Bern. *sec. 5. hujus. Ser 84.*

Utique prius dilecta: quia si prius eam sponsus non dilexisset, nequaquàm sponsum diligeret; sicut nec nisi prius quæsita non quæreret. Porro Deum quærere bonum primum in donis, ultimum in profectibus est. Virtutum nulli accedit, cedit nulli. Cui accedat, quam nulla præcedit, cui cedat quæ omnium magis consummatio est. Quæ enim virtus ascribi possit non quærenti Deum, aut quis terminus quærenti Deum? Existimo, quia nec cum inventus fuerit cessabitur à desiderio: quia desiderium, non extundit tam fœlix inventio, sed extendit: quia consummatio gaudii oleum est nutritivum, non diluvium consumptivum desiderii; desiderium verò illi, flamma. De hoc bono dicit, *quæsivi quem diligit anima mea.* Prius certè, ut prædictum est, ab illo quæsita. Unde nempè illi voluntas quærendi, immò & requirendi, cùm sit *Spiritus hominis, vadens & non rediens*, nisi à verbo fuisset primitus requisita? Quomodò surrexisset, circuisset civitatem per vicos & plateas quærens, si ea eguisset quæri? Quomodo *dilectum*, si eguisset diligi?

Spōsa à sponso dupliciter præventa.
Psal 77. *v.* 39.

Ergo non in una tantum benedictione præventa est, sed in duabus, dilectione scilicet & quæsitione. Dilectio, causa quæsitionis; quæsitio, fructus dilectionis est, & certitudo. Dilecta fuit, ne ad supplicium quæsita putaretur; quęsita, ne frustra dilecta conquæreretur. Utraque tam amica comperta suavitas, & ausum dedit, & verecundiam repulit, & reditum persuasit, & movit affectum. Hinc zelus, hinc ardor est iste quærendi, *quem diligit anima*, sponsæ: quia profectò necdum quæsita quærere poterat, nec dilectum quęrere quæsita non potest. Sed ne celes nobis, ubi prius quærere incœperis? *In lectulo*, inquit, *meo*, existens subintellige, non inquirens. Licet enim jaceret in peccatis, licet coinquinata cum mortuis, licet deputata cum iis qui in inferno sunt; nihilominus dilectum naturæ instinctu pariter & ductu, cujus se insignem cernebat & in peccatis imaginem, illustrem similitudinem, quæsivit, non passibus corporis, sed desideriis cordis. In hoc ipso naturali reperiendi dilectum desiderio, prẹventa ut vellet, & subventa postea ut bene vellet. Prosequemur ista juxta hunc modum, sed quia beatus Bernardus in sermone isto tractatum suum terminavit, ne adipibus frumenti nostros furfures misceamus. Hunc processum hic terminamus, & repetentes quæ præmissa sunt, exponemus prout spiritus omnipotentis qui dat intelligentiam nobis concesserit.

Ex D. Greg. l. 8. Ep. 38.

Ab his propriè verbis incipit Commentarius auctoris.

QUia scripturæ ab uniformiter multiformi, & multipliciter uniformi sapiētia editæ sim-

pliciter multiplex, & multipliciter simplex est sensus, nec intellectus divinus immensus & infinitus ab humano mensurato pariter & finito accipitur aut terminatur, explicationibus prioribus adjiciemus sequentes.

Quanto studio sponsam sponsus ad cor suum redire monuerit, satis per superiora clarescit. Ipsa verò sibi reddita, priora sua nunc ad memoriam reducit, aut mala quæ fecit, aut bona quæ recepit, describit. Mala quidèm non quod am etea, sed ut amet sponsum suum qui amovit ea. Amore amoris sponsi facit illud, recolens candidata Æthiopissa vias suas distortas in amaritudine cogitationis suæ, ut dulcescat ei sponsus. Dulcedo non fallax, dulcedo fœlix & secura quæ ipsam perditam revocavit, & dispersam recollegit a divisione sua in quâ frustatim discissa fuerat, dum ab uno sponso in multos adulteros evanuerat. Dona verò recolit, ut exurgat in ipsum largitorem anima ejus innitens donis quæ dedit, & pertransiens in ipsum qui dedit.

Narrat ergò quod dilectum quæsiuit perdita, quæsivit inventa: perdita non invenit, inventa reperit. Et primùm, ne sic adolescentulæ quærant; secundùm, ut sic quærere studeant. Perdita qnæsivit, non semel, sed sæpè, nec tamen reperit: inventa requisivit, non sæpè, sed semel, & hoc in transitu, & invenit; perdita quæsivit, perscutando quæsivit, circumeundo, nec reperit; inventa quæsivit percunctando; & quia certificata non fuit, quæsivit pertranseundo, & invenit, & tenuit, & de loco in locum induxit. Recolit ergò primùm suæ perditæ rationis errorem, deinde bonæ volun-

Hujus sectionis principalis divisioneaque trimembris sponsa confitetur errores suos.

tatis teporem, aut malæ intentionem, post hæc in iis omnibus inutilem prorsus & cassum laborem.

1. Error.
2. Tepor, malaque intentio.
3. Cassus labor.
Confessio primi erroris.
Non quæsivit sponsum quem debuit.
Nota
Est dilectus.
1. Quem diligit anima rationalis amore naturali.
2. Est quem diligit anima spiritalis, amore laudabili.
3. Est dilectus quem diligit anima carnalis, amore damnabili.
1. Dilectus ex amore naturali Deus est verus.

Suum satis confitetur errorem, cum ostendit se quæsiisse quem non debuit, & illum ubi non debuit, & quando, & quomodo non debuit, ideoque nihil reperit. Dicat igitur: *quæsivi quem diligit anima*, nec sub pia determinatione, quem diligit anima sancta; sed *quem* diligit *anima mea*. Est enim dilectus quem diligit anima rationalis, & est dilectus quem diligit anima spiritalis, & dilectus quem diligit anima carnalis. Dilectio prima oritur ex natura; secunda ex gratia; tertia oritur in voluntate distorta, ex falsæ imaginis animæ carnali oblata pictura. Prima dilectio est naturalis, & Deo tolerabilis; secunda spiritalis, & ideo laudabilis; tertia vero animalis, & ideo vituperabilis.

Dilectus quem naturaliter diligit anima & odire non potest, Deus est verus, cujus sicut cognitio naturaliter impressa est animæ rationali, sic & dilectio. Sicut enim Deus ipse omnia quæ sunt diligit, & nihil odit eorum quæ fecit, nec odiens constituit aliquid; quia sicut nec essent si non dilexisset, sic nec existentia conservari possent nec permanere; si non diligeret: ita omnia quæ sunt eum naturaliter diligunt, sed rationalis anima maximè, quæ ipsius imago existens, sicut conditivam causam ipsum esse cognoscit, sic & conservativam. Ideoque in quantùm ipse appetit, in tantùm Deum suum auctorem & conservatorem naturaliter diligit. Præcipuè quia beatam vitam quam omnes volunt, in eo esse

supponit. Nam qui solùm Deum beatum novit, nemo est omnino qui nolit, & quomodò, & in quantùm novit, eo modò & in tantum appetit, & qualiter, & quantùm appetit, taliter, & tantum diligit. Porrò ad utrumque natura per se infirma & impotens est, unde sicut in cognitione cœcutit, ita in dilectione tabescit.

Dilectus quem spiritualiter anima diligit Deus est bonus, sane illis solis bonus qui recti sunt corde, qui rectâ, sine obliquitate internis adhærentes sentiunt de ipso in bonitate, & in simplicitate cordis quærunt illum, non extra in ea quæ fecit deformes, sed intus in ea quæ illustrat conformes: ubi clamàt, & rupta surditate advocat; ubi splendet, & fugata cœcitate clarescit; ubi flagrat, & ut spiritus anhelet sibi, suum spiritum evaporat; ubi gustare se facit, ut esuriat, anima & sitiat; ubi tangit, ut in pacem suam medullitus exardescat. Nondum quippè sibi ex omni suo inhæret, alioquin, nec in quærendo laboraret, nec de dilato doleret. Quærit primùm ut tota misera toti beato cohæreat, & de toto beato tota beata fiat. Quod solùm tunc erit, quando ipsi conjuncta gaudebit, & ad ipsum gaudebit de ipso, gaudebit propter ipsum, & non in alterum.

2. Dilectus ex amore spirituali Deus est bonus.

Dilectus quem diligit anima perdita, Deus est fictus, Deus falsus, Deus non bonus, sed malus, cum tamen scriptum sit: *non habebis Deos alienos coram me; non facies tibi sculptile, nec omnem similitudinem quæ in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra, non adorabis ea, nec coles.* Hoc facit anima perdita quam non delectat imago

3. Dilectus ex amore carnali Deus est fictus, & falsus

Exod. 20. & Deut. 5.

in se lucentis divinæ naturæ, sed deludit umbra picturæ. Nam quæ a se discessit, nec se invenit posita extra se, quomodò quæret quod est in se? non planè intus quærit, sed audax extra se discurrit, & in phantasmate suo putans se beatam futuram, Deum sibi fingit in cœlo excellentiam; in terra rerum omnium abundantiam; in aquis vanitatum lasciviam; in quibus omnibus profectò beatitudinem suam positam æstimat. Licet namque omnis anima naturaliter Deum quærat beatum & appetat, quia tamen caro quæ pugnat adversus spiritum, plerumque spiritum captivat, & à se alienat, in amorem cadit illius, non qui eam condidit, sed quem ea sibi finxit, eoque contenta est qui eam non continet, spreto eo qui continet. Et quia Deum verum, solum, & bonum non potest tantùm velle quantùm satis est velle, alium fictum quem velle non debet, amplius vult quam velit etiam velle, illumque quærit, quem perdita diligit, & diligendo de die in diem magis se perdit. Et hoc est, *quæsivi quem diligit anima* naturaliter; & sicut diligit exiliter, ita & quæsivit debiliter. *quæsivi quem diligit anima mea* carnaliter, & sicut diligit carnaliter, ita quæsivit brutaliter. Est hæc anima sponsæ animalis quam sponsus jubet perdi, ut acquiratur, vel salva fiat rationalis. Habes ergò primi erroris sponsæ liberam confessionem, quia illum quæsivit, quem non quærere, sed fugare simul ac fugere, non colere sed comminuere, sed de medio sui debuit abjicere.

Eximie admodum; ubi & quos deos nobis fabricemus.

1. 2. 3.

Ut vero discutiamus errorem sequentem, quæramus ubi eum quæsivit: non certè in le-

Confessio alterius erroris: quæsivit ubi non debuit in suo lectulo

ctulo dilecti proprio, sed in lectulo suo. Ibi ergo quæsivit, ubi non erat, nec unquam fuit. Quid igitur mirum, si non invenit? sed quis diligentis animæ lectus? quis dilecti? lectus aut naturaliter, aut spiritaliter dilecti amicitia est, amor est. Sed si amor ex sola est natura, angustus lectus est & parvus; si verò ex gratia confortante naturam, latus & amplus. Lectus animæ animalis diligentis concupiscentia est. Religata enim morbo carnis mortifera suavitate adeò decipitur, ut beatitudinem fugiat in sede sua, & illam quærat in aliena. Putat enim se miseram si non fruatur bonis quæ sunt, si voluptuosis amplexibus careat; venam proinde amoris perfectæ beatitudinis coinquinat sordibus scalpentis & prurientis voluptatis, candoremque dulcifluì luminis obnubilat de tartaro libidinis, volutans se in cœno turpitudinis tanquam in cinamomis, & unguentis pretiosis, & decurrens in torrentem picis æstu immani jugiter bullientis, corde absorpto, Epicuro dat palmam in animo suo.

Triplex sponsæ, & sponsi lectus, juxta varium affectum.
1. A natura.
2. A gratia.
3. A concupiscentia.

Jam ad tertii erroris confessionem veniamus. *In lectulo*, inquit, *meo quæsivi*; quandò, & per quæ? *Per noctes* quibus veritas occultatur, & aliena veste beatitudo palliatur, non per dies quibus veritas & vita manifestatur. O dementiam odientem lucem, tenebras pro lumine amplectentem! O stultam quæstuariam, tenebris lumen, miseria beatitudinem, vita mortem, dolore suavitatem quærentem. *Per noctes*, inquit, *quæsivi*. Quid est *per noctes*? Per defecturas & umbratiles vitiorum species, bonorum imaginibus quæ in beatitudine vera quæruntur, fallentes. Superbia namque celsitudinem portendit,

Confessio tertii: quæsivit quandò, & per quæ non debuit.

cùm in sponso uno super omnia Deo excelso solùm vera sit celsitudo. Ambitio promittit honores & gloriam, cum in illo qui præ cunctis est honorandus unus & gloriosus in æternum, gloria tantummodò sit quærenda, cui & concinit sponsa devota: *Tu es gloria mea.* Sævitia potestatis propter se timorem incutit, cum nemo pro se velle timeri appetere debeat, sed illum solùm à cujus potestate eripi aut substrahi nemo est qui possit. Curiositas scientiam se adepturam prædicat, sed omnis sapientia à Deo est, qui & sapientiæ dator, & sapientum emendator. Ignorantia vero atque stultitia simplicitatis & innocentiæ facies fingunt, sed vera simplicitas ab illo solo petenda est qui partes non novit, in quo non est hoc & hoc, sed id solum quod est. Innocentia quoque ab eo imploranda est, qui quamvis malorum opera ipsis sint inimica, iis tamen reddit amica & utilia. Ignavia quietem simulat, sed apud ipsum solum pax & quies invariabilis. Luxuria voluptatem spondet, sed ipse est solus qui torrente voluptatis inebriat. Gula promittit satietatem & abundantiam, sed in ipso est plenitudo & indeficiens copia, cujus sola visio satiat. Effusio liberalitatis obtendit umbram, sed bonorum omnium largitor affluentissimus solus est sponsus. Avaritia multa se daturam promittit: at ipse qui possidet omnia qui dat *omnibus affluenter, & non improperat,* Invidentia majoritatem suggerit; sed ipse est solus qui *suscitat de pulvere egenum, & de stercore erigit pauperem.* Ira vindictam promittit, sed justius Deo quis judicat? Timor malus sua cautela securitatem objicit, sed in cujus timore fiducia fortitudinis, nisi cer

Veram beatitudinis umbram promittunt vitia.

Iac. 1. v. 5.

1. R. 2. v. 8.

rè in ejus cui nihil insolitum, nihil repentinum. Ita fornicatur sponsa infœlix, cum à sponso aversa quærit ipsum solem justitiæ, non per radios suos, sed per fucos alienos, non per ardentes, sed per fœtentes lucernas, non per candelas virtutum luminosas, sed per vitiorum faces fumosas.

Audivimus errorum sponsæ confessionem, nunc audiamus cassum laborem. *Quæsivi*, ait, *illum*, *& non inveni*. Si dilectum non reperit, ne mireris, quippe ubi non debuit, & quomodò, sive per quæ non debuit, quæsivit. Quod verò fictum beatum non invenit quis non miretur? Nam in lectulo concupiscentiæ suæ ipsum quæsivit, ubi semper sibi adest, & *per noctes* quæsivit, in quibus operatur, & dormit, & latet. Sed certè nec Deus alienus ibi est ubi esse putatur, aut certè ibi talis non reperitur qualis ab amante quæritur; sed talis profecto qualis ibi habetur. Qualis vero? Planè fœdus, & inanis, & vanus. Omnia enim quæ promittit nulla sunt, quæ portendit falsa, quæ tribuit mortifera. Respersa est namque omnis illius suavitas felle amaritudinis, & ideo quæ ipsum reperit, non ipsum quem quæsivit invenit, sed quem detestatur, & odit. Et quia semitas suas quibus ad dilectum suum sibi fabricatum perveniat; quærit, nec invenit, dicit: *Vadam & revertar ad virum meum priorem; quia tunc multo mihi melius erat, quàm nunc.*

Principalis divisionis pars altera.

Ideo Æthiopissa post errorum confessionem ponit bonæ voluntatis, licet tepentis, deliberationem: *Surgam*, inquit, *à lectulo concupiscentiæ, & circuibo civitatem*. Sponsus namque amarissimis aspergit doloribus omnes illicitas spon-

Principalis divisionis. 3. pars ubi de tepore sponsæ: in secundam partem recidit.

ſæ jucunditates, ut ita quærat, non pœnaliter in adultero cruciari, ſed ſine offenſione in ſponſo beatiſſimo jucundari. Et quia ubi hoc poſſit quicquam non invenit præter ipſum, licet non ſtatim ſurgat actu, ſurgit tamen affectu, dum proponit ſtudiis ſanctis quærere verum beatum quem quæſierat fictum. Sed tamen in hoc quod dicit: *Surgam & circuibo civitatem*, non *ſurgo*, & *circumeo*, declarat quod adhuc hac atque illac verſatur, & voluntate jactatur, cum una ſui ipſius parte aſſurgens, cum altera cadens. Cum enim nihil aliud ſit ſurgere quam velle, dum ſurgere quandoque deliberat non ſurgit, dum procraſtinat non ſurgit, dum velle vel in poſterum offert, non ſurgit, dum differt. Vult igitur, & non vult, & univerſum ſtratum ejus verſatur in infirmitate ejus, dum ad anteriora ſuſpirans reſpirat, & ad priſtina relapſa deſperat. A lectulo enim quo diu languens anima reſoluta jacuit, & alligata caput levare recuſat, & impedimentis omnibus ſic timet ſubito expediri, quemadmodum timere deberet aliqualiter impediri. Sic ſic priſtini amoris ſarcina, velut ſomno aſſolet, dulciter premitur; quia dum ſurgere differt priuſquam inchoet, in ſomnum alium relabitur. Cogitationes ergo ſponſæ quibus in ſponſum ſurgere meditatur, ſimiles ſunt conatibus expergiſcere volentis, qui tamen ſuperatus ſoporis altitudine ſtatim remergitur. Ergo, *Surgam & circuibo*, verba ſunt lenta, ſomnolenta, quibus ad eam quam ſomnus ſic cœpit, reſpondetur veritate clamante: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus:* ſurge, veni, & propera. Videamus tamen quid verbis corvinis ſe facturam promiſit: ſurgam

Non dicit: ſurgo, ſed ſurgam.

Teporé ejus, ſomnolentiæ æquiparat.

Surgam, inquit, a lectulo, ab amore inordinato, *& circuibo civitatem*, considerabo in Ecclesia sanctorum unitam pluralitatem per *vicos* vitę arctioris, per illos videlicet qui consiliorum semitas custodiunt, & per *plateas* civitatis, per illos qui viam pręceptorum latiorem peragunt, *quæram quem diligit anima mea*: utriusque ordinis obsecrationem pariter & consultationem, in hujus vitæ nocte posita ignorantiæ atque culpę, *quæram quem diligit anima mea*. Quæ sic quærebat, non mox reperire sitiebat, immò statim invenire timebat, quia plus in ea poterat malum insolitum, quàm bonum insolitum, & in adulterio morosæ fruitionis desiderium malebat expleri, quam subito extingui, pręponens eum procul dubio sponsa, quem non piè quęrebat, sed quæsiturnm respondens impiè opugnabat. Sequitur: *quæsivi illum, & non inveni*: cur? Quia nec plenum, nec plenê quæsisti, nec in finem usque perseverasti. Quęrit, quæ ut quærat, evellit capillum, frontem percutit, consertis digitis amplectitur genua; nec tamen quærit; quia etsi cupit desiderare, non tamen desiderat. Imperat meretrix corpori, & paret statim; imperat animo, & resistit; imperat cordi ut manum moveat & mox obedit; imperat cordi ut sponsum velit, & vere diligat nec consentit; imperat, inquam, ut velit, quæ non imperaret, nisi vellet; sed non fit quod imperat, quia ex toto non imperat. Nam in tantum imperat in quantùm vult; in tantùm non fit quod imperat, inquantùm non vult.

Quis perfecte Deum quæratte Magdalenam intelligit.

Potest quoque in hoc quod dicit: *surgam* malæ voluntatis intentio demonstrari: quippe adul-

In sponsa mala redarguitur intentio.

tera non contenta prioribus desideriis inter alias coętaneas suas eam pudet minoris esse dedecoris, cum eas audit jactantes flagitia sua, & tantò gloriantes magis, quanto sunt amplius turpiores. Et ideò ne quanto innocentior, tantò vilior habeatur, dicit i *surgam* a minori, ad majorem consummandam concupiscentiam, & in malo exemplo aliorum proficiam. *Circuibo civitatem* Babiloniæ per vicos fortunæ asperioris, & per plateas fortunæ felicioris, aut per vicos ingenii aut opiniolinis arctioris, & per plateas laxioris atque profusioris, per pauperes videlicet & divites hoc mundo fruentes, aut per philosophos, honestatem sectantes, vel liberas voluptati habenas donantes, *quæram quem diligit anima mea,* perquiram cordis concupitum affectum, in quo pascatur & quiescat animalitas mea. *Quæsivi illum & non inveni.* Quia voluptas quæcunque sit patitur famem sui. Aut certè quæsivi illum solum & unicum Dominum beatum quem diligit anima mea naturaliter, & supernaturaliter. Non inveni: quia non ibi est, ubi quæsivi.

Sequitur: *invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.* Angeli quibus a Deo custodia commissa est universalis Ecclesiæ, & cujuslibet etiam singularis animæ: Ij me invenerunt: qnia suo ministerio me mihi perditam reddiderunt, ovem erroneam pastori restituerunt, dragmam amissam nummulario assignaverunt. *Num quem diligit anima mea vidistis?* Nullum datur omnino responsum: quia quod Angelici Spiritus Deo semper præsentes faciem Patris in Filio, Filij que in Patre, utriusque in communi spiritu, in quo sibi complacent continuè

videant, fidelium nemo est qui dubitet. *Paululum cum pertransissem eos inveni quem diligit anima mea.* Ecce quem perdita non invenit, reperta reperit, & quæ non invenit requirendo, invenit pertranseundo. *Paulatum*, inquit, *cum pertransissem eos*: Qui me sponsò coaptaverant, qui desponsationis ministri fuerant, *inveni quem diligit anima mea*, in osculo suo, quem reperire nequiveram custodum ministerio. Possunt quidem sponsam sponso idoneam ministerialiter reddere, sed infundendo ei gratiam non possunt unire. Hæc enim prærogatiua solius est sponsi, cujus solius proprium est sponsam sibi copulare, seipsum fœlici sponsæ osculum quærenti præbere. Ideoque à sponso remota, sponsique ignara suprà petivit: *osculetur me osculo oris sui*, osculum hoc sapientiæ infusæ sponsæ cordi est donum, in quo sicut in superlucenti lumine vera lux, in odore superfragranti aroma, in inestimabili dulcedine summè dulce, in sapore indicibili perfectè sapidum cognoscitur. Ergo lux præ omnibus lucens, *suauis Dominus universis*, fragrans præ cunctis, *dulcis & rectus* in sua cognitiva dulcedine, velut in singulari lumine velut in spiritali odore, velut in superinfinito sapore quærenti se præbet. Unde scriptum est: *in lumine tuo videbimus lumen*. Et alibi à cunctis se volens discerni, ait: *Spiritus meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum.* Spiritus ille qui ab eo emanat, vapor est fragrantissimus sui amoris, quo quasi *libanus non incisus* vaporat & replet sponsæ mentem, habitationem suam. Hic est nebulæ generosæ fumus, in quo Dominus se ha-

Cur angeli sciscitati an dilectum viderint, nihil respondeant.

Parant angeli sponsam Deo, non uniunt: quod ejus solius est, idque osculo.

Cant. 1.

Osculū quid? Tres ejus eminentes prærogativæ Confertur in osculo. 1. Lux superlucens, 2. Odor superfragans, 3. Superinestimabilis.

Psal. 144. v. 9.

Psal. 24. v. 8.

Psal. 35. v. 10.

Eccli. 24.

bitaturum præmisit. Hic sapor, hic odor, in quo Propheta gustare & videre præcepit, quod Dominus ipse sit solus suavis. Hęc hęreditas servorum, a qua sponsus, sponsę solus & verissimus hęres, nunquam sejungitur. Benè autem dicitur hic *Spiritus super mel dulcis*, & *hæc hereditas super mel & favum*, vt ostendatur, quàm præ dulcibus cunctis omnique dulcedine sit in infinitum prædulcior. Nam cum duplex solummodo sit dulcedo, absoluta videlicet sive simplex, atquę concreta: simplex, ut spiritalis quę est in virtutibus & scientiis a materia puris: concreta, ut corporalis quę est in sensibilibus istis. Iis omnibus sponsi dulcedo quę datur in osculo in immensum est dulcior. Mel vero est simplex dulcedo quæ est in demonstrationibus & quadruvialibus pręcipuè principiis justificatis, atque probatis. Favus qui est mel in cera, est dulcedo in aliquo sensato subjecto. Mel & favus est unita junctaque utraque dulcedo. Sed spiritus super mel est dulcis: quia sponsi præsens amor amorem omnem transcendit rei quantumcunque spiritalis. Hæreditas verò super mel & favum: quia in patria, futura in præmium charitatis delectatio omnem delectationem quæ fuit, est, aut erit, in infinitum transibit.

Duplex in rebus creatis dulcedo, quã longe super eminet osculum, spiritus Christi super mel dulcis &c.

Cæterum quia sponsa ahic ab Angelis non meretur de dilecto per visum certificari languet amore. Unde inferius filias Hierusalem beatorum animas quondam corporibus annexas quæ si non sunt passibiles, sunt tamen compassibiles, sponso nuntiare rogat quod amore languet: quia, inquit, spiritus angelici non hic habent materiam condescendendi quærenti & non invenienti: vos *Filiæ Hie-*

Angeli non æque compassivi, ac beatæ animæ, filiæ Hierusalem.

rusalem quę aliquandò quæsistis, quę quęrendo laborastis *nunciate dilecto, quia amore langueo*; quod crescente amore amplius deficio: *fortis est enim ut mors dilectio*, quò plus crescit, eò vita mea decrescit, nec crescendo vitam sensus minuere desistit, donec ipsam prorsus consumat; ita ut a charitate in victoriam morte consumptâ, sponsa mortua morti dicat: *Vivo ego jam non ego. vivit vero in me* sponsus cujus vivere propriè & veraciter est diligere. Nam qui diligit manet in vita, in illa planè quæ *abscondita est cum Christo in Deo.*

POssunt & supradicta ex parte aliter exponi. Sponsus à lectulo florido, a cella vinaria *Saliens in montibus, & transiliens colles* carne indutus, ad terras colonus vinearum agrorumque futurus descenderat, paratoque sponsæ secreto, in se petra, cubiculo, ad reclinandum sponsam vocaverat, indeque in publicum speciei vocisque ipsius zelo eam venire coegerat. At illa plus sponso, quàm sibi compatiens, immò de sensu ad supremum dilectionis in suum cubiculum sponsum redire desiderans, ait: *Revertere* a sensu, a ratione, *dilecte mi*, ad super-principalem affectionem. Cur foris stas? cur incircumscriptibile & lumen sensibus misceris? *Similis esto caprea hinnuloque cervorum.* Sicut in carne repente venisti, sic subito ad affectum conscende. Non ut ego, per gradus procede, sed in me in instanti descensu per intellectum angelorum more, super montes Bethel, super æternæ patriæ altitudines ad affectum transi, ad amorem conscende.

Repetit superiora, iterumque exponit.

Eadem habet supra immediate, ante comment. ad cap. 3.
Per viam negationis Deum inquirit, ad ipsum conscendit per creaturarum scalas.
Solis, terræ, &c.

Cur hoc tam devote, tam ferventer exposcis? quia *in lectulo meo*, in conscientia mea, amica pacis, quietis alumna, non in die positionis, sed *in nocte* privationis, non in luce rationis, sed in nocte ultrò se ingerentis imaginationis quæsivi te, non in tua luce inaccessibili, sed in tenebris, quęsivi, & non inveni: quia etsi reperi quod non es, non tamen quod es. Interrogavi cœlum, & dixit: D*eus meus es tu?* Irrisit, & ait: non, sed sedes ejus. Terra verò pro se respondit: Ego scabellum pedum ejus: aer, mare, terra, & omnia quæ in eis, aut sub eis sunt sciscitata seipsum, non dico esse, sed nosse negaverunt. Dixi proinde: surgam a lectulo conscientię, a fruitione pacis internæ, ascendam rationis montem, ibique civitatem sitam, mentem scilicet circuibo, cunctas illius lustrando vires, in rationabili super lucentem veritatem, in irascibili manentem bonitatem: in concupiscibili dulcifluam reperiam charitatem. Per vicos sensuum interiorum, per plateas exteriorum quęram quem *diligit anima mea.* Surgam & circuibo civitatem, militantem pariter & triumphantem Ecclesiam, quæram inter iustos, quęram inter beatos per vicos arctioris, per plateas diffusioris amoris, *quæram quem diligit anima mea.* Quęsivi sanctos omnes & spiritus cœlestes, & ecce in legislatoribus, in gratiæ participibus, nullus simili, nullus ei vel modicùm comparandus, & ideo non inveni. Dùm verò in nocte quærerem, dùm eum qui super ens est, per non esse investigarem, *invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem*, cœlestes virtutes pręsentes sibi, visionis ipsius consortes, & aio: *Nùm quem diligit anima mea*

Anima.
Iob, 36, v. 22.
Beatorum & Angelorum.

vidiſtis? at illi queſtione contempta petitionem parvipendentes nullum dedêre reſponſum. Non enim quidquid diligitur, hoc ipſo conſpicitur. Non videtur a finito infinitus, nec ex toto intellectu complectitur. *Illos pertranſivi*, nam & intellectum eorum infra meum dilectum eſſe cognovi, ſed cum eos *paululùm pertrànſiſſem*, cum ens omne intelligibile quacunque fidei acie pervolaſſem, *inveni quem diligit anima mea*, non alibi quam in ſeipſo, non elato, ſed mihi illapſo non ſummo, ſed intimo. *Tenui* inter vlnas amoris acceptum, in affectu collectum, *nec dimittam*, quàm bonus & ſuavis eſt experiri non deſinam, *donec introducam illum in domum matris meæ*, in ſuperioris rationis cænaculum, *& in cubiculum genitricis meæ*, in fidei receptaculum.

Deus reperit, non elatum ſupra ſe; ſed illapſum in ſe &c.

Sed nonne plus eſt in brachiis ſtringere, quam in cubiculo claudere? nonne amplius in pectore tenere, quàm in domo habere? annon majus inter vbera ſentire, quàm in cubiculo poſſidere, vtique majus, ſed illud totum eſt gratiæ, iſtud verò & ex parte naturę; illud miraculi, iſtud eſt virtutis. Quod enim tenui non opus fuit capientis, non mei attingentis, ſed ipſius illabentis, ipſius occurrentis, ipſius condeſcendentis meque ſurſum trahentis donum fuit. Atque ego ipſo dono inferior, diu eum tenere non poſſum. Ideoque bonitate ipſius perfuſa, docta experientia, mihi ut potero, ut licitum fuerit, ut ipſe conceſſerit vulnus ipſius lumine impreſſum retinebo, informabilis formam mente formabo. Introducendo ergo interius, non ſurſum ad eum conſcendi, ſed ipſum deſcendere coegi, immò ut verius dicam, ipſius ſacrum ſimula-

Plus eſt inter vbera dilectū ſtringere, quam intra cubiculum claudere.

chrum ad me introduxi. Ergo in hac domo, non Dei simulachrum, sed simulachri Deum adorabo. In hoc cubiculo, non lumen sponsi amplectar, sed in fulgore sponsi sponsum reverebor; mirabor speciosum, gloriosum laudabo; dixit & fecit ipsius signaculum infra rationis & voluntatis ambitum, infra fidei receptaculum. Sicut enim ignis propter veritatem suæ substantiæ in sua natura non lucet, & non accedente materia in sua sphæra occultus & incognitus est, per materiam verò in spissantem radium splendoribus circumvalatur, & sic a nobis attingitur; ita divinæ simplicitatis radius intra se manens invisibilis & incognitus lumen nobis imprimit, quod nisi specie intelligibili & imagine indutum esset, non agnosceretur a nobis; sic ergo propter nos in nobis quasi quotidie verbum caro efficitur, lumen incircumscriptibile, circumscriptibile, ac quasi comprehensibile sola dignatione redditur. Ideo cum Deus absconditus in tenebrarum latibulo ad sponsam fuisset ingressus, sponsa in conscientiæ lectulo conquiescens in illo protinus obdormivit, vnam quamdam simplicem pacificæ unionis in ipso experta virtutem. Cujus somno sponsus delectatus adjurat filias Hierusalem, rationales operationes, per sublimes revelationes, per supersalientes affectus, ne suscitent ab interiori quiete stantem in pace, nec evigilare faciant ab uno & intimo bono ad exteriora bona, & vana, & hoc est; *adjuro vos filiæ Hierusalem, &c.*

Similitudo aptissima.

Vers. 5.

Quid sibi vult hæc adjuratio, repetita sic sæpe, toties replicata; nam & superius facta est,

& hic denuò fit, & infra tertio reiteratur. Quid est, *donec ipsa velit?* quæ conditio ista tam exactè determinata? si dormientis de surgendo voluntas requiritur? nonne hoc ipso dormiens excitatur, interrumpitur somnus, & si dormire voluerit, dum voluntas requiritur, voluntati contradicitur. Quomodo igitur surgendi dormientis voluntas scietur? ubi sit iste somnus? denique triplicem lectulum in hoc libro perpendimus. 1. Communem sponso & sponsæ. 2. Sponso. 3. Sponsæ specialem. Superius namque sponsa communem lectulum floridum dixit, & nunc in lectulo suo sponsum se quæsivisse conquesta est, & infra Salomonis lectulum mira custodia munitum affirmat. Et potest hic triplex lectulus pro uno reputari, ut dicatur triplex diversa consideratione, cum tamen sit vnus loci positione. Est namque hic lectulus cœlestis beatitudo. Hæc est lectulus communis sponso & sponsæ cohabitatione; quia verò est sponsus, ibi & sponsa. Specialis sponsæ meritorum comparatione; quia sibi eum promeruit meritis sanctis. Sponsi solius primaria præparatione: ipse namque hunc locum sponsæ paravit, quando multiformi gratia spiritus illi eam loco aptam fecit. Constat autem quod hic triplex lectus in eodem loco est, cœlo videlicet Empyreo. Namque & primus in domo Cedrina sponsæ quam Salomon sibi ædificavit, secundus in civitate Hierusalem, tertius in Sion fuisse subtiliter consideranti reperitur..

Vide Gilleber. continuat. ser. 2. circa med.

Cant. 1. v. 15.

Cant. 1. v. 4.

Triplicis lectuli mentio: 1. Communis sponso & sponsæ. 2. Sponsæ. 3. Sponso specialis.

Beatitudo diversa consideratione triplex est hic lectulus.

Potest & triplex conscientia triplex lectulus appellari, & secundum hoc; primus quidem

Triplex conscientia triplex lectulus dici recte potest.

ſtratus eſſe videtur in domo communi: ſecundus vero & tertius in domo matris ſponſæ, in cubiculo genitricis. Et eſt primus jucundus & aptus, ſecundus occultus & reverendus, tertius munitus & metuendus. Primus eſt conſcientia in fide militantis pariter & triumphantis Eccleſiæ, quaſi extra ſe poſita: ſecundus conſcientia rationis & voluntatis ambitu infra ſe fixa: tertius conſcientia intra ſinum dilectionis divinæ tota ſupra-poſita. Prima in exemplis & meritis ſanctorum confidit, & velut in floribus aliunde habitis delectatur: ſecunda infra ſe in occulto propriis jucundatur & humiliter confidit in meritis; tertia vallatur & tutatur divinis luminaribus, mirifque fulgoribus. Sicut differt lectus à lecto, ſic ſomnus à ſomno. In primo ſomnus accipitur poſt guſtum & potum, ſponſa languente amore; in ſecundo poſt multum longumque circuitum, ſponſa quieſcente ex labore: In tertio poſt potum conditum & muſtum ſuaviſſimum efficaciſſimumque, ſponſa moriente ex dulcedine.

Variis induſtriiſque conceptibus eam triplicé conſcientiam explicat.

De prima.

Conſcientia namque de juſtorum deiformium meritis excellentibus ſana, dum alios ſponſi vita propinquiores, clariores ſapientiâ, gratiâ chariores conſpicit, amore languet ſponſi quem in eis cernit, ad ipſorumque perfectionem, ad virtutum pervenire ſummoperè geſtit ſimilitudinem; ideoque ſponſi læua, ſobria intelligentia, in eo amore tenetur fulcita floribus, ſtipata malis; & ut creſcat amor ampliùs dextera collum amplectitur. Intelligentia enim quantò qualique ſunt digni amore, quantùm reverendi, qui tanti taliſque ſponſi ſunt amatores, qui ejus portant, imaginem dictat & aſſerit. Sapientia quanta

sponso, quo tales, tam speciosi tam boni sunt dulcedine adhærendum non sensu declarat, sed gustu; non arguendo, sed viscera perfundendo. Conscientia vero peculiaria sua dona conside- rans, specialia dona in largitore admirans, non alios quos imitetur quærit, sed ad ipsum qui in seipso in infinitum sanctis supereminet, licet cum labore, ascendere tamen pro viribus satagit. Conscientia vero extra ducta, & Deo immissa virtutum suarum pigmentis, & supercœlestium mentium novis & superæstuantibus gaudiis sponsum inebriat, & quasi extra factum ad extaticum amorem ducit. Ideoque velut zelotes, amantis bonitatis abundantia extra se factus, & sicut bonitate, dilectione atque amore, quasi ab omnibus super omnia segregatus, læva subjecta, dexteraque superinjecta sui amativi desiderio raptus in se, per se, ad se sponsam sursum agit, & ad ineffabile quoddam, & indicibile culmen adducit, sicut infra patebit. In primo ergo lecto sponsa dormit in Deo in imagine à se alia reflorenti. In secundo dormit in Deo in sua imagine refulgenti. In tertio dormit in Deo in seipso resplendenti. In primo dormiet meritorum oblita suorum; in secundo bonorum oblita forinsecorum; in tertio meritorum oblita & suorum pariter & alienorum. In quolibet istorum lectulorum sponsa sponsi dulci absorbetur amore; in primo per admirationem; in secundo per gratiarum actionem; in tertio per immensitatis stupefactionem. Somno primo à sponso excitationis terminus figitur, cum à sponso suo interiori sponsa somno citatur; secundus cum calore interno sponsæ animus etiam absque voce sursum attollitur; ter-

De secunda.


De tertia.

Eximiè.: at etiam sæpe obscurè.

tius cum sponso ascendente superius, innixa sibi sponsa superius trahitur. A primo somno citationis sponsæ affectus voce ipsius dignoscitur. Cum namque saliens in montibus, & transiliens colles sponsus venit, cum mentes omnes in infinitum extendens occurrit quærit ut de somno quo in se dormit in aliis surgat, & non jam in aliis, sed in seipsa sponsum quærat, admonet & inducit. A somno secundæ sponsæ suscitationis voluntas repentino adventu advertitur; cum enim in se sopita subito excitatur, & corde pariter & carne in Deum vivum erigitur quod excitari velit, præpeditur. Excitationis affectio à somno in Deo trahentis sponsi sequela perpenditur: quia cum in Deo absorpta quasi rursus evigilans Deo ascendenti sponsa innititur, quasi evigilare, velit arguitur. Sed quid est quod dicit: *donec ipsa velit*. Non primariæ suscitationis voluntas requiritur, sed plenariæ vigiliæ affectus exposcitur. Licet enim à somno triplici diversis temporibus sic tripliciter excitetur, rursus tamen sopore demergitur, & amica quietis, nisi ad altiora provocetur ad somnum pristinum citius labitur. Igitur somnis extremis ad præsens omissis de hujus excitatione prosequamur. Sponsa quæ dormiebat nescio quomodo anxiè ascendente, adjuratæ admirantur adolescentulæ, & quod evigilare velit edoctæ, subito exclamant: *Quæ est ista*, &c.

Hactenus Comment. in cap. 3. Cantic.

LECTORI.



VM Sanctus Bernardus morte præventus ea quæ in Cantica Canticorum commentaria proposuerat, minimè potuisset absolvere: Gillebertus Abbas de Hoilandia in Anglia sex quæ supererant capita hujus sancti Melleo spiritu abunde illitus, simili methodo pietatisque instituto suis tentaverat sermonibus illustrare. Verùm & ipse morte praoccupatus, desiderium animæ ejus tribuit ei Dominus, sed voluntate labiorum & calami ejus fraudavit eum, cum labore imperfecto qui desiit esse, desierit & scribere. Tandem elapso ad minus sæculo (quantum saltem ex codicis scriptura, & ex dictione scolastica barbariei ferè vicina, tractandique ordine licet conjicere,) quidam eruditus Abbas G. præ tædio tabescens tam insigne utileque opus diu sistere pendulum, audax aggreditur facinus, huic primam, postremamque manum constituit admovere. Et primam quidem, quia à principio expositionis Bernardianæ exorsus, quæ late differuerat disertissimus Doctor 86. sermonibus, brevius coegit in compendium: ultimam verò, quod a parte qua finierat, ipse cætera stilo suo, non quidem in sermonum, sed pressioris commentarii formam prosequutus sit, perduxeritque in finem. An pari fœlicitate, nolim asserere? Certè tamen, si in magnis, ut aiunt, arduis-

que rebus vel audere sit satis, quantò laudabilius consummare. Infunde mihi respondebat sanctus Thomas Aquinas, spiritum Bernardi, & tibi atque ille, Canticorum mysteria reserabo. Tandem, Lector, ex iis quæ tuis objecta sunt oculis, pronuntiaveris. Integrum noluimus transcribi, tum ratione prolixitatis (esset plus 40. foliorum) quam præsentis voluminis non patiebatur exiguitas (Novæ operum omnium D. Bernardi aptius adjungeretur editioni, aut cuderetur separatim.) Tum quod ex hujus solius tertii capitis lectione, simul de arte judicare quis valeat, qua, & sancti Bernardi auctor contraxit commentaria, & auxit suis. Tum denique præ obscuro, digno aliàs omni famâ, eruditissimi auctoris nomine, unico caractere designato, & quidem satis deformiter picto. An esset Guillelmus Paruus Beccensis Abbas? florebat 1170. *De eo certiora à doctioribus optaremus renuntiari, atque de integritate operis; mutilum enim meum codicem suspicor, qui expositionem ab iis solum incipiat, referatque verbis Cant.* 2. *v.* 8. Vox dilecti mei, *in iisque concludat Cant.* 8 *v.* 8. Si dederit homo omnem substantiam pro dilectione, *&c. Sic autem iis locis habet.*

Cant. 2. 10.

Vox dilecti mei. Quia peritiorum sensum meritò amplius approbamus quàm nostrum, quid super his quę sequuntur beatus senserit Bernardus breviter perstringamus. *Vox dilecti mei.* Si bene advertis ex auditu vocis dilecti: *adjuro vos filiæ Hierusalem*, &c. duo sponsa deprehendit, virtutem vocis, & præsentiam sponsi. Vox ejus ipsius inspiratio, virtus vocis, timoris incussio in cordibus adolescentularum,

Bernard. ser. 53 in cant. num. 1.

Nam justa trepidatio parvulorum quæ suas necessitates æquo animo sustinet, & Patris spiritalis non audet grata otia perturbare, manifestè signat eos audisse intus quasi minacem atque increpatoriam illius vocem: qui dicit: *Ego qui loquor justitiam.* Timoris fructus, cessatio a molestia sponsę, vacantis quies sponsæ, Isa. 63
& pro quiete ipsius gaudium & exultatio; propterea videns sponsa novam adolescentularum Ibid. num. 1.
verecundiam, quod videlicet non auderent ingerere se sancto otio ipsius sicut heri & nudius tertius, exultans in spiritu, sive pro ipsorum profectu, sive pro sua futura liberiori quiete, sive pro dignatione ac favore sponsi, ait: *Vox dilecti mei.* Hæc fecit, adolescentulas coercuit, pacem mihi captavit. Et quia, ut præmimus, ex audita vocis præsentiam dilecti comperit, auditus enim ducit ad visum; quia *fides ex auditu* qua Deus a corde purificato videtur, in- Rom. 2.
cunctanter incendit benè curiosos oculos ad videndum quem audierat; & videns venientem quem loquentem audierat, ait. *Ecce iste venit* Iob. 42.
&c. Simile beato Job accidit ipso testante: *Auditu* auris *audivi te, & nunc oculus meus videt te.* Similiter Apostolis: primò intonuit sonus, deinde apparuit eis igneus globus; propterea & a Patre, filię hic ordo imponitur, cum dicitur: *Audi filia, & vide.* Videns proinde à longè Psal. 44.
quem audierat. *Ecce*, ait, is *venit.* Lætis enim spectabat nova sponsa obtutibus eum qui properabat ad ipsius redemptionem, cujus concupierat decorem. Cursus porro is atque recursus notissimus est, a quo & ad quid initus consummatusque notissimum, quia *exultavit ut gigas* Ibid. num. 7.

ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus,
Psal. 18. *& occursus ejus usque ad summum ejus.* Fingerent sibi animales ista legentes, virum gigantem proceræ staturæ absentis cujuspiam mulierculæ amore captum, & dum properat ad cupitos amplexus transilientem montes collesque quorum super nubes cernuntur aliqui verticem extulisse. Sed spiritales aliter judicant, scientes, quod ista spiritualiter sunt examinanda. *Montes* igitur & *colles* ij sunt qui cantant jugiter coram Deo Laudem, Sancti Angeli celsi meritis, cumulati virtutibus, in quibus, &c. *Vide S. Bernardi eodem serm. supra laudato num. 8, & serm. seq.*

At postquam author ad hac usque devenit verba . . . Similis esto dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bethel. Subjungit, Hactenus ex speciebus beati Bernardi pigmentarij gloriosi, & nostris, vilibus quamvis, suavem mixturam proposuimus, nunc supradicta omnia repetamus, & quæ a Deo donata sunt nobis, offeramus mentibus studiosis, &c. Deinde *eosdem recommentatur versus, sensibus mysticis anagogicisque præsertim intentus, ut videre est supra, in exposit* c. 3.

Finit vero ad hac verba . . . Si dederit homo omnem substantiam pro dilectione, quasi nihil despiciet
Finis. Cant. 8. 7. *eam.* Loquitur emphaticè dilectum sponsum vocans *dilectionem*: eo quod solus & solùm summè sit diligibilis, summè appetibilis, summè desiderabilis. Si ergo pro isto dilecto tam nobili, tam pretioso, tam charo, tam fœlici, tam possidendo, emendo, possidendo in præmium recipiendo de-
Sponsus est ipsamet dilectio. derit omnem substantiam domus suæ, quasi nihil dederit, &c. Cujus domus exterioris, interioris

interioris, superioris, mundi, cordis, cœli. 3. Domus
Namque pro creatoris amore dare mundi substantiam; pro redemptoris honore, amore, naturam, corpus & animam; pro remunerationis dulcore gloriam, parùm vel nihil, immò verè nihil est. Nempe sine ipso prædicta omnia possessa nihil valent; eo habito amissa nihil nocent. Domine quid dabis mihi, aut quam commutationem pro visione tuâ recipiam? magna est domus & ingens locus habitationis tuę. Tui sunt cœli, & tua est terra, & omnia quæ in eis sunt: sed quid mihi est in cœlo & a te quid volui super terram? sine te mihi cœlum infernus est; tecum infernus cœlum. Sicut te absente amarescunt omnia, sic te præsente dulcescunt. Magnumne mihi est si omnes substantias meas in cibos pauperum pro te dedero, qui me formando dedisti me Devotio
mihi; si tradidero corpus meum ita ut ardeam, & animam meam pro te non fecero pretiosiorem, qui corpus in cibum, sanguinem in potum, animam tuam pro me dedisti gratis in pretium? &c. Sponsa, &c. Solum namque dilectionem tuam postulat, solum te dilectum quęrit, quæ in principio Epithalamii tui oris Patris osculum ardenter flagitavit; inhianter osculari petivit. Unde in hac ultima libri clausula: (*In vulgata non tamen est ultima, cum sex adhuc Versus supersint*) in hac Epithalamii extremâ sententia patet, quantum sit quod petivit in primâ. Et rectè post sponsæ ascensum triplicem charitatis perfectæ commendatio ponitur, ut ostendatur quod ipsa est principium petitionis, ascensionis motivum, viaticum viæ, laboris fi-

nis, pervenientis præmium per verbi patris unitivum osculum, quo in via summo bono unimur per gratiam, in patriâ uniemur per gloriam. Præstante ipso Incarnato Verbo Domino Jesu Christo, languentis animæ sponso, qui cum Patre, & Spiritu Sancto, Vivit & Regnat, Benedictus & gloriosus Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Rei nec dum vulgatæ, forsan nec in lucem emittendæ unquam, prolixiorem offerre non piguit citationem, quâ & hunc tractatum, ad unius Bernardi continuationem fuisse susceptum innotuit clarius, & ejus alterum exemplar, ex datis initii finisque apicibus, inter MS. facilius dignoscetur. Cæterum adverte exemplar nostrum multis in locis emendare edit. Vide not. ad Marg.





SUPPLEMENTUM OPERUM S. AMBROSII MEDIOLANENSIS EPISCOPI ET ECCLESIÆ DOCTORIS.

FIDES S. AMBROSII.

Communicavit Clarissimus Baluzius ex Bibliot. Colbert.



NOs Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, unum Deum confitemur: ita ut in Trinitate perfectâ, & plenitudo divinitatis sit, & unitas Potestatis. Nam tres Deos dicit, qui divinitatem separat trinitatis. Pater Deus, Filius Deus, & Spiritus Sanctus Deus, & tres unum sunt: tres utique personæ, sed una potestas. Ergo diversitas plures facit, unitas verò potestatis excludit numeri quantitatem: quia unitas numerus non est. Sic itaque Unus Deus, Una Fides, Unum Baptisma,

Si quis vero hanc fidem non habet, Catholicus non potest dici: quia Catholicam non tenet fidem; Alienus est, prophanus est, adversus veritatem Rebellis est.

EXPOSITUM BEATI AMBROSII EPISCOPI

IN CANTICIS CANTICORUM, ex libris sancti Doctoris exquisite sumptum.

De Apologiâ David.

O *Sculetur me osculo oris sui.* Non hic fœditatis incentiva, sed castitatis celebrantur mysteria: ubi spiritualiter agitur & affectuali quadam contemplatione de nuptiis & conjunctione Christi & Ecclesiæ, increati spiritus & creati, carnis & Spiritus.

Super beati immaculati.

Circumcidamus ergo cor nostrum, nihil vile, nihil corporeum quæramus. Vile autem omne terrenum; nihil ergo terrenum, nihil carnale, nihil sæculare, nihil corporeum, nihil leve atque mutabile in his eloquiis cœlestibus constituamus: *eloquia* enim *Domini, eloquia casta*, ut in his cœlestium mysteriorum immaculata & pudica sinceritas, spirituali interpretatione resplendeat. Non adulterina quadam opinione misceamus terrena divinis, & illud inviolabile sacramentum propheticæ visionis, aut perennis oraculi naturæ nostræ æstimatione violemus. Sive enim de osculis, sive de talibus, totum decet, quidquid defertur, religioni, ut nullum obsequium quod proficiat ad cultum & observantiam Christi erubescamus; sicut in illa saltatione David

Psal. 118. 1

ante arcam Non enim illa deliciarum comes fuit atque luxuriæ saltatio, sed quia unusquisque corpus suum attollat impigrum, nec hum pigra jacere membra, vel tardis sinat torpere vestigiis.

Hoc enim nos magisterium non invenimus, sed accepimus: sic instituit ordinem mystici carminis doctrina cœlestis: *Osculetur me ab osculis oris sui; quia bona ubera tua super vinum, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata: unguentum exinanitum est nomen tuum.* Iste deliciarum locus ludum sonat, plausum excitat, amorem provocat *Ideo*, inquit, *adolescentulæ dilexerunt te, & attraxerunt te: retro odorem unguentorum tuorum curramus. Induxit me rex in tabernaculum suum.* Ab osculis cœpit ut ad tabernaculum perveniret, atque illa impatiens duri laboris exercitatæque virtutis, agitur ut aperiat manu claustra, in agrum exeat, in castellis maneat. In principio tamen retro odorem currit unguenti, cum in tabernaculum venerit, unguentum mutatur à castellis. Denique quò evadat. *Si murus, inquit, est, ædificemus super eum turres argenteas.* Quæ ludebat osculis, jam turres erigit, ut pretiosis sanctorum turrita fastigiis, non solum hostiles frustretur incursus, verum etiam bonorum propugnaculum struat tuta meritorum. Etiam in his conjugiis temporalibus, prius plauditur quàm imperatur, ne aut * dura offendant imperia quàm blanditiis amor fotus mollescat. Bucula, plausus cujusdam sonitum discit amare, cervicis ne recuset jugum. Denique prius assuescitur verbo lasciviæ, quàm verbere disciplinæ. Ast ubi colla subdiderit jugo, & habena constringit, & stimulus urget, & compares trahunt, & jugalis

Ad Sororem.

* F. ante.

invitat. Sic etiam virgo nostra debuit prius amore pio ludere, aurea thori cælestis fulcra mirari in ipso vestibulo nuptiarum, & postes frondium sertis cernere coronatos, & chori strepentis interius haurire delicias, ne se prius Dominico jugo tumefacta subduceret, quàm vocata inclinaret.

Super beati immaculati. Oportet enim ut gradus quosdam profectuum & ordinem noverimus: quid prius, quid consequens esse debeat. Nam scire quid facias, & ordinem nescire faciendi, non est perfectæ cognitionis. Offendunt enim plerumque præpostera.

Ad Sororem. Itaque quia quot homines, tot sententiæ: Si quid defœcatum est in sermone nostro, omnes legant: Si quid decoctum, maturiores probent; Si quid modestum, pectoribus inhæreat, genas pingat: Si quid florulentum, ætas florulenta non improbet. Debuimus sponsæ citharæ amorem, scriptum est enim: *Diliges Dominum Deum tuum.* *Deut. 6. 5.* Debuimus in nuptiis crines sponsæ calamistris quibusdam orationis ornare, scriptum est enim: *Plaude manu, & percute pede.* Debuimus perpetuos spargere thalamos rosis.

Incipit textus: exposit. De beati immaculati. Ante vita quàm doctrina quærenda est. Vita enim bona & sine doctrina habet gratiam: doctrina sine vita integritatem non habet. *In malevolam* etenim *animam non cadit sapientia.* *Sap. 1. 4.* Ideoque ait: *quærent me mali, & non invenient*: quia improbitate mentis oculus cœcatur, & caligante sibi iniquitate mysteria profunda invenire non potest. Plurimum ergo exercenda est vitæ militia, corrigendi mores; cum hæc instituerimus ad cursum debitum ut sit offensionis correctio, puritatis gratia, tunc ad studia percipiendæ cogni-

tionis veniamus, suo ordine & via. Prima igitur sunt moralia, secunda mystica. In illis vita, in his cognitio; ita ut si perfectionem requiras, nec vita sine cognitione, nec cognitio sine vita sit. Utrumque astipuletur alteri. Quam institutionem secutus Salomon librum de *Proverbiis* scripsit, quo Moralem locum uberius expressit; Naturalem in *Ecclesiaste*, Mysticum in *Canticis Canticorum*: quamquam si diligenter discutias, & in Proverbiis Mystica pleraque reperias, & in Canticis Moralium suavitatem. Nam utique Mysticum est: *Sapientia ædificavit sibi domum, & subdidit columnas septem, interfecit suas hostias, &c.* Hoc quippe in Canticis lucet mysticum quod morale, in quo blanditiarum suavitas & affectus amantis exprimitur. *Osculetur me ab osculis oris sui: quoniam optima ubera tua super vinum, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Constitue ergo Virginem desponsatam multo tempore, & justo ferventem amore, quæ multa præclara opera Dilecti probabilium testium assertione cognoverit, desideriis suspensis dilatam frequenter jam non ferentem moras, quæ omnia fecisset ut sponsum videret, aliquando potitam suis votis ad improvisum sponsi adventum gaudio turbatam, non quærere primordia salutationis, non verborum vices, sed statim quod desiderasset exigere: Ita ergo & Sancta Ecclesia quæ in primordiis mundi desponsata in Paradiso, præfigurata in Diluvio, annuntiata per Legem, vocata per Prophetas, cum diu redemptionem hominum, Evangelii decorem, dilecti expectasset adventum, impatiens moræ in oscula ruit, dicens: *Osculetur me ab osculis oris sui.* Et de-

lectata osculis adjecit: *Quoniam optima ubera tua super vinum*. Et ut moralius dicamus. Intelligo carnem illam quæ madefacta facta fuerat in Adam serpentis veneno, quæ criminum marcebat fætore, quæ procedebat in filiabus Sion alta cervice, & nutibus oculorum, & itinere pedum trahens tunicas, & pedibus suis ludens crinibus, cincinnis & compositis vultibus atque redimiculis & omni affectata decore plus dedecens; eamdem tamen plurimis edoctam oraculis quod venturus esset qui serpentis illecebris exclusis sancti Spiritus infunderet gratiam, ut omnis caro videret salutare Dei, omnis caro ad Deum veniret, marcisse desiderio; sed metuentem ne, ut impatiens, ut lasciva, ut luxuriosa, ut querula sicut ante fuerat, displiceret, quamvis longiore quàm ferre jam poterat morantis adventus Dominici expectatione quateretur, non in murmurantem tamen nec transgredientem, sed levantem in omni loco puras manus sine ira & disceptatione, in habitu ornato cum verecundiâ & sobrietate ornantem se, non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste preciosa; sed iis quæ castitatis & bonæ conversationis decerent gratiam, orare dicentem: *Osculetur me ab osculis oris sui: Quoniam optima ubera tua super vinum*. Jam volebat adhærere Christo caro, jam festinabat innubere, ut esset unus spiritus, & fieret caro Christi, quæ erat ante meretricis: *osculetur*, inquit, *me*. Osculatur nos Dei Verbum, quando sensum nostrum spiritus cognitionis illuminat.

De Patriarchis. Igitur vel Ecclesia est jam diu promisso sibi per Prophetas dominico adventu per tempora

multa suspensa, vel anima quæ elevans se a corpore, abdicatis luxuria atque deliciis, voluptatibusque carnalibus, exuta quoque sollicitudine sæcularium vanitatum jamdudùm infusionem sibi divinæ præsentiæ & gratiam verbi salutaris exoptet, commacerari eam quòd serò veniat & affligi; ideo quasi vulneratæ charitatis, cum moras ejus ferre non possit, conversam ad patrem, rogare, ut mittat sibi Deus verbum, & causam quâ sit ita impatiens declarare dicentem: *Osculetur me ab osculis oris sui.* Non unum osculum quærit, sed plura ut desiderium suum possit explere. Quæ enim diligit non est unius osculi parcitate contenta, sed plurima exigit, plura vendicat, & ita se dilecto amplius commendare consuevit. Denique illa in Evangelio sic probata est, quia *non cessavit*, inquit Dominus, *Osculari pedes meos; & ideo remissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multùm.* Ergo & hæc anima, oscula Verbi multa desiderat ut illuminetur divinæ cognitionis lumine. Hoc est enim osculum Verbi, lumen scilicet cognitionis sacræ. Osculatur enim nos Dei Verbum, quando cor nostrum & ipsum principale hominis Spiritus divinæ cognitionis illuminat, quo anima donata charitatis pignore nuptiali, læta atque ovans dicit: *Os meum aperui, & eduxi spiritum.* Osculum est enim quo invicem amantes sibi adhærent, & quasi gratiæ interioris suavitate potiuntur. Per osculum adhæret anima Dei Verbo, per quod sibi spiritus transfunditur osculantis: Sicut etiam ii qui se osculantur, non sunt labiorum prælibatione contenti, sed spiritum suum sibi invicem videntur infundere.
Osculetur me ab osculis oris sui. Vis ad Chri-

De Sacramentis. stum aptare, nihil gratius. Vis ad animam tuam, nihil jucundius. *Osculetur me*: vides te mundum ab omni peccato, quia delicta deterſa ſunt. Ideo te Sacramentis cœleſtibus dignum judica. Et ideo invitat ad cœleſte convivium, ut *oſculetur te ab oſculis oris ſui*. Tamen propter ſequentia, anima tua, vel humana conditio, vel Eccleſia vidit ſe ab omnibus mundatam eſſe peccatis, dignam quæ ad altare poſſit accedere Chriſti. Quid eſt enim altare, niſi forma corporis Chriſti? Vidit ſacramenta mirabilia, & ait: *Oſculetur me ab oſculis oris ſui*: Hoc eſt, oſculum mihi Chriſtus infigat. Quare? *Quia meliora ubera tua ſuper vinum*: ſuper illud vinum quod etſi ſuavitatem habet, lætitiam habet, gratiam habet; tamen in illo lætitia ſæcularis, in te autem jocunditas ſpiritalis eſt. Jam tunc ergo Salomon inducebat nuptias, vel Chriſti & Eccleſiæ, vel ſpiritus & carnis.

Super beati immaculati. Et tanquam deſpiciens omnes jucunditates & delectationes ſuas cœleſtibus cupiens inhærere mandatis, ait: *Quoniam optima* præcepta teſtamentorum tuorum ſuper omnem appetentiam carnis & ſæculi voluptatem. Meminerat enim ſe in Eva ante ſic lapſam, dum voluptatem corporis præfert mandatis cœleſtibus.

De Patriarchis. Oſtendens itaque non ſolam ſpeciem Verbi & vultum quemdam, ſed omnia interiora ejus diligere, adjungit ad oſculorum gratiam: *Quia bona ubera tua ſuper vinum, & odor unguentorum tuorum ſuper omnia aromata*. Illa oſculum popoſcit, Deus verbum ſe ei totus infudit, & nudavit ei ubera ſua, hoc eſt, dogmata ſua, & interioris ſapientiæ diſciplinas, & unguentorum

suorum dulci odore flagravit, quibus captiva, dicit uberiorem esse jucunditatem divinæ cognitionis, quàm lætitiam omnis corporeæ voluptatis, &c. *Non ulterius prosequor v. observ. infra circa finem.*

Qui sedes in hortis amici intendentes voci tuæ: Vocem tuam insinua mihi. Delectabatur enim quod in hortis Christus sedebat, in hortis positi amici intendebant voci ejus. Sed quia amici illi de cœlestibus erant Archangeli, vel Dominationes & Throni: homines enim expulsi de Paradiso fuerant propter inobedientiam cœlestium mandatorum. Si enim consideremus in Paradiso defecit humilitas, & ideo venit de cœlo. In Paradiso orta est inobedientia, & ideo obedientia cum Salvatore descendit, atque ideo adhuc Ecclesia vocem ejus audire non poterat quam cupiebat audire, ideo ait: *Vocem tuam insinua mihi.* Unde & nos si volumus eum in nobis sedere, simus horti clausi atque muniti, feramus virtutum flores, gratiæ suavitatem, ut disputantem Angelis Dominum Jesum audire possimus. Sed quia futurum erat ut cum ad plenitudinem Ecclesia pervenisset, persecutionibus variis tentaretur, ideò cum Verbi gratiæ delectaretur subito cernit insidias persecutorum. Et quia plus sponso quàm sibi timeret, aut quia à persecutoribus magis Christus appetitur in nobis, ideo ait: *Fuge frater meus & similis esto tu capreolo, aut hinnulo cervorum super montes aromatum.* Propter infirmos fugit qui tentamenta graviora ferre non possent, ideoque scriptum est, ut de civitatibus ad civitatem fugiamus, & si nos in hac civitate fuerint persecuti, fugiamus in aliam. Propter infirmos igitur, ut diximus, fugiat, aut fugiat

Super beati immaculati. Cant. 8 v. 13. & 14. ceu ultim.

ab infirmis, & transeat ad montes aromatum, quæ præ martyrio odorem possunt beatæ resurrectionis afferre. Montes aromatum, sancti sunt. Ad eos fugit Christus, quia fundamenta ejus in montibus sanctis, ad eos igitur confugit qui sunt ejus stabilia fundamenta: In nobis fugit, in illis fida statione consistit. Mons igitur Paulus est qui potest dicere: *Bonus odor Christi sumus Deo.* Mons aromatum David, cujus orationis odor ascendebat ad Dominum, & ideo dicebat: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Symmachus tamen & Aquila interpretati sunt quod Christus dicit ad Ecclesiam: *Quæ sedes in hortis*, hoc est: Jam in hortis sedes, superna digna Paradiso, & ideo *vocem tuam insinua mihi cui amici intendunt*: Ego quoque eam audire desidero. Cœpit in hortis esse Ecclesia, postquam in hortis passus est Christus.

2. Cor. 2.

Psal. 140.

Ad Sororem.

Fuge frater meus & similis effic ere cervo, aut hinnulo cervi in montes aromatum. Serpentinis enim invisus colubris & fugitans canum, atque humi reptantibus infestus serpentibus. Nescit habitare nisi in sublimitate virtutum, nescit commorari nisi in talibus Ecclesiæ filiabus quæ possunt dicere: *Christi enim bonus odor sumus Deo.* Sed quibusdam odor mortis in mortem, in his qui pereunt: quibusdam odor vitæ in vitam, in his utique qui odorem resurrectionis Dominicæ vivida fide sperant. Illi sunt aromatum montes qui Domini Jesu corpus acceperunt, & in linteis cum aromatibus ligaverunt. Quicunque enim crediderunt quod Jesus mortuus est, & sepultus est, & resurrexit: ii excelsum verè cacumen fidei virtutum fastigiis extulerunt. Ubi ergo Chri-

2. Cor. 2.


stus quæritur ? In pectore prudentis scilicet sacerdotis.

Fuge frater meus. Hortatur ut fugiat sponsus: Quia jam sequi potest etiam ipsa terrena fugientem. Dicit, ut similis sit amulæ quæ evadit de retibus. Uult enim & ipsa fugere, & evolare supra mundum. Fugiamus igitur in patriam verissimam. Illic patria nobis, & illic pater à quo creati sumus: vel Hierusalem est civitas quæ est mater omnium. Sed quæ est fuga ? Non utique pedum, qui sunt corporis. Isti enim quocunque iverunt, in terra iverunt, & de solo ad solum transeunt. Nec navibus fugiamus aut curribus, aut equis qui obligantur & cadunt. Sed fugiamus animo, & oculis, & pedibus interioribus. Assuescamus videre oculos nostros, videre quæ dilucida & clara sunt, spectare vultum continentiæ & temperantiæ, omnesque virtutes in quibus nihil scabrum, nihil obscurum & tortuosum sit, & ipsũ expectet quis, & conscientiam suam per illum oculum mundet, ne quid habeat sordidum. Quod enim videtur non debet dissonare ab eo qui videt: quoniam conformes nos Deus magnus voluit esse filii sui. Cognitum igitur nobis est illud bonum, nec *longe est ab unoquoque nostrum. In ipso enim vivimus, & movemus, & sumus; ipsius enim & genus sumus*, ut Apostolus, & Gentilis posuit. Ipsum est enim bonum quod quærimus, solum bonum. *Nemo enim bonus, nisi unus Deus.* Hic est oculus qui magnum illum & verum decorem tuetur. Solem nisi sanus & valens oculus non aspicit, nec bonum potest videre nisi anima bona sit. Ergo bonus qui vult videre Deum, & quod est bonũ. Hujus boni similes simus, & secun-

De Patriarchis.

dum id operemur quæ bona sunt. Hoc est bonum quod supra omnem operationem est, supra omnem mentem atque intellectum. Ipsum est quod semper manet, ad ipsum convertuntur omnia, *in quo habitat plenitudo divinitatis*, & per ipsum convertuntur omnia in ipsum. Et ut plenius diffiniatur quid sit bonum, quod semper manet, dans vivere omnibus, & fons est omnium vita Christus, de quo Propheta ait: *In umbra ejus vivemus.* Nunc enim *vita nostra absconditu est cum Christo. Cum autem Christus apparuerit vita nostra, tunc & nos cum illo apparebimus in gloria.* Ergo non timeamus mortem, quoniam requies est corporis, animæ autem vel libertas, vel absolutio. Nec vereamur eum qui potest carnem interficere, animam non potest: Quia non timemus eum qui potest vestimentum auferre: non timemus eum qui potest nostra furari, nos autem non potest. Nos igitur animæ sumus, si volumus esse Hebræi de iis qui sunt socii Jacob, id est, imitatores ejus, nos animæ sumus. Nostra autem membra sunt servanda. Sunt quidem vestimenta, ne scindantur, ne inveterescant. Sed ille magis iis qui utitur, servare se debet & custodire.

Explicit expositum beati Ambrosii Mediolanensis Episcopi de Cantico Canticorum, ex diversis libris ejusdem S. Confessoris exquisitè assumptum.



RECAPITULATIONUM

LIBER UNUS.

Recapitulatio de Paradiso, fonte ac fluminibus, & ligno vitæ.

PLantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio. Paradisus Ecclesia est, sic enim de illa in canticis canticorum legitur; *hortus conclusus es, soror mea.* A principio autem paradisum plantaverat: quia Ecclesia Catholica à Christo principe omnium condita esse cognoscitur. Fluvius de paradiso exiens, imaginem portat Christi de paterno fonte fluentis qui irrigat Ecclesiam suam verbo prædicationis, & dono baptismi, de quo bene per prophetam dicitur; *Dominus Deus noster fluvius gloriosus exiliens in terram sitientem.* Quatuor autes paradisi flumina, quatuor sunt Evangelia in cunctis gentibus missa. Ligna fructifera omnes Sancti sunt, fructus eorum opera. Lignum Vitæ Sanctus Sanctorum, utique Christus, ad quem quisque si manum porrexerit, vivet in æternum. Lignum autem scientiæ boni & mali proprium est voluntatis arbitrium, quod in medio est positum ad dignoscendum bonum & malum: de quo qui Ecclesiâ Dei gratiâ gustaverit, morte morietur. Quatuor esse mortes sacra

Gen. 2. 8.

Cant. 4. 12.

Vide D. Ambros. lib. de paradiso.

scriptura manifestissimè ostendit: Prima mors est animæ quæ suum deserit auctorem. Cum enim deserverit, peccat. *Sine*, inquit Dominus
Mat. 8. 22. in Evangelio, *mortuos sepelire mortuos suos*. Ecce habes animas sepelientes mortuos, & quos sepeliunt secundùm carnem mortuos. Hæc itaque sententia duas mortes manifestissimè ostendit; unam animarum; alteram corporum; tertia solius est animæ, quam dum ex hoc corpore
Luc. 16. 24. exierit patitur, ut ait Dives: *crucior in hac flamma*. Quarta autem mors est cum anima receperit corpus, ut in ignem mittatur æternum.

Recapitulatio Spiritualis.

Serpens autem ille sapientior omnium bestiarum, indicat diabolum, qui inde serpens dicitur, quod volubili versatur astutiâ. Sed quid est quod per mulierem decepit, & non per virum? Quia non poterat ratio nostra seduci ad peccandum, nisi præcedente delectatione in carnali infirmitatis affectu, qui magis debet obtemperare rationi, tanquam viro minanti. Hoc enim in unoquoque geritur in occulto quodam secretoque conjugio. Suggestionem quippe serpentem accipimus, mulierem vero animalem corporis sensum, rationem autem virum. Ergo quando occurrit mala suggestio, quasi serpens loquitur. Sed si sola cogitatio oblectetur illius suggestionis, & refrænante ratione consensus explendi operis non succedit, sola mulier videtur comedisse illicitum. Quod si ipsum peccatum etiam & mens perpetrandum decernat, jam vir deceptus est, jam mulier viro cibum dedisse videtur.

detur. Illecebris enim consentire, de ligno prohibito manducare est. Tunc quippe à vita beatâ tanquam à paradiso expellitur homo, peccatumque ei imputatur, etiamsi non sequatur effectus. Hæc secundum Anagogem. Cæterùm juxta metaphoram poterit callidus serpens iste hæreticorum versutiam designare. Nonnulli enim loquacius atque subtilius promittunt illicita curiositate secretorum adapertionem, atque scientiam boni & mali: Unde illa in Salomone mulier hæreticorum speciem tenens dicit: *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavis.* Et quia carnalia omnino persuadent, quasi & carnalium oculorum adapertionem conantur adducere, ut interior oculus obscuretur. Prov. 9. 17.

Recapitulatio de foliis fici.

QUi sæculum amplectuntur, qui pro regione voluptatis carnalis arantur, quique decepti hæretica pravitate, & gratiâ Dei nudati, tegumenta mendaciorum, tanquam folia fici, colligunt facientes sibi succinctoria pravitatis cum de Deo vel Ecclesiâ mentiuntur, ut ait Gregorius: Adam post peccatum inobedientiæ mox pudenda contexit: Quia contumeliam spiritus Deo intulit, mox contumeliam carnis invenit, & quia auctori suo esse subditus noluit, jura carnis subditæ quam regebat, amisit, ut in se ipso inobedientiæ suæ confusio redundaret, & superatus disceret, quod elatus amisit. Vide Greg. Magn. Mor. l. 4. c. 25. & 26.

Recapitulatio de pectore & ventre serpentis.

NOmine Pectoris signatur superbia mentis: nomine autem ventris figurantur desideria carnis. His duabus rebus serpit diabolus qui decipere molitur, id est, aut terrena cupiditatis luxuria, aut superbiæ insana ruina. Terram comedit Diabolus, quia tendit ad victimas ejus qui terrenis implicatur.

Recapitulatio de excusatione peccati Adæ.

Vide *Greg. supra.* QUatuor modis perpetratur peccatum in corde, & quatuor consummatur in opere. In corde enim fit suggestione per adversarium, delectatione per carnem, consensu per spiritum defensionis, audacia per elationem; *Gen. 2.* ut, *mulier dedit mihi, & comedi.* Unde & illam primi hominis rectitudinem his quatuor actibus diabolus fregit.

OBSERVATIO.

DE tribus præcedentibus opusculis ita sentio. Primum, Confessio Fidei, *planè mihi videtur Ambrosii, quâ tum superioris, tum æqualis temporis hæreses Arrii, Sabellii, &c. ceu fulgure, profligavit. Alterum ex libris ejusdem S. Ambrosii in cantica canticorum* Commentarium *à vetustissimo collectore est, de quo ejusque labore plura dicerem, nî doctissimi Viri* Congregationis *S. Mauri, eorumque omnium speculator, artifex &* Calamus *D.*

Dufriche Amicus noster, Theologus undequaque Eruditus, atque vitæ S. P. Augustini, ultimo tomo currentis impressionis inserendæ historicus. Ni, inquam, ii præcellentissimi litterarum Proceres fœlicius deberent illud exequi, in sua, quam moliuntur, operum hujus sanctissimi doctoris editione accuratiori, ad ejus calcem integrum illud expositum propriâ sede, quod unum erat in votis, collocaturi. Quam & ob rem diligentissimos Scriptores occupare noluimus; satis mihi fuerit exposit. primi & ultimi versus specimen obtulisse, quo de merito, & methodo venturi operis præjudicarè valeant peritiores; & de silentio Democharis Doctoris Sorbonici, alterius, si tamen aliud penè dicendum sit, ex libris S. Ambrosii in Cantica Canticorum Commentarii Compactoris. Eam expositionem ne nominat quidem, quasi ejus fugere potuerit oculos, exposita in Bibliotheca Navarræa, ex cujus MS. eam eduximus, quamque virum pervestigatorem antiqnitatis studiosissimum infinities perlustrasse, nemo est qui non sentiat satis. Tertium tandem, Recapitulationes scilicet, quæ postibant in cod. Comment. in Cant. fortasse auctoris ejusdem sunt, non ab Ambrosio. Ita laudatur Gregorius Magnus.





SUPPLEMENTUM OPERUM S. GREGORII PAPÆ PRIMI.

Iam primo in limine rogabis, lector, quid operibus hujus Doctissimi Pontificis suppleamus, *quibus tantùm non addimus, quin immò eruditissimo Commentario succidamus. Paucis solvo. Sequenti quidem tractatu minuimus, at præsenti longè utilissimo augemus consilio*: Deinceps ex cęteris operum hujus sanctissimi Doctoris editionibus eæ expositiones distrahantur; quæ sunt

S. RADULPHI FONTANELLENSIS ABBATIS COMMENTARIORUM IN CANTICA CANTICORUM, LIBRI DUO.

Præfatio Auctoris.

Ceu epistola vicem Præfat. Gerens.

SErvo Dei Incluso dilectissimo suo Anffrido, quondam Filio & Amico, modò divinâ cui

voluerit gratiâ, Patri, & Domino Frater R. hominum minimus, vitam, gaudium, & gloriam quæ verè gloria est.

Multis jam nuntiis inertiam meam fervor tuus in Dominum sollicitat, ut tibi Librum quem antè hos quàm plurimos dies super Canticum Canticorum scripsi, mittam. Vix igitur nunc mitto, quem à nemine videri vellem, si omnibus abscondere possem. Quem enim rudis & impolitus artifex fecerit annulum, ab aliis videri formidat, omnes inspectores, non laudaturos, sed judicaturos expectat. Et ostendit itaque & metuit, quia & sibi de opere suo minimè credit, & de alterius judicio non confidit, dum id quod sibi soli ante examen perfectè non placet, in examine displicere pluribus timet. Sic ostendentis & sic paventis accipe Opusculum Amici tui. Judica quid placuerit, & rescribe quod judicaveris. Videor forsitan pluribus, quod & tibi videri timeò, hoc opus præsumptione cœpisse, præsumptione perfecisse (si tamen perfectum est dicendum, quod à Doctoribus melioribusque viris est adhuc examinandum, & utique corrigendum) mihi quippe fateor cum magna indignatione fieri videtur, ut ego tam rudis studio, tam stolidus ingenio, tam sordidus peccato, in tam antiquum, tam doctum, tam nitidum opus proruperim, ut Salomonis verba exponerem, qui de Salomone nihil habeo, nisi forsitan quod de illò abominabile lego; scilicet, cum senex factus fuerit, nunc sapiens esse destiterit. Mihi tamen Amico tuo crede, quod hunc quem tibi mitto multis ridendum libellum, rogatus cœpi, multotiens admonitus perfeci. Rogavit me Dominus Anastasius Dilectissi-

mus Frater & Dominus meus, admonuerunt verò cum illo & alii multi, non tantùm pensantes mihi innatam stultitiam, quantùm amantes eam secretorum verborum qualemcunque sibi clarere peritiam; quamvis nonnulli alii, & maximè Domnus Beda in hoc eodem laboraverint, secreta patefecerint, posterisque lectionem utilissimam reliquerint. Sed non omnes omnia inveniunt. Tu ergo Serve Dei humiliter lege quæ inveneris, & si placuerint, inscribe quæ legeris.

Rogo vero ut in duo principia hoc opus dividas; quia dictamen istud dum à seipso variatur, turpe est si sub uno principio universum concludatur. Dum enim ego in cella solitaria positus Cantica Canticorum exponerem; contigit, ut me quidam Amici mei supervenientes, exponentem invenirent; cumque ea quæ jam exposueram per partes legerent, laudaverunt quidem opus, sed quod Canonicorum librorum exempla non inseveram, quibus quæ dicerem probarentur, hoc minus inesse dixerunt. Ex illo mox tempore quæ memoriæ occurrerunt, pro re quam agebam, exempla apposui, quamvis non necessaria mihi esse viderentur. Maximè enim compunctioni in expositione intendens, non probanda, sed interius inserta dixeram; unde postea exempla colligens, dum brevitatis studio strictius exposita minus suavia legenti videntur. Dictaminis itaque varietas quæ exemplorum insertione fit, ibi notatur, ubi dicitur: *Vadam ad montem myrræ & ad collem thuris.* Hoc dicto & exposito, finiatur primus liber: incipiatque secundus, sic oriens: *Tota pulcra es amica mea, & macula non est in te.*

Observare licet quanta humilitate amicorum cõsilio judicium suum author substernat.

Cant. 4. 6.

Ibid. v. 7.

DISSERTATIO.

Quâ de utroque Radulpho quæritur, Fontanellensi, & Flaviacensi.

JAm indubitatum erit posteris S. Gregorio Magno Pontifici Maximo ascribenda minimè esse Commentaria in Cantica Canticorum hactenus Sancti hujus Doctoris numerata operibus, ejusque evulgata sub nomine. Enimvero Autor superiori Præfatione, ceu Epistolâ, opus suum iis distinxit lineamentis, notis signavit, ut medio sole cæcutire sit, editoris characterem in fœtu non agnoscere, atque de alio patre quærere magis. An eâ in *expositione* interpres alios venatur sensus præter *morales*? Aliud intendit à *compunctione* legentis, *aliqua Canonicorum librorum inseruit exempla* à Commentarii principio ad hæc usque prima secundi libri verba: *Tota pulcra es &c. quibus quæ diceret, probarentur?* minimè sane. Nullas prorsus scripturæ sacræ completas retulit sententias, si unam excipias, aut alteram. Accedas Lector, & judices. Interim de doctissimo sanctissimoque autore revelemus aliquid, ad id tempus, vel doctioribus vix noto, cujus & nomen memetipsum diu latuit, quippe decurtatum, soloque grammate R. in MS. codice conformatum. Verùm quis tandem est vir ille insignis. R? Filius deducet me in faciem notitiamque Patris. Is erit sanè qui *Ansfridi*, ceu *Ansfredi quondam Pater*, jam vero adepta pari cum eo Abbatis dignitate vicissim ejus æque Pater dicendus sit & *Dominus*. Abbatibus namque in frequenti more fuisse positum mutuas per epistolas Patres ac *Dominos* se inscribere, passim le-

Io Elementum R. in præced. præf. designat Radulphum Fontanell. Abbat.

gere est apud Petrum Cluniacensem, S. Bernardum, Goffridum Vindocinensem, Stephanum Tornacensem, &c. Ita pronuntio: *Radulphus* est 30. Fontanellensis Abbas. Ille etenim mihi unus occurrit, in historiis cujus nomini prima R. littera præfixa sit, cuique illud conveniat Monachum, aliquem dictum Ansfridum educasse filium, præfecisse Abbatem. At utrumque de nostro Radulpho testatur hujus Monasterii Chronic. Appendic. Prim. cap. 8. tom. 3. Spicileg. Acheriani, iis verbis scribens: *Humfridus vitulis cœnobium in proprio fundo, qui Pratellis nuncupatur ædificare disposuit; qui accersito Radulpho*, sic legendum, non verò *Gradulpho*, depravatam lectionem jam reformaverat Arturus du Monstier in sua Neustria Pia ex cod. MS. Pratellensi, *Abbate, ejus consilio ejus Monasterii ædificium instituit, sicque demum eumdem Pratellis locum regendum illi contradidit; ubi ille accepta potestate Monachos ex suis constituit*, &c. *Abbatem Ansfridum nomine, secundùm sancti Benedicti regulam sibi professum ordinari fecit, &c.* Ita planum est perspicuumque illud testimonium, ut ad Commentarium non Provocet. De Ansfrido plura videre poteris apud Robertum de Monte, Neustriam Piam, Sammartanos in Galliæ Christianæ tom. 4. Quem Abbatem fuisse simul & inclusum non sine exemplo esse docet vetus Epitaphium S. Leoniani Abbatis, quod extat in suburbana æde S. Petri Viennæ, referturque à Cangio in Glossario med. & infim. latinit. titulo *Inclusi*, his verbis: *Epitaphium S. Leoniani. Hic vir sanctitate conspicuus in hac urbe Viennensi Abbas extitit, Labbaria Pannonia ortus, à barbaris captivatus, Gallorum finibus devenit, Augustoduni primùm,*

deinde Viennæ claustro peculiaris cellæ conclusus, quadraginta plus annis tali ordine Christo militavit, tantæ districtionis, ut penè vultu omnibus undequaque venientibus ignotus introvixerit, cum esset verbo doctrinæ multis ad salutem notissimus. Ita ut juxta cellulam suam quamplurimos Monachos rexerit; Monachos vero ambitu Monasterii infra urbem inclusos ad sexagenarium numerum mirabili ordine paverit, & disciplinabiliter custodierit. Inclusorum ejusmodi regulam peculiarem descripsit Mathæus Raderus, & ex eo Haeftenus l. 1. Disquisitionum Monastic. tract. 8. disq. 2. vide & Stellartium nostrum in suis omnium ordinum fundaminibus.

Jam verò ad sancti Radulphum redeamus, qui ex Decano creatus Fontanellensis, seu sancti Vvandregisilli trigesimus Abbas An. 1031. prudentia, humilitate, proprii judicii abnegatione, sacræ Scripturæ, Patrum assidua lectione, quod & sola hujus tractatus suadet præfatio, cæterisque virtutibus insignitus decessit an. 1047. ex c. 8. append. 1. ad Chronicon Fontanell. laudat. supra. Cujus verba Autoris nostri encomiastica lubens exscribo. *Cum Fontinellæ locus dietim sub tanto rectore proficeret, atque illius fama bonitatis multis spectabilis foret, Episcopalis autem honor sanctæ sedis Rotomagensis paululum multis ex causis declinaret*, Malgerii incuriâ ut latè referunt historici, *visum est Pontifici Malgerio præfatæ Metropolis, quod & omni clero plebique non mediocriter placuit, ut eumdem Radulphum Abbatem sibi substitueret, & Vicarium sub se benedictione Episcopali insigniret, ut res quibus se minus sufficere perpendebat, ille suâ vice suppleret. Cum autem dies desiderata instaret, ut super hoc nego-*

2. Laudes hujus S. Radulphi.

tio Principi suggestio fieri deberet, ipse ad Monasterium, nam Rothomagi erat, de hoc ipse deliberaturus reversus est. Tertia verò die corporis subitaneis infirmitate, ad extrema pervenit, acceptaque corporis Dominici & sanguinis communione decessit, fratresque quos sua destituebat præsentia, desiderabili nimio confectos dolore reliquit. Obiit autem anno ab Incarnatione Domini millesimo quadragesimo septimo II. *Nonas Martii.* Idque cum laude sanctitatis: ejus enim Apoteosim referunt Martyrol. Benedict. Neustria Pia, Sanmartani, &c. At deinceps cum doctrinæ fama, quam sequens expositio commendat præstantissimè. Ex ejus namque conspectu definire unicuique proclive est, virum Apostolici, præcipuéque Gregoriani spiritus, eloquii, affectus usque cumulatum, ut sanctissimi Pontificis lingua locutum, calamo usum, animo imbutum fuisse videatur. Adeò cognati ambo sententiarum pondere, pietate, acumine, frequentiâ: pariter, Radulphus tamen noster paulò intricatior est Gregorio, graves, devoti, sublimes, copiosi. Quamobrem mihi mirum non est, alterius laborem alterius operibus fuisse illapsum.

3. An non is idem sit, ac Flaviacensis.

Cæterùm quod suspicimus in S. Radulpho, illud idem celebrant Authores Ecclesiastici de Radulpho, ut aiunt, Flaviacensi agentes, Commentariorum in Levitic. exquisitissimo conscriptore. Extant tom. 10. Bibliot. Patr. edit. Colon. *Autor*, inquiunt, *totum, unumque Gregorium spirat.* Videsis, ut alios omittam, Cornelium à Lapide Præfat. Comment. suorum ad eum Levit. libr. Fortè an unus idemque esset? Ætas, nomen, dictio non absimilis facilè in eam me traherent sententiam; cum maximè de appellatione

& stabilitate hujus Flaviacensis inter se digladientur Historici, quem alii Ratulphum vocitant. Consule Gesnerum in Bibl. Alii Monachum Fuldis induunt, alii Floriaci, communiter denique cæteri Flaviaci Professum retulere. Certè D. Lucas d'Acheri in hujus ultimi cœnobii Historia, notis suis ad vitam Venerabilis Guiberti Abbatis S. Mariæ de Novingento addita. pag. 601. hujus tanti viri non meminit; de Radulpho nè gry quidem, cujus vel sillabica solùm præcepsque mentio quantùm ornamenti suæ attulisset historię, nemo est qui non videat satis. De eo tamen alibi, pag. 634. quem & cum aliis Flaviaci introduxit: At revoco eam scripturam in dubium quæ extra lineā est. Vera quantùm sentio hujus erroris fuit: quia in MS. cod. sola depicta prima nominis Abbatiæ littera F, aut certè implexa cum F, L, seu semēsa eô loci scheda inventa sit, quod quidē Ænigma cum exscriptores explicare nequaquā possent, Cœnobiorum memoriæ primo occurrentium quorum & forma ea elementa admitteret F, L, qualia sunt Fuldense, Floriacense, Flaviacense, nomen substituere. Hæc sit nostra de iis Radulphis opinio quam parati sumus eradere, si quis compererit meliorem firmioribusque innixam fundamentis. In solam enim veritatem juravimus, cui uni calamum movemus, animum consecramus. Porro præcedentis Præfationis grates habeantur instructissimæ, celebratissimæ antiquissimæque Bibliotecæ Abbatiæ S. Victoris ad muros Parisienses cod. num. 18. M. h. ex quo & varias lectiones desumpsimus, quæ adjunctæ Commentario, ejus cum novo ordine novam editionem postularunt.



LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

OSculetur me osculo oris sui. Os sponsi, inspiratio Christi. Osculum oris, dulcis amor inspirationis. Dicit ergo sponsa desiderio æstuans, & in amplexum sponsi sui inardescens: *Osculetur me osculo oris sui.* Ac si diceret: Ille quem super omnia, immò solùm diligo, veniat, qui dulcedine suæ inspirationis me tangat: quia cum ejus osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, & in ejus similitudinem illicò liquefacta transformor. Fastidit quippè sancta mens omnia quæ per corpus sentit, & in illa spiritalia tota transmutari concupiscit, & dum ista obstrepunt, in illa fugit, seque abscondere ne hæc sentiat, appetit. Ideoque osculum sponsi quærit: quia si ille gratissimi amoris vinculo hanc non trahit, hæc vi suæ molestissimæ gravedinis detenta, quomodò se ad illum conferat, omninò non invenit. Sed pius sponsus anxietatem ejus sentiens, amorem diligens, votum exaudiens, osculum porrigit, & ne desiderio lassescat, gustu suæ suavitatis lenit; & dum suam præsentiam exhibet, eam ad majus dilectionis osculum accendit. Unde hæc illum sentiens, ad eum se convertit, & quem præsentem habet, mox gaudens voce mutata alloquitur, & dicit: *Quia meliora sunt ubera tua vino,*

Fragrantia unguentis optimis. Ubera sponsi, dilectio Dei & proximi. Ex his uberibus sponsam suam lacte pietatis nutrit, & inter tentationum turbines his eam fovet, [1] & ut persistat, reficit. Quid autem per vinum, nisi cura temporalis exprimitur, à qua mens sæcularis cujuslibet inebriatur, ut ad invisibilia cognoscenda, aut ex toto, aut penè insensibilis reddatur. Sed ubera sponsi vino meliora existunt: quia illud necat, hæc nutriunt: illud oculos mentis turbat, hæc acuunt: Illud apostatare facit sapientes, hęc ipsos idiotas utique sapientissimos faciunt: quæ quot vicibus sponsa cum dilectionis ubertate sugit, tot sententias sapientiæ sibi in ventrem memoriæ trahit. Charitas enim cor pacificat, mentem in tentationibus roborat, & ut sedes sapientiæ sit anima Justi, quietem tribuit, & locum pręparat. Hæc itaque ubera unguentis optimis fragrant: quia odorem suavitatis per sapientię verba, & sanctitatis exempla secum portant. Quicunque enim sancta charitate Dei se reficit, is spiritualium donorum & odorem & suavitatem sentit. Quorum bonorum ubertate proximos quosque ad interiora gustanda secum trahit, & ut in amorem divinum convalescant, istis uberibus nutrit. Sequitur: *Oleum effusum nomen tuum.* Nomen sponsi Christus est. Sed nomen sponsi quasi oleum effunditur: quia quicunque nomine Christiano in veritate censentur, charitate sancta affluunt, qua molliuntur: & ut flammas exemplorum emittant, eadem charitate continuè suffunduntur. Hac charitate in amorem ipsius Christi vehementius accenduntur, & ab ipso accipiunt,

1. Ed fovet *& nutrit*, at inutilis est hujus ultimi repetitio.

quo ei amplius inhęreant, quo perfunduntur. Hinc est quod sequitur: *Ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Quid enim per adolescentulas, nisi sanctæ animæ designantur, quæ baptismatis aquâ per Spiritum Sanctum regenerantur, & in novam vitam per novum Testamentum transformantur? Quæ propter olei infusionem Christum diligunt: Quia ad gratiam vocatæ, in eo suavitatem vitæ perpetuæ inveniunt; pro cujus suavitatis dilectione omnes mundi fastus & divitias respuunt. Sunt enim nonnulli qui ita Deum diligunt, ut se ipsos contemnant, in interiora se rapiunt, ut Deum inveniant. Et quia Deus in superficie non jacet, meditationibus laborant, subtilissimè cogitationes suas examinant, lectionibus vacant, & quomodò Deus inveniatur, omnibus modis perquirere non cessant. Hi profectò odorem unguentorum sentiunt; & olei infusione se inungunt: quia dum omnem putredinem vitiorum abjiciunt, flores sibi inveniunt, quorum compositione suaveolentia unguenta faciente Deo conficiunt. Qui ejusmodi est, desiderio æstuat, & quasi nîl habeat, semper majora exoptat, & quia sibi virtus non suppetit, in Deum inhians trahi se postulat, dicens: *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.* Non currit, qui non trahitur; quia quem divina gratia non adjuvat, molestiâ suæ corruptionis gravatur. Gratia quippe divina nos prævenit, & internorum dulcedinem nobis ostendens, de exterioribus nos compungit, moxque in illa transiens animus præ eorum dilectione temporalia vilipendit. Iste ergo [1] qui trahitur,

1. MS. *quia.* Priorem lectionem probavi, tametsi utraque vera sit, & causalis,

currit: quia vinculum amoris libenter sequens, gratiæ roboratus amore, sine gravedine obstacula omnia transit. Nec mirum, cum unguentorum odorem sequatur: quia cum spiritalium donorum suavitas sentitur, quid est in hac temporalitate cujus desiderio anima sancta sponsa Christi, ne in illa properet, teneatur? Ibi quippe lenitate unguentorum gaudet, & dum naribus discretionis spirat, charitas sibi suaviter olet. Hinc est quod à singulari numero ad pluralem transit: quia in dilectione Dei, etiam præceptum, quod de proximi dilectione nos admonet, invenit; quo instructa eructat nobis foras, quod gustavit suaviter intus, dicens: *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Quid per hujus sponsi, qui Rex est, cellaria intelligimus, nisi sanctæ scripturæ arcana quæ rimamur; nisi sanctæ contemplationis mysteria quorum deliciis si reficimur, mox convalescimus? In illa procul dubiò quisquis introducitur omnia temporalia mox contemnit, quia æternis ditatur. Ideo sequitur: *Exultabimus, & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum.* Sancta anima sponsa Christi in sponsi sui deliciis exultat, dum corporalia respuit, & in spiritalibus se occultat. Eumdemque sponsum delicias suas facit, in cujus respectu mundana omnia non curat. Sed hæc in memoria uberum agit: quia dum recolit quanta charitate Christus eam dilexerit, qui sanguine suo eam moriens in cruce redemit, & quotidie eam in sinu Ecclesiæ matris ejusdem sanguinis lacte nutrit, procul dubiò magis magisque ejus dilectionem intendit. Quod lac bene super vinum dulce esse dicitur: quia per sanguinem Christi misericorditer educamur, qui per legis

litteram severe prius constringebamur. Per quam dilectionem adimpletur quod dicitur : *Recti diligunt te.* Soli utique recti Christum diligunt : quia quicunque adhuc per distorta vitiorum ex desiderio currunt, dum in rectitudinis lineam semper offendunt, ipsum justitiæ autorem Christum omnino diligere non possunt. Tunc verò homo per viam veritatis incedit, cum & opera virtutum exequitur, & tamen peccata sua semper agnoscit. Ideoque & dicit : *Nigra sum, sed formosa, filia Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Nigràm quippe & formosam sancta anima se bene dicit : Quia semper & turpitudinem peccatorum suorum perspicit, & tamen illius justitiæ quam in intimis videt, in exterioribus sibi solerter formam gerit. Quæ benè sicut tabernacula Cedar, nigra, sicut pelles Salomonis formosa dicitur : quia in quantum tenebras mortalitatis portat nigredine corruptionis sordidatur. Cedar enim tenebræ interpretatur. Salomon vero qui Christum significat, pacificus dicitur. Formosam ergo se sicut pelles Salomonis dicit : Quia dum sanctos quosque qui ad imitationem Christi se mortificant, imitari non negligit, eorum utique pulchritudini per similitudinem se jungit. Ne vero proximi ejus nigredinem intendentes minus exempla bonorum ejus ad imitationem diligant, turpitudinis causam satisfaciens ostendit, dum ab admiratione sua filias Hierusalem repellit, dicens : *Nolite me considerare quod fusca sim : Quia decoloravit me sol.* Per solem Christus significatur. Sol ergo eam decoloravit : Quia quantumlibet fulgeat anima, in comparatione Christi fulgorem amittit.

Sunt

Sunt quippe nonnulli, qui in hac nocte mundi velut stellæ hominibus fulgent, luminaria proximis apparent, sed mox ut justitiæ Christi se comparant, quasi sine luce sunt, qui bene incomparabiliter prius hominibus lucebant. Qualiter vero ad hoc pervenerit ut aliquantulum luceret, ostendit cum subjungit: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis.* Mater sponsæ sancta Ecclesia, filii matris sancti Apostoli extiterunt. Ante Apostolorum quippe prædicationem penè totus mundus rebellis extitit, omnis penè anima idolorum se cultibus sordidavit, & cupiditates sceleratas accumulavit. Apostolorum vero prędicatio superveniens, contra omnes verbo pugnavit, in multis regnum dæmonum expugnavit: & regnum Christi, id est, sanctam Ecclesiam ampliavit. Victam [1] ergo Christo & sanctificatam congregationem Apostoli custodem in vineis posuerunt: Quia primos credentes in Ecclesias per mundum, ut eas & congregarent & custodirent, dispersserunt. Cujus dispersionis causam ostendit, dicens: *Vineam meam non custodivi.* Quid per vineam singulariter nisi Judæa designatur? Quæ à se fideles expulit: quia custodiri aspernabatur. Prædicatione quippe expugnata, & sponsa Christi facta anima, dilectione ardet, & inquirendo eum quem diligit, in intimis se exercet, dicens: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.* In meridiem Christum sub umbra pascit, & cubat

1. Ed. *Junctam ergo Christo*; MS. *Victam* Quam quidem lectionem prætuli: quippe eo loci fiat mentio reportatæ ab Apostolis in idola victoriæ: *Apostolorum*, inquit, *vero prædicatio superveniens contra omnes verbo pugnavit, &c.*

Qui in refrigeratione ſpiritus ſancti ſibi quaſi requiem, & paſtum parat. Per meridiem quippe ardor vitiorum exprimitur. Per umbram vero ſpiritalis gratiæ flatus deſignatur. Meridie ergo fervente in umbra Chriſtus requieſcit: quia dum in reprobis æſtus vitiorum flagrat, ipſe ſponſæ ſuæ refrigerium tribuit, & in ea ſibi delectabilem locum quietis efficit. Sed hoc ſibi ſponſa indicari depoſcit, quod nulli unquam declaratur, niſi ei qui idem ſanctificatricis gratiæ munus percipit. Quare verò ad hæc percipienda æſtuet, manifeſtatur, cum ſubditur. *Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Verè in quo Chriſtus non cubat, vagatur: Quia mens quam ille ſuavis & ponderoſus Chriſti ſpiritus non implet, multis cogitationibus diſſoluta circumfertur. Sed qui ſunt ſodales Chriſti, per quorum greges ſponſa vagari pertimeſcit, niſi falſi quique Chriſtiani? Qui aut ob nomininis ſolius, aut etiam ſacramentorum Communionem fratres Chriſti vocantur, quia electis quos ipſe fratres vocavit, in Eccleſia cohabitando ſociantur. Quorum multitudines bene per exprobrationem greges appellantur: quia dum quaſi irrationabilia animalia ſine ordine vivunt, ſeductoribus ſpiritibus ad devorandum traduntur. Per hujuſmodi greges vagatur, quiſquis ab intimo deſiderio expulſus reproborum ſtultitiam per ſimiles cupiditates imitatur. Hos quippe electi cum moleſtè patiantur, per eorum perſecutiones probati, mundiores ad æterna bona perducuntur. Unde admonetur ſponſa cum per increpationem dicitur: *Si ignoras te, ô pulchra inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum.* Si ignorat ſe ſponſa, egre-

diatur & abeat: quia quisquis nescit se in hoc positum ut tentationes per sufferentiam vincat, à familiaritate Christi recedit: quia in bello positus, cum Domino suo pugnare recusat. Sciendum est enim omnibus, quod cum in tentatione sumus contra aëreas potestates pugnare præcipimur: quia sine victoria coronari non possumus. Et si adversarius deest, nec est quem vincamus, ideoque corona deerit quam non nisi vincentes capiemus. Hoc qui ignorat, in bello est & quasi in pace exultat, & eo frequentius vulneratur, quo securior est: quia nescit videre quem caveat. Digne ergo à pugnatoribus secernitur [1], ut vestigia gregum sequatur: Quia dum prudentes quosque imitari negligit, necessario reprobos sequitur; quos stultitia brutis animalibus similes fecit. *Et pasce hædos tuos juxta tabernaculum pastorum.* Per hædos immundæ cogitationes designantur. Per tabernacula pastorum, conventicula hæreticorum exprimuntur. Qui ergo pugnare nescit juxta tabernacula pastorum hædos pascit: quia quisquis obsistentibus tentationum gladiis viriliter non resistit, immundas cogitationes quasi hædos lascivos in corde nutrit, & efficitur ei similis, [2] etiam qui à fide recedit. Anima vero quæ sponsa Christi effici concupiscit, qualiter se habeat, Christus eam docet, cum ei per comparationem protinus dicit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilavi te amica mea.* Scimus quia equitatus Israëliticus currus Pharaonis fugiens in mari demersos reliquit, nec tamen statim terram repromissionis intravit, sed prius multas ten-

1. Cod *Excipitur*.
2. Ed. *Simili*: error typogr.

tationes in eremo quadraginta annis sustinuit, multos Reges multis laboribus expugnavit ; & sic tandem quod promissum sibi fuerat laboriosè acquisitum suscepit. Huic sancta anima sponsi amica similis efficitur, quæ prius in baptismo omnia peccata sua extincta, quasi Pharaonis exercitum reliquit, & post dum inter hujus mundi habitatores, malignos videlicet spiritus, vivit, imminentia vitia quasi Reges alienos prosternit, & sic tandem ad beatam terram, in qua cum sponso delectetur, pervenit. Cui benè dicitur quod subditur : *Pulchræ sunt genæ sicut turturis.* Turtur postquam parem suum perdiderit semel, nunquam alteri se jungit, sed semper solitariè habitans in gemitu perseverat : quia quem diligebat non inveniens quærit. Sic sancta quæque anima dum à sponso suo absens est, ab ejus amore non recedit, sed in ejus desiderium semper anhelat & gemit. Et dum illum quem valde diligit, non invenit, quia ab omni alieno amore se retrahit, quasi in genarum verecundia castitatem cordis ipso habitu & actu exteriori ostendit. Sequitur. *Collum tuum sicut monilia.* Per collum sponsæ Prædicatores sanctæ Ecclesiæ designantur. Monilibus [1] prædicatores comparantur, vel quia Ecclesiæ sunt ornamentum, vel quia Ecclesiam muniunt, ut pectus monile, vel à rotunditate, id est, perfectione. In monilibus gemmæ in auro ponuntur. Per aurum quippe sapientia, per lapides opera exprimuntut. Collum ergo sponsæ sicut monilia existit : quia quilibet rectus Ecclesiæ prædicator, & sapientia interius se induit, &

1. Monilibus, &c. usque ad. *Rotunditate, id est, perfectione.* D[esunt] in cod.

opera exterius exercet, quę in ſapientia vide. Cui & adhuc dicitur : *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Murena [1] piſcis eſt, qui captus vertit ſe in circulum, ad cujus exemplar fit inauris, quæ Murenula dicitur, qua deſignatur prædicatio, quæ in auribus inhæret & eas penetrat. Murenulis monilia collo ligantur : quia & ſapientia & religio à ſcripturis ſanctis prædicatoribus adjungitur. Per murenulas enim ſancta Scriptura intelligitur. Quæ bene aureæ [2] & argento vermiculatæ dicuntur : quia & ſapientia ſancta ſcriptura fulget, & ſonora prędicatione per univerſum mundum auditur. Sicut enim per aurum ſapientia, ſic per argentum ſancta prædicatio demonſtratur. His verbis ſponſi ſponſa reſpondet, & per corporeas rerum ſpecies amorem intimat, quo ſpiritaliter intus ardet, dicens : *Dum eſſet Rex in accubitu ſuo nardus mea dedit odorem ſuum.* Nardus [3] eſt herba humilis, quæ guſtata frigus expellit, & calefacit membrum. Accubitum ſuum Rex tunc intravit, quando Dominus noſter Jeſus Chriſtus corporaliter cœli interiora penetravit. Quo ibi requieſcente, nardus ſponſæ odorem ſuum dedit : Quia virtus ſanctæ Eccleſiæ ſuavem famam bonitatis longè lateque ſparſit. Ad

1. *Murena piſcis, &c* uſque, *Murenulis Monilia* abſunt à MS. quæ tamen non inepte addita cenſeo. Vide Iſid. *l.* 19. *Orig. c.* 13. & *l.* 5. *c* 6. ubi de Monilibus, & Murenâ.

2. Al. *Auro.*

3. Non exhibet MS. *Nardus*, &c. ad, *accubitum.* Hæc ab eodem addita ſunt qui ſuperiora de Murenâ, Monilibus adjecit. Minus tamen fœliciter, cum hujus plantæ proprietates interpres inſta non explicet, ſolius odoris mentionem habere contentus, de quo Iſido. *l.* 18 *Orig. c.* 9. *Flos ejus tantum propter odorem bonus. De Nardo Plin. l.* 12. *c.* 12. & 13. & *l.* 13. *c* 1. Nec omittas interpretes, qui iis locis omnia quæ eam plantam ſpectant coacervant. Par ſit in cæteris, ſi vacat, diligentia.

cœlos enim Dominus ascendit, & Spiritum sanctum suum super discipulos misit; quo impleti verba salutis mundo prædicarent & per sancta opera boni odoris famam circumquaque diffunderent. Hunc quippe in baptismo unaquæque fidelis anima recipit, ut per eum sibi ex virtutum confectione unguenta componat, & proximos exempli exhibitione, quasi unguenti odore reficiat. Sequitur. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Mortuorum corpora myrrhâ condiri solent, ne putrescant. Myrrham quippe corporibus ne putrescant adhibemus, dum membra nostra in Christi exemplum, per eorumdem mortificationem à putredine luxuriæ restringimus, ne, dum ea [1] sine condimento dimiserimus, dissoluta putredine escam vermibus ęternis corpora [2] nostra faciamus. Sed quid est quod dilectum suum sponsa non myrrham, sed fasciculum myrrhæ nominat, nisi quòd dum sancta mens Christi vitam ex omni parte considerat, contra omnia vitia ex ejus imitatione repugnantes virtutes congregat, ex quibus sibi fasciculum myrrhæ aptat, quo carnis suæ putredinem sempiternam abstergat? Qui bene inter ubera commorari dicitur: Quia in dilectione Dei & proximi habitatio Christi sancta ędificatur. Sancta quippe anima dum Deum sic diligit, ut proximum non contemnat; & proximi amorem sic exequitur, ut divinum non minuat, procul dubiò ubera in pectore sibi locat, quibus Christum amplectens ipsum nutriat. Quasi enim uberibus Christus nutritus roboratur, dum hac gemina di-

1. Al. *Eo*.
2. *Corpora nostra*: hiatus erat in ed.

lectione, ut fortius inhæreat, delectatur. De quo & adhuc dicitur. *Botrus Cipri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Ciprus insula est, in quâ uberiores vineæ quam alibi nascuntur. Per Ciprum ergo Ecclesia universalis designatur, quæ multas vineas nutrit, dum in multas Ecclesias divisa, vinum quod lætificat cor hominis, gignit. In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo, Pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona Spiritus sancti exprimuntur. Engaddi interpretatur fons hœdi. Hœdus autem antiquitus pro peccatis immolabatur. Quid ergo per fontem hœdi, nisi baptismus Christi figuratur? In quo dum corpus mergitur, anima abluitur; & per illius fidem qui pro peccatoribus mortem pertulit, anima humana à peccatis omnibus mundari se credit. Cui mox dilectus respondet: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.* Bis pulchram sponsus suam sponsam vocat: quia cui dilectionem Dei, & proximi donat, geminam ei pulchritudinem inserit, qua delectatur, & quam laudat. Cujus oculi bene columbarum esse perhibentur: Quia dum in temporalibus gemit, & ad æterna desideria rapitur, in simplicitate sensus suos custodit, & carnales concupiscentias detestatur. Columba quippe in amore pro cantu gemit. Et bene sancta anima columbæ comparatur: quia dum reprobi quique in amore mundi garriunt & lætantur, mens electa in cælesti desiderio mœrore [1] atteritur: quia timet ne amittat quod diligit, dum differtur. Possunt etiam per oculos columbarum Ecclesiarum Prędicatores intelligi, qui simplicitatem quam

1. *Mœrore:* deerat hæc vox in ed.

prædicant, servant, & visibilia contemnentes ad æterna cum magnis gemitibus anhelant. Sequitur vox sponsæ dicentis: *Ecce tu pulcher est dilecte mi, & decorus.* Pulcher & decorus dilectus dicitur: quia in divinitate & humanitate omni amanti se menti sine macula reprehensionis aspicitur. Quem dum sponsa pleno desiderio sequitur, omnium mundi perturbationum obliviscitur, & dum in ejus pace quiescit magis ac magis decoratur. Unde sequitur: *Lectulus noster floridus.* Quid per lectulum sponsæ nisi otii quietem intelligimus? Mens enim quæ sponsum suum Christum singulariter amat, & [1] quantum potest ab omnibus sollicitudinibus mundi vacat, virtutes quibus sponso suo placeat, intus accumulat. Quæ dum omnia quæ temporalia sunt contemnit, lectulum cum sponso in pace victoriæ facit, ubi quò quietius pausat, eò amplius flores invenit, quibus se decoratam sponso ostendat. Sequitur: *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia Cipressina.* Cedrus [2] quæ serpentes reprimit & fugat, sublimiores significat sanctos, Cipressus simpliciores. Per tigna etiam dilectionem Dei possumus intelligere, per laquearia dilectionem proximi, quæ sunt partes virtutis eminentioris in cordibus sanctorum, quæ sunt domus Dei. Cedrina vero & Cipressina ideo dicuntur: quia sicut hæc ligna incorruptibilia sunt, ita charitas nunquam excidit. Per domos plures Ecclesias intelligimus, per ligna Cedrina prædicatores designamus, per laquearia Cipressina ipsos populos figuramus. Tigna enim tectum

1. Ed. *In quantum.*
2. *Cedrus*, ad *Cedrina* desiderantur in cod.

ſuſtentant, laquearia vero domum, implent, & ornant. Sic ſic, in ſancta Eccleſia prædicatores boni ſcripturam divinam in corde & ore portant, quam fidelibus quaſi tectum expandentes prædicant, ut dum Eccleſia prædicatione cæleſti inſtruitur, munimen accipiat, quo ab imbribus tentationum protegatur. Cedrus autem & Cipreſſus imputribilia ligna eſſe perhibentur, quibus bene omnes electi figurantur: quia dum temporalia nullo deſiderio ſectantur, æterni fiunt, eo quod mente in æterna [1] figuntur. Reſpondet ſponſus & dicit.

CAPUT II,

EGo *flos campi & lilium convallium.* Bene florem Chriſtus ſe nominat, qui dum ſpinas peccatorum exterminat, mentem ſponſæ & pulchritudine ſuæ juſtitiæ exornat, & naribus cordis dum cæleſte deſiderium applicat, interiora animæ, quaſi odore refocillat. Qui ſequitur adhuc & dicit: *Sicut lilium inter ſpinas; ſic amica mea inter filias.* Bene ſicut lilium inter ſpinas, ſponſa inter filias eſſe perhibetur: quia cum multi ſint in Eccleſia, qui [2] Solum verbis Chriſtum confitentur, operibus verò nihil niſi mundanas ſolicitudines ſectantur; ſola illa anima in lilij dignitate computatur, quæ dum a mortalitatis radice ad cœleſtem pulchritudinem

1. Al *in æterna figura.*
2. Al ſic legebatur hæc periodus: *Qui ſolis verbis Chriſtum confitentur, operibus verò nihil niſi humanas ſolicitudines ſectantur dum ſola illa anima in li'ij dignitate computatur quæ a mortalitatis, &c.*

assurgit, & munditiæ candorem corde & corpore sibi ipsi custodit, & proximos quosque bonæ opinionis odore reficit. Sed quia sponsus sponsam suam tanta laude dignam habuit, ipsa jam ex debito laudat à quo se laudari perspicit, & dicit: *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* Ligna silvestria esui hominum habiles fructus non gignunt. Malus verò quod gignit congrue & salubriter homines edunt. Meritò ergo per malum Christus, per silvestria vero ligna cæteri homines figurantur: quia in solo Christo cibum salutis quoties quærimus, invenimus: In ejus verbis & exemplis animas nostras fructu suavi & salubri reficimus. Ipse est quippe lignum vitæ, quam nobis tribuit. Ipse est qui dum nobis semetipsum inspirat, animam pascit. In cæteris vero si quid refocillationis invenimus: non quod illorum, sed quod Christi est, ab illis sumimus: quia quicquid in eis præter Deum est, mortiferum nobis procul dubio invenimus. *Sub umbra illius quem desiderabam, sedi.* Umbra Christi, protectio est Spiritus Sancti. Spiritus quippe Sanctus mentem quam replet, obumbrat: quia omnem tentationum fervorem temperat, & dum aura suæ inspirationis suaviter mentem tangit, quicquid noxij caloris sustinebat, expellit: Et quam jam forsitan nimius vitiorum æstus marcidam fecerat, umbra Sancti Spiritus protegens recreat, dum in ejus inspiratione sedens pausat, vires colligat, quibus ad æternam vitam robustius currat. Sequitur: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Arbor quippe fructifera ipse Christus in corde nostro plantatus

per fidem existit, quam si mens nostra dignè diligit, & instanter excolit, fructus nimirum interius pulchros, & utiles gignit. Quos dum mens capiens avidè comedit, omnes mundi voluptates pre ejus dulcedine postponit. Dulcè enim est valde sibi cælestia cogitare, in æternitate oculum intimum figere, ut aliquando in fletibus etiam mens accensa compungatur, & inter lachrymas sublevata, angelorum cibo, ipsa videlicet sponsa, quanto dulcius, tanto avidius, pascatur. Inde est quod subditur: *Introduxit me rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Quid enim per cellam vinariam congruentius, quam ipsam arcanam æternitatis contemplationem accipimus? In hac æternitate angeli sancti vino sapientiæ debriantur, [1] dum ipsum Deum facie ad faciem videntes, omni voluptate spiritali satiantur. Hanc sancta mens, si à sponso introducatur, postpositis omnibus temporalibus, intrat, in qua ex illis angelicis deliciis quantum sibi conceditur, gustat. Et [2] si adhuc, quia in corpore corruptibili detinetur se perfectè non satiat, tamen ex illo minimo, quod cursim sumit, considerat quantum debeat amare, quod amat. Potest tamen per Cellam vinariam scriptura divina figurari. Per hanc quippe in sponsa charitas ordinatur: quia vi ejus doctrinę manifestè discitur, qualiter Deus & proximus ordinate diligatur. [3] Hac charitate percussa sequitur, & dicit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Per

1. Al *inebriantur.*
2. Aberat, *si.*
3. Ed. *diligantur.*

flores teneri quique & incipientes, per mala verò perfecti fideles designantur. Sponsa quippe quia amore languet, fulciri se floribus & stipari malis appetit: quia dum se æternitatis desiderio afficit, dum qualiter illuc perveniat, tota anxietate perquirit, [1] Sed perventionem dum in carne vivit, omnino non invenit, fatigata, in desiderio suo requiescit, & in hoc solo gaudet, si circa se respicit [2] vel quibus ipsa proficiat, vel in quorum profectione consolationem de langore suo recipere possit. Quibus de sponso suo subsequenter hæc dicit: *Lava eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Per lævam sponsi vita præsens, per dexteram vero vita æterna designatur, Per caput autem sponsæ, mens quæ animo principatur, assumitur. Sed læva sponsi sub capite sponsæ esse dicitur, & dextera ejus amplexatur eam: quia vitam temporalem sub mente sua semper ponit, vitam vero æternam ut omni modo amplexetur, concupiscit. Hæc quippe quæ videt, magnanimiter mente sublimi conculcat, officiis cælestibus se occupat. Hæc ex [3] necessitate tolerat, ad illa summo desiderio quasi brachio dextero sponsi astricta suspirat. In quæ cum aliquantulum intrat, delectabiliter quiescit, cujus quietis dilectione mundanos tumultus omninò fastidit. Sic quiescentem utique sponsus amplius diligit, & ab ejus excitatione improbos quosque repellit, dicens: *Adjuro vos filiæ Hierusalem per capreas, cervosque camporum, ne suscitetis neque*

1. Al. corrupte *eo quod perfectionem.*
2. MS. *prospicit.*
3. In ed. ab. ex.

evigilare faciatis dilectam, quoad usque ipsa velit. Cervi & capreæ munda animalia in lege esse perhibentur. Quid ergo per cervos & capreas, nisi fidem, spem, & Charitatem accipimus? quas dum nobis mundas servamus; per easdem altos montes contemplationis ascendimus. Sancta autem anima Christi sponsa a cunctis mundi perturbationibus quiescere appepetit, in sinu sponsi sopitis terrenis cupiditatibus dormire sancto otio concupiscit, Ita ut etiam necessaria colloquia aliquando fastidiat, soliusque in sponsi collocutione, quanto quietius tanto serenius, hilarescat. Sed hanc dormientem Carnales qui sunt in Ecclesia nonnunquam importune excitant, negotiis mundi eam implicare desiderant: quia ejus vitam inutilem existimant, dum ab eorum curris eam se abstinentem considerant. Hi tales satis congrue non filij sed filiæ nominantur: Quia dum effeminatos mores nutriunt, virili dignitate amissa, quales interius habentur, exterius nomine fœmineo designantur. Hi dilectam suscitare sub adjurationis pondere prohibentur; ne videlicet mentem quæ ad vacandum Deo se accingit, & solis spiritalibus studijs inhærere concupiscit, importunis sollicitationibus inquietent, & tenebris curarum terrenarum oculum cordis ejus obnubilent. Et tamen non eis omnis cura proximi interdicitur, sed quando suscitari debeat ejus voluntati relinquitur: quia profectò omni perfectæ animæ discernendum est, & quando cœlesti contemplationi studeat, & quando proximorum utilitatibus inserviat. Hanc [1] vani-

1. Al. *Vocandi*.

di Deo licentiam libentissime Sponsa suscipit, statimque verbum sponsi amplectitur, & dicit: *Vox dilecti mei.* Ac si diceret: hanc vocem dilecti sponsi mei esse recognosco, hanc ab ejus ore semper audire desidero: quia in hoc video quantum me diligat, cum me ab amplexibus ejus desiderabilibus impediri prohibeat. Ad hos amplexus, qualiter perveniret, subitò narrat, dicens. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Ad amplexus sponsæ suæ Christus venire disponens, humanitatem nostram dignanter assumpsit. Ad quod mysterium peragendum, quasi saliens in montibus venit: quia quædam opera inter homines ostendit, quæ valde sublimia, & super homines esse perspiciens humanum genus admirari potuit, [1] attingere nequivit: Quod enim de Virgine natus est: quod ad vagientem adorandum ire pastores angelus admonuit, Magos stella perduxit: quòd pendens in cruce, quâ hora voluit spiritum emisit: quòd mortuus seipsum tertia die suscitavit, quod cælum ingressus: Spiritum Sanctum quibus sibi placuit, donavit; quod fidei suæ per piscatores, & idiotas mundum subjugavit; hæc faciens quasi in montibus ambulavit, quo eum creatura nulla assequi valuit. In his nimirum operibus colles transilivit: quia Sanctos omnes quantumcunque excreverint, potentia suæ operationis [2] transcendit. De quo & sequitur. *Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque cervorum.* Similis capreæ esse dicitur: quia ex Synagoga

1. Ed addebat: *sed* attingere.
2. Ab *suæ piæ orationis.*

carnem traxit, quæ per capream ostenditur. Et quia ex antiquorum sanctorum stirpe progenitus est, quasi hinnulus cervorum rectè perhibetur. Sequitur: *En ipse stat post parietem nostrum, aspiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Quasi post parietem nostrum Christus Incarnatus stetit: quia in humanitate assumpta divinitas latuit. Et quia ejus immensitatem si ostenderet, infirmitas humana ferre non posset, carnis obstaculum objecit, & quicquid magni inter homines operatus est, quasi post parietem [1] latitans, fecit. Per fenestras autem, & cancellos qui aspicit, partim videtur, partim vero se abscondit: sic & Dominus JESUS-CHRISTUS dum & miracula per divinitatis potentiam fecit, & abjecta per carnis infirmitatem pertulit, quasi per fenestram & cancellos prospexit quia in alio latens, in alio quis esset apparuit. [2] Incarnatus itaque Ecclesiæ suæ, vel unicuique perfectæ animæ loquitur, & ad æternam exhortatur patriam, dicens: *Surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.* Propter fidem Christus sponsam suam amicam vocat; columbam propter simplicitatem; formosam propter operationem. Quia enim sine fide Deo placere non possumus, bene per fidem amici vocamur; quia dum fide cælestia appetimus, abjectis terrenis Deo adhæremus. Columba verò [3] bene amica propter simplicitatem dicitur; quia [4] dum simplicem Deum cordis simplicitate perscrutatur, nequaquam mun-

1. Ms. *Latitatus.*
2. Notabat cod. ad Marg. legi posse: *aperuit.*
3. Al. *anima.*
4. Ed addebat: *quia anima devota.*

di ineptam lætitiam dissoluta sectatur, sed semper ad æterna festinans, columbæ gemitum [1] diligendo imitatur. Propter operationem [2] formosa rectè appellatur: quia dum præteritæ vitæ peccata per bona opera redimit, quasi antiquam turpitudinem assumptâ formâ meliori ante sponsi oculos abscondit. Hanc itaque hortatur sponsus ut surgat & veniat: quia dignum est ut quicunque ad amorem Christi properat, carnis torporem quantum potest abjiciat, & se ad æterna consequenda celeriter accingat. Sed quia ut ad cælestia festinemus per exhibitionem novi Testamenti a Deo accepimus, ideo [3] rectè sequitur: *Iam enim hyems transiit, imber abiit & recessit.* Quid per hyemem, nisi legis austeritas intelligenda est, quæ dum in carnalibus sacrificiis populum antiquum detinuit, ad appetenda spiritualia & cælestia observatores suos non adjuvit? Possumus etiam per hyemem, vitam præsentem intelligere, quæ dum nos assiduis tentationibus impetit, quasi imbribus importunis ad sequendum Christum torpere compellit. Sed jam sponsa surgat, quia hyems transiit, quoniam quanto magis dies ultimus instat præsens vita recedit, & quo amplius tempus ad terminum ducitur, eò citius currendum est, ne electa anima oblatis sibi muneribus æternis privetur. Transire enim dicitur, quia in proximo transitura esse non dubitatur. Sequitur: *flores apparuerunt in terra nostra tempus putationis advenit.* Flores apparuisse dicuntur in ter-

1. post *gemitum* abrasimus; *pro tantu*, quia abundabat in edit.
2. Al *propter operationem anima formosa*.
3. Al *Deo* error typogr.

ta:

ra: Quia sanctæ animæ cum à corporibus recedunt, in cœlo recipiuntur. Et quia in hac vita quamvis hyems fuerit, à bono opere non torpuerunt, mox ut recesserunt, in terra viventium gloriosè floruerunt. Bene ergo sequitur quod dicit: *Tempus putationis advenit.* Quia quò amplior electorum numerus in cœlo congregatur, eò celerius reprobi ab Ecclesia tanquam sarmenta inutilia amputantur, ut mundus citius finiatur. Sequitur: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Quid per turturem nisi Ecclesia? quid per terram sponsi, nisi vita beata illa designatur? Sed vox turturis in terra sponsi audita esse dicitur: quia dum pro desiderio suo sancta Ecclesia deprecatur, à Christo in cœlo clementissimè exauditur. De qua rectè subditur: *Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes odorem dederunt.* Ficus quippe grossos suos protulit: Quia sancta Ecclesia martyres suos ad æternam patriam præmisit. Post quos vineæ florentes odorem suum dederunt: Quia per universum mundum exempla bonorum operum excreverunt. Vineæ utique flores producunt, cum singulæ Ecclesiæ animas prius infideles ad fidei novitatem per baptismum educunt; sed flores ipsi odorem proferunt, cum credentes animæ exempla bona per suavem opinionem sibi invicem & aliis aspergunt. Sed quia Christus utroque modo exhortationis nos trahit, ut videlicet & præceptis nos admoneat, & exemplis sanctorum nos erigat; idcirco sponsæ suæ prius ut surgeret admonendo præcepit, & deinde exempla sanctorum ad cognitionem adduxit, & post exemplorum exhibitionem iterum se ad præcepti commonitionem convertit, dicens: *Surge amica mea, soror*

mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Surgit [1] amica, cum à peccati perpetratione se erigit, venit cum per bona opera desiderii sancti passibus ad cœlestia tendit. Sancta etenim mens cum præteritę vitæ turpitudines conspicit, cum peccata sua enumerat quæ fecit, mox secum in conscientia erubescit, & quæcumque in mundo dilexerat ad odium sibi transferens fletibus se punit; & ipsa pœnitentia facta robustior, ab omni inquinatione etiam cogitationis exilit, & ab omni torpore negligentiæ se excutit, ut jam in intimis cogitationibus non jaceat, sed ad appetenda invisibilia per sancta desideria se extendat. Hæc itaque mens surgit & venit: quia & à torporis infirmitate per compunctionem se erigit, & in sanctis studiis se exercens ad æterna pedibus amoris currit. Per foramina autem petræ vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim: Cavernam vero maceriæ, vulnus lateris quod lancea factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ esse dicitur: quia dum in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus, sic simplex anima in vulneribus nutrimentum quò convalescat, invenit. Possunt tamen per foramina petræ incarnationis Christi sacramenta signari, & per cavernam maceriæ, ipsa protectio Angelicæ custodiæ figurari. In qua custodia cum anima ponitur, bene ei à sponso dicitur: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Quid enim per faciem

1. Al. *Anima.*

nisi fidem qua à Deo cognoscimur, accipimus? Et quid per vocem, nisi prædicationem intelligimus? Sed præcipit sponsus ut ei sponsa faciem suam ostendat: Quia quicunque se fidem dicit habere, necesse est ut in bonis operibus se exerceat, ut in operibus exterioribus fides interior innotescat. Sed & opera necesse est ut vox prędicationis sequatur: Quia quicunque in sanctis operibus se dilatat, consequens est ut [1] ad eadem facienda proximos quosque exhortetur. Ideo sequitur: *Vox enim tua dulcis, & facies tua decora*: Tunc enim, & vox placet, & facies decoratur, quando & opera prędicatio sequitur, & rursum prædicationem bona opera comitantur. Hujusmodi prędicatoribus consequenter dicitur: *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas*. Per vulpes hæretici, per vineas singulæ Ecclesiæ designantur. Sed vulpes vineas demoliuntur: quia per hæreticos Ecclesiæ à rectæ fidei viriditate exsiccantur. Quæ bene parvulæ dicuntur: quia quamvis contra veritatem intus superbiant, exterius tamen in verbis humilitatem per simulationem sectantur. Quæ tunc à sanctis prædicatoribus capiuntur, quando instante altercatione sententiis veritatis convincuntur. Prędicatores quippe sancti aliquando canes per similitudinem dicuntur: quia prædicationibus assiduis, quasi latratibus importunis, adversarios quosque à grege ovium arcere nituntur. Isti canes vulpes Christo capiunt: quia ducem suum dum fideliter diligunt, pro ejus amore laborantes, tergiversantes hæreticos ab involutionibus quęstionum, quasi à tenebrosis caveis ad lucem veritatis educunt.

1. Aberat particula, *Ad.*

Quare verò vulpium demolitio timeatur, manifestatur cum dicitur: *Nam vinea nostra floruit.* Vinea quippe floruit: quia sancta Ecclesia per baptismum filios ad fidei novam conversationem perduxit. Quibus timendum est ne ab hæreticis depraventur: quia dum quique fideles in novitatem Christi regenerantur; quò quisque tenerior est, eò citius ad pravitatem seducitur. Floribus omnino timendum est ne pereant: quia dum adhuc quisque ad perfectionem per exercitium diuturnum non convaluit, facile si à dente venenoso mordetur, ab hoc quod [1] natus fuerat, evanescit. Perfecta enim quæque anima in quo se jam diu exercuit, facilè non amittit: quia quò frequentius palato intimo quam dulcis sit Dominus gustavit, eò constantius sponsi rectitudinem tenet, & distorta fastidit. Quæ prosequitur convenienter, & dicit: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Ac si diceret: dilecti mei amicitiam constanter teneo: quia ejus constantem benevolentiam erga me sentio: quia dum ejus familiaritatem benignam habeo, durum mihi est quicquid ei adversum inimicos latrantes audio. Et dum in ejus assiduitate qualis sit video, si quid erroris [2] proferunt adversarii, à veritate, quam in ejus visione cognovi, non recedo. De quo bene sequitur: *Qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, & inclinentur umbræ.* Quid per lilia nisi mundę animæ designantur? Quæ dum castitatis candorem retinent, per bonæ famæ opinionem proximis quibusque suaviter olent. Inter lilia sponsus ergo

1. Ed. *Nactus* nostra lect. optima; de generatione namque spiritali per baptismum sermo est.
2. Al. *Terroris.*

pascitur : quia procul dubio animarum castitate delectatur, quæ & in se munditiam carnis conservant,& per nitidas cogitationes coram eo placent, & exempla proximis quasi odoris suavitatem, donant. Dies vero tunc aspirabit, & umbræ declinabuntur, quando vita æterna apparebit, & præsens vita finietur. Hic quippe nox est,ibi vero dies erit : quia hic in visione veritatis caligamus, ibi Deus ipse tota veritas mentibus elucebit. Ad hanc prorsus diem sanctæ animæ enituntur ut perveniant. Propter hanc, justitiam illibatam in quantum possunt conservant; & quia sine Christo nihil possunt, ejus auxilium invocant, ejus familiaritatem desiderant. Quarum dum mentem considerat, prope est benignus & adjuvat, & quo amplius proficiunt, eo familiarius semper amat, donec finitis tenebris mundi ad vitæ æternæ lucem perfectas educat. Quam lucem quia valde desiderant, eamque cum Dominus ad judicium venerit, videndam esse putant, idcirco cum summo desiderio dicunt : *Revertere, similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bethel.* A nobis dilectus corporaliter tunc abiit, quando post resurrectionem in cœlum ascendit. Tunc autem revertetur, quando in fine mundi resuscitatis corporibus hominum, omnibus in judicio manifestabitur. Qui vere similis capreæ & hinnulo cervorum apparebit, quia in carne nostra veniens ad judicium omnibus se monstrabit. Per capream enim, quæ mundum est animal, Ecclesia designatur, quæ dum in cœlestibus mente habitat, quasi in montibus pascitur. Per cervos autem quid aliud quam

patres antiqui designantur, ex quorum carne Christus natus, quasi hinnulus cervorum mundo est præsentatus? Bethel autem domus Dei interpretatur. Quæ bene Ecclesia Dei dicitur: Quia in ea Dominus habitat, dum per fidem corda nostra mundantur. Super montes ergo Bethel similis capreæ hinnuloque cervorum apparebit: quia in ea humanitatis forma ad judicium veniet, quam ab Ecclesia sumpsit, quando in hoc mundo ex patrum progenie, quasi hinnulus ex cervis humilis natus fuit. Qui verè & similis capreæ & super montes Bethel apparebit: quia & ex humanitate quidem similis Ecclesię erit, & tamen super ipsos summos qui quasi montes [1] excellunt, in Ecclesia sublimior eminebit. Qui dum venire moratur, quia, cum semper sancta anima perquirere nititur, ideo sequitur.

1. Ed. *Montes*.



CAPUT III.

IN *lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea.* Lectulum sibi sancta anima in nocte facit, dum omnes perturbationes mundi fugiens, secretum comparat, in quo requiescit. In hoc lectulo quem diligit quærit: Quia dum ab omnibus sollicitudinibus mundi vacat, in ejus inquisitione quomodo ad illum perveniat, non quiescit. Notandum est autem quia per noctes quærit: quoniam [1] dum in hoc mundo vivit, perfectæ tenebras temporalitatis à se non excutit. Quas quò graviores patitur, eò ferventius quærit eum, quo invento tenebras amplius non patietur. Sed quia quem quærit nunquam perfectè in hoc mundo invenit, ideo subjungit: *Quæsivi illum, & non inveni.* Quia vero maximo desiderio æstuat, & quicquid tenet, ei non sufficit, donec dilectum inveniat, ideò constantiam inquisitionis subjungit dicens: *Surgam & circuibo civitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea.* Quid per civitatem in hoc loco nisi Ecclesiam, quid per vicos civitatis nisi spiritales quosque accipimus? qui dum ad cœlestia toto corde gradiuntur angustam viam tenent, quâ ad vitam perducantur. Per plateas autem sæculares designantur, qui dum voluptates suas multas sequuntur, latas vias gradiuntur. Surgit ergo sponsa & civitatem circuit, quia perfecta anima quæ visibilia fastidit, omnes sanctos qui sunt vel

1. Ed. *Qui modo in hoc mundo vivit, & perfectæ*

fuerunt in Ecclesia mente conspicit, si quid fortè in eorum actibus reperire poterit, quod imitando ad sponsi inventionem aliquando pervenire possit. Per vicos autem & plateas quærit: Quia dum per bonorum imitationem ad dilecti familiares amplexus pervenire satagit, non solum in spiritalibus, sed & in ipsis etiam carnalibus aliquando invenit quod imitari dignè possit. Sed postquam laborem geminatum inquisitionis insinuavit, iterum difficultatem inventionis subdit. Dicens: *Quæsivi illum, & non inveni.* Sed dum quærit, & non invenit, ipsa etiam quęritur, & invenitur, & ideo subditur: *Invenerunt me vigiles qui custodiunt civitatem.* Quid per vigiles nisi doctores Ecclesiæ designantur, qui dum lucrandis animabus & scriptis & dictis invigilant, ubi sancti desiderii aliquantulum sentiunt, augmentare ad melius numquam cessant. Hi sponsam quęrentem inveniunt: quia piam animam Christum invenire satagentem excipiunt, & ut citius inveniat pręceptis instruunt, exemplis accendunt. Quos illa interrogans dicit: *Num quem diligit anima mea vidistis?* Bene eos sponsa interrogare dicitur: Quia dum eorum scripta vel verba vigilanti studio perscrutatur, tanquam præsentibus etiam absentibus animi intentione loquens, quid de Christo senserint, sciscitatur. Quia vero dum in eos omnino intendit, numquam sponsum invenit, consequenter subjungit: *Paululum dum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Paululum vigiles transit, & dilectum invenit: Quia dum eos puros homines esse cogitat, ad divinitatem mentem erigit, ibique sponsum suum supra homines patri æqualem cognoscit. Quem tunc

invenisse se, dicit, cum sanctis laboribus adjuta in ejus divinitatis claritatem oculum fidei, tanquam per speculum contemplando, aliquantulum figit. Quod tantillûm quanta aviditate mentis suscipiat, ostendit; dicens: *Tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Mater Ecclesię Synagoga extitit: Quia ex ipsa sanctos prædicatores habuit, à quibus verbum veritatis suscepit, per quod in fide regenerata fuit. Tenet ergo sponsum Ecclesia donec in domum matris eum introducat: quia usque in finem mundi ab ejus fide, & opere, & amore non recedit, donec ad fidem Judæos adducat. Non quod postea recedat: Quippe quem in exilio diligit, in patria videns amplius amabit; sed de illo tempore dici debuit, de quo à quibuslibet propter obsistentes tentationes dubitari potuit. In domum ergò matris dilectum introducit, quando in fine mundi Ecclesia per prædicationem in plebem Judaïcam Christiana Sacramenta immittet. In cubiculum autem quasi in secretiorem partem domus eum introducet; quia ex eadem plebe ita plurimos convertet, ut omnes mundi sarcinas abjiciant, & in intimis cogitationibus soli Deo placere concupiscant. Hujuscemodi homines cubiculum faciunt sponso: Quia dum à se omnes sordes cupiditatis abjicient, quasi secretum locum in mente in quo delectetur, component. A quorum inquietatione in eis delectabiliter pausans sponsus improbos prohibet iterum, dicens; *Adjuro vos filiæ Hierusalem per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* In hoc utique ostendit, quia ejusdem perfectionis quosdam de Syna-

goga post conversionem inveniet, cujus de Ecclesia quam plurimos invenit: dum in eorum quiete similiter delectatus ab eis inquietatores prohibet, sicut ab Ecclesia prohibuit. Introducta ergo ad fidem Sygnagoga Ecclesiæ mentem per opera quæ videt conspicit, & sublimitatem ejus valde admirans dicit: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii.* in deserto, utique in hoc mundo, Ecclesia sive sancta quæque anima vivit, dum à regno exul inter bestias, dæmones videlicet, degit. Hîc enim etsi non omnino à sponso deseritur, tamen dum in carne est nondum ad certam ejus visionem admittitur, dum ab eo per exilia & tentationes peregrinatur: quia dum adhuc cum eo non regnat, deseri ab eo sibi videtur. Ob hoc semper laborat ut ascendat, ut quem valde diligit, magis ac magis sentiat, quatenus quoniam perfectè eum in deserto non tenet, vel ipso ejus desiderio se reficiat, ut sic in via roborata, quandoque ad hoc quod diu concupivit, perveniat. Sunt quippe nonnulli qui dum omnia visibilia fastidiunt, mentem in cœlestia erigunt: Et quia in infimis nihil quod eis dulcescat conspiciunt, totum cor ad superna amanda convertunt. Hi ab omnibus malis moribus se exuunt, censum mundi cum cupiditatibus contemnunt, spe ad invisibilia tendunt: & quo ampliori desiderio illis inhærent, eo magis ac magis molestè corruptionem ferunt quam habent. Hi nimirum per desertum ascendunt: quia dum in hoc mundo inter tentationes vivunt, quò amplius dum hic morantur deseri metuunt, eò quidem fortius ista deserunt, & ferventius ad illa

gradiuntur, in quibus cum fuerint, nihil amplius quod eos amoveat jam timebunt. Bene autem sicut virgula fumi ascendere dicuntur: quia & odorem bonæ famæ, & subtilitatem mentis habere sciuntur. Non autem quarumlibet rerum fumus iste esse dicitur, sed ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii exire declaratur: myrrha quippe mortuorum corpora condiuntur ne putrescant; thura vero accenduntur, ut redoleant. Per myrrham ergo carnis mortificatio designatur, per thus vero orationum munditia intelligitur. Sancta igitur anima dum carnem suam à putredine vitiorum mortificat, dum omnes mundi voluptates per continentiam abnegat, quasi myrrham mortuo corpori adhibet, ut post judicium à corruptione æterna sanum permaneat. Cum verò se ad cœlestia majori desiderio accendit, & à cordis cubiculo omnes superfluas cogitationes ferventer abjicit, quasi thuribulum cor suum coram Deo facit: In quo dum per dilectionem virtutes congregat, quasi carbones in thuribulo coaptat, in quo se ipsam mens in conspectu Dei igne charitatis accendat. Dumque ferventes & mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum ex thuribulo educit, ut coram dilecto suave redoleat, & proximos quosque ad ejus amorem per bona exempla concitare non desinat. Sed notandum quod non ait universi pigmenti, sed universi pulveris pigmentarii. Pigmenta quippe facimus quando virtutes congregamus in corde: quandò vero ipsas nostras virtutes per singula quæque opera diligentius retractamus, ne quid in operibus nostris incultum remaneat, ne inter virtutes vitium lateat, tunc

procul dubio unguenta virtutum quasi in pulverem tundimus: ut eò mundiora sint opera nostra, quò subtilius ea ab omni subreptione vitiorum discernere non cessamus. Hujuscemodi mentes dilecto suo delectabiles se per ejus gratiam faciunt, & dum ab omni mundano strepitu se dividunt, locum in quo sponsus requiescat in se ipsis, componunt. De qua requie subditur: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël.* Salomon quippe pacificus interpretatur. Quid ergo per Salomonem nisi Christus intelligitur, de quo scriptum est: *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Salomoni ergo lectulum facimus, quando à mundi solicitudinibus omnino cessamus, dum in solo desiderio Christi libenter pausamus, eique ut nobiscum pauset, cor ab omni terrena cupiditate mundamus. Denarius autem numerus si per senarium numerum multiplicetur nimirùm sexaginta complentur. Per denarium itaque decalogum legis accipimus. Per senarium autem totum hoc tempus intelligimus quod sex diebus operatoriis volvi videmus. Per sexaginta igitur fortes omnes perfectos qui fuerunt ante nos in Ecclesia intelligimus, qui dum decem præcepta legis, quo spiritalius, eò fortius in sex diebus compleverunt, quasi sexagenarium numerum perfecerunt. Hi lectulum Salomonis ambiunt: Quia mentem sanctam in qua Christus pausat, verbis & exemplis muniunt, quibus ab aditu mentis venientes hostes repellunt, dum ipsam mentem exemplis sustinent, scriptis erudiunt. *Hi tenent gladios, & ad bella doctissimi* existunt Quia dum Verbum Dei opere complent quod corde sciunt, magis ac magis semper docti, ho-

Ephes. 2. 14. Eam unicam sententiam scripturæ suis verbis integram retulit toto eo libro. Vide *Præf.* & *Observat.*

stem suum, dæmonem scilicet, sapientia & fortitudine vincunt. Per gladium enim verbum Dei designatur, per manus autem quibus gladios tenent, ipsa opera figurantur, de quibus bene subditur: *Vniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Quid per ensem nisi rigorem conversationis, & quid per femur nisi carnis appetitum accipimus? Electi ergo quique qui jam ad perfectionem vitæ provecti sunt, propter timores nocturnos ensem super femur suum ferunt: quia rigore conversationis appetitum carnis assidue frangunt, ne hostis quem in nocte hujus mundi timent, repente veniens mollem aditum inveniat, & per voluptatis mollitiem eò facilius quò voluptuosiores invenerit, ad graviora peccata perducat. De laude itaque Salomonis adhuc subditur, cum dicitur: *Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit propter filias Hierusalem.* Ligna Libani imputribilia esse asseruntur, ferculum ergo fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: quia secundum præscientiæ suæ gratiam, Christus sanctam Ecclesiam de in æternum permansuris Sanctis construxit. *Columnas ejus fecit argenteas*: quia eidem Ecclesiæ prædicatores dedit, qui & ut eam exemplis sustentarent magna justitiæ rectitudine roboravit, & ut prædicationibus erudirent nitore eloquii, quasi splendore argenti, decoravit. *Reclinatorium aureum fecit*: quia dum in cordibus perfectorum resplenduit, eis divinitatis suæ potentiam per contemplationem ostendit. In quâ contemplatione dum eis pulchritudinem

cælestium gaudiorum monstravit, quasi reclinatorium ex auro eis composuit; quia locum in quo se refocillantes requiescant, apposuit. Quod reclinatorium bene aureum esse dicitur: quia melior est sapientia cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, ei non possunt comparari. Ad hoc reclinatorium multis laboribus pervenitur, multis tribulationibus ascenditur, ita ut si necesse fuerit etiam sanguis effundi permittatur, ideo ascensus recte purpureus esse dicitur. Dum enim sancti quique martyres propter vitam æternam corpora sua ad supplicia tradiderunt, dum flagella, aculeos, ignes, gladios & alia innumerabilia tormenta patienter pertulerunt, nonne ad reclinatorium istud, ad beatam scilicet vitam, per ascensum purpureum ascenderunt? Sed nos miseri quid agimus, qui in hoc ferculo columnæ argenteæ non sumus, quia sanctam Ecclesiam nec exemplis sustentamus, nec prædicatione docemus. In eâ reclinatorium aureum non habemus: quia terrenis cogitationibus involuti ad splendorem sapientiæ per contemplationem non assurgimus. Ascensum purpureum nec etiam cognoscimus: quia voluptatibus vacantes, labores & persecutiones pro æterna beatitudine ferre recusamus. Consolatur aliquantulum quod de hoc ferculo subditur: *media charitate constravit propter filias Hierusalem*. Quid enim per filias Hierusalem, cum non filios sed filias dixerit, intelligimus, nisi nos debiles qui in Ecclesia non viri sed fœminæ sumus: quia contra vitia fortiter non reluctamur, viriliter non resistimus, muliebriter subjacemus. Hierusalem enim visio pacis interpretatur, per quam Ecclesia quæ

est mater nostra designatur, eo quod assiduè pacem perpetuam contemplatur. Si ergo nos in ferculo regis columnæ argenteæ non sumus, reclinatorium aureum non habemus, per ascensum purpureum ascendere non valemus, saltem charitatem quæ communis omnibus electis, quasi in medio posita est, teneamus. Per hanc quippe rex Salomon nos in ferculo suo esse cognoscit: quia in eo cum columnis argenteis, cum reclinatorio aureo, cum ascensu purpureo, propter filias Hierusalem etiam media charitate constravit: quia cum Ecclesiæ membris ad eandem sponsi beatitudinem pervenimus, si charitatem indefessam observamus. Sequitur: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ ejus*: Mater Christi Beata Maria esse creditur, quæ coronavit eum diademate: quia humanitatem nostram ex ea ipsa assumpsit, sicut in Evangelio recitatur. Et hoc in die desponsationis ejus, & in die lætitiæ cordis ejus factum esse dicitur: quia quando unigenitus Filius Dei divinitatem suam humanitati nostrę copulare voluit, quando per bonam voluntatem suam tempore opportuno Ecclesiam sponsam suam sibi assumere placuit: tunc cum charitatis exultatione carnem nostram ex matre Virgine suscipere voluit. In quâ cum doloribus pro tempore vivens, de redemptione nostrâ vehementer exultavit. Sed cum diadema pro gloria assumatur, in humanitatis autem susceptione, non gloria Verbi Dei sed humanitas esse cognoscitur, quomodò humanitate nostra quasi diademate coronatus fuis-

ſe dicitur? ſed cum ipſa ejus Incarnatio verè gloria noſtra fuerit: quia membra ejus ſumus propter communionem corporis, diadema membrorum bene capitis ſcriptura predixit. Hic itaque quia à ſponſa laudatur, & ipſe viciſſim ſponſam laudare dignatur, dicens:

CAPUT IV.

Vide c. I. v. 15. *QUam pulchra es amica mea, quam pulchra es & decora, oculi tui columbarum, abſque eo quod intrinſecus latet.* Quia hæc ſuperius expoſuimus ut potuimus, nunc eadem repetere propter brevitatem ſervandam devitamus. Sed quia hic adjunctum eſt, abſque eo quod intrinſecus latet, videndum eſt quomodo ſuperioribus conjungatur. Pulchra eſt ergo ſponſa, & oculi ejus columbarum abſque eo quod intrinſecus latet: quia [1] valde honeſtum eſt quidquid in exterioribus operatur, quod ſimpliciter inter homines converſatur, quod ea quæ videt temporaliter concupiſcere dedignatur, & ſi quid tamen in hoc mundo placet poſt concupiſcentias ſuas ire deteſtatur. Sed vehementer pulchrius & honeſtius eſt quod cordis deſiderium illibatum retinere conatur, quod æternæ beatitudinis claritatem in mente retinet erecta contemplatur, quod in his quæ interius videt, ſuaviter requieſcit, & mundatur. Sequitur: *Capilli tui ſicut greges caprarum quæ aſcenderunt de monte Galaad*; ſi per oculos prædicato-

1. Ed. quod.

res

res Ecclesiæ designantur, quia cæteris viam ostendunt; bene per capillos populi figurantur, quia eidem Ecclesię ornatum [1] tribuunt. Capilli ergo sponsæ sicut grex caprarum esse dicuntur: quia populi Ecclesiæ, dum præcepta legis ruminantes cœlestia fide contemplantur, munda sunt animalia & in altis pascuntur. Galaad autem acervus testimonii interpretatur. Quid autem per acervum testimonii, nisi multitudinem Martyrum intelligimus? qui dum fidem Christi insuperabiliter tenuerunt, eos testimonium veritati etiam per mortem suam perhibuisse scimus. Grex itaque iste caprarum de monte Galaad ascendit: quia populus Ecclesiæ eò magis fide se ad æterna suspendit, quò fortius sanctos martyres eidem fidei testimonium perhibuisse scivit. Sequitur: *Dentes tui sicut greges tonsarum quæ ascenderunt de lavacro.* Sicut per oculos prædicatores intelliguntur, quia per eos Ecclesia illuminatur: similiter & dentes ejusdem possunt dici, quia per eos infideles consumuntur, & parvuli nutriuntur. Dentes quippe bene sancti prædicatores vocantur: quia dum sanctam scripturam exponendo minoribus fratribus elucidant, quasi panem parvulis tanquam matres filiis cammatiscant, quo infirmi ad fortiora convalescant. Hi nimirum bene sicut grex tonsarum quæ ascenderunt de lavacro esse dicuntur: quia dum se a peccatis omnibus in baptismo ablutos esse recordantur, libenter onera mundi deponunt, ut ad cœlestia consequenda & prædicanda, quo liberius, eò facilius gradiantur. De quibus subditur: *Om-*

1 Al. *Ornamentum*

nes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter illas. Gemellos fœtus omnes sancti prædicatores habent: quia dum in duobus præceptis charitatis cæteros homines super eminent, geminam dilectionem prædicant, & in ea duos populos Judaïcum & Gentilem gignere non cessant. Inter quos nullus est sterilis: quia profectò prædicator non est dicendus, si filios spirituales gignere contemnit. De quibus adhuc subditur: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Iidem prædicatores labia Ecclesiæ dicuntur: quia nimirum per eos populis præcepta vitæ loquitur. Qui bene, sicut vitta dicuntur: quia dum fluxas cogitationes in cordibus hominum suis prædicationibus restringunt, quasi sparsos crines ne immoderatè diffluant, reprimunt. Sed quid est quod non tantum vittæ, sed coccineæ comparantur, nisi quia per coccum flamma charitatis intelligitur qua illi ardent, & per eos alij accenduntur: per quos eloquium sanctæ Ecclesiæ dulcoratur, quia dum quæ dicunt faciunt, prædicationes suas hominibus quasi sapidas escas apponunt; sequitur. *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua, absque eo quod intrinsecus latet.* Quid per genas Ecclesiæ nisi eosdem ipsos prædicatores intelligimus, qui dum in populis ut eis proficiant, eminent, quasi in facie Ecclesiæ manifesti apparent? Per malum autem punicum ipsa Ecclesia designatur: quia dum multos populos in unitate fidei nutrit quasi multa grana sub uno cortice stringit. Frágmen ergo mali punici sancti prædicatores existunt: quia dum se ut grana in divino servitio cęteris fortius affligunt, dum omnia mundana contemnunt, dum voluntates

suas abnegant, & vitia sua omnino mortificant [1] dum se ipsos humiliant & cęteros extollunt, & dum per exempla sua cęteros nutriunt, quasi fracti & aperti se cibos offerunt. Sed quamvis magna sint quæ extrinsecus apparent, majora tamen in occulto retinent, quæ divini oculi soli vident. Ideo subjunctum est: *Absque eo quod intrinsecus latet.* Sequitur: *sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.* Collum quippe extendimus quando longius prospicere volumus. Propter aliud ergo sancti prædicatores oculi, propter aliud dentes, propter aliud autem genæ, & collum propter aliud convenienter vocantur. Bene igitur sicut turris David, collum sanctæ Ecclesiæ dicitur: quia sancti prædicatores procul venientes hostes sanctæ Ecclesiæ speculantur; & fortiter resistunt, si quid in Ecclesia lædere conantur, & liberè terrena despicientes cælestia contemplantur. Collum ergo propter hostium speculationem, turris vero dicuntur propter fortitudinem, & propter excelsam cœlestium gaudiorum contemplationem. Quæ turris rectè David esse dicitur: quia David manu fortis interpretatur, per quod Christus significatur, cujus est quidquid forte & excelsum operantur. [2] De qua subditur: *quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cum propugnaculis turris David ædificata dicitur: quia sancti prædicatores contra adversarios homines, si necesse sit, miraculis armantur. Contra vitia autem se clypeis muniunt: quia ne spiri-

1. Cod. *Mortificant cæteris excellunt. & dum*: abest enim quod interponitur

2. Al. *Operatur.*

talibus hostibus succumbant, virtutibus se defendunt. In quibus omnis armatura fortium pendet: quia quisquis hostium cuneis fortiter resistere vult, in eis exempla videt quibus armatus hostes strenuè valet superare. Mille autem hîc pro perfectione ponitur: quia in millenario numero omnes numeri perfecti complentur. Sequitur: *duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies & inclinentur umbræ.* Per duo ubera duo prædicatorum ordines, unus in circumcisione, alius in præputio designantur. Qui bene sicut duo hinnuli capreæ dicuntur: quia & filij synagogæ existunt, & in montibus contemplationum pascuntur. Gemelli vero ideo dicti sunt: quia concorditer prædicant & concorditer sapiunt. In liliis vero pascuntur donec aspiret dies & inclinentur umbræ: quia munditiam infatigabiliter sectantur donec in die judicij præmia recipiant, quæ in labore noctis assidue contemplantur. Sequitur sponsus dicens: *Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris.* Quid per montem myrrhæ, nisi fortem altitudinem mortificationis in opere, & quid per collem thuris intelligimus, nisi altam humilitatem in oratione? Ad montem ergo myrrhæ & ad collem thuris sponsus vadit: quia eos familiariter visitat, quos per mortificationem vitiorum ad alta proficere, & per mundas & humiles orationes suaviter redolere perspicit. His quippe virtutibus sancta Ecclesia vel unaquæque anima munda efficitur: quia dum per voluptatum mortificationem vitiis reluctatur, & per sanctas orationes frequenter lacrymis abluitur, sordes lavat

ut sponso placeat, cui pulchra apparere conatur. Cujus conatum ad effectum sponsus per gratiam suam ducit, opusque suum in sponsa benignè laudat & dicit:

OBSERVATIO.

H*Vc usque, lector, nullum sacra scriptura reperire est testimonium ab interprete diffusè expliciteque laudatum, ea ratione quam præfatione sua, primaque nostra observatione retulimus. At deinceps, cum diversam expositionis secutus sit viam, collegeritque ex libris canonicis* exempla, quibus brevitatis studio strictius exposita suaviora legenti redderentur; *æquum duxit a prioribus posteriora commentaria librorum partitione ad hæc verba secernere, quæ* exemplorum insertionem notant: *Vitam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*: Hoc dicto, *inquit*, & exposito finiatur primus liber, incipiaturque secundus, sic oriens: *Tota pulchra es amica mea* &c. *Cu iut morem geramus, sit.*





LIBER II.

Job. 25. b.
Jac. 3. d.
1. Joan. 1. d.

Avertis Lector, novum ordinem ex tot sententiarum sacræ scripturæ congerie, hic & infra.

Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te, cum scriptum sit: *nemo vivit sine peccato, nec infans cujus vita est unius diei super terram*: Quid est quod sponsa tota pulchra esse dicitur, in quo macula non habetur? Alibi quippe scriptum est: *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus*. Et alibi; *In multis offendimus omnes*. Et Joannes Apostolus ait: *Si dixerimus quia peccatum non habemus veritas in nobis non est*. Et idem: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, mentimur, & veritatem non facimus*. Sed dum sancta anima à peccatis quotidianis se per pœnitentiam mundat, dum quotidie peccata minuta cum lachrymis abluit, & a majoribus se observat, quamvis frequenter peccet, per assiduam tamen pœnitentiam munditiam suam assiduè servat. Hinc enim alibi præcipitur: *semper sint vestimenta tua candida*. Et illud, *justus autem ex fide vivit*. Quamvis enim mox ut peccat, a justitia deviet, tamen dum semper credit in eum qui justificat impium, & assidue sub ejus fide peccata sua deflet, per assiduas ablutiones, justitiam suam retinet. Se igitur ita mundanti sponsæ consequenter dicitur: *Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis*. Libanus quippe dealbatio interpretatur. Quid ergo per Libanum nisi baptisma intelligitur, in quo sancta Eccle-

Ibid.

Eccl. 9. 6.
Rom. 1. 6.

sa aqua abluitur, & a peccatorum nigredine per Spiritum Sanctum quem recipit, & per Christi fidem de albatur: unde scriptum est: *Asperges me Domine hysopo, & mundabor.* Psal. 50. De Libano ergo sancta Ecclesia ad coronam venit: quia in Christi baptismo fidem percipit, sub qua cum Christi gratia meretur ut præmium recipere possit. Sed quid est quod ter dicitur, *veni*, nisi quia in fide, & in spe, & in charitate quidquid operatur, subsistit: ut his tribus munita virtutibus robur habeat, per quod in via non lassescat? De fide enim dicitur: *fide mundans corda eorum.* Act. 15. c. Et iterum: *sine fide impossibile est placere Deo.* Hebr. 11 c. De spe autem dicitur: *non confundentur omnes qui sperant in te Domine.* 1. Post. 4. c. Cui iterum dicitur: *quis enim in te speravit, & derelictus est?* De charitate autem dicitur: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Et iterum: *Si distribuero* 1 Cor. 13. a *omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et Joannes Apo- 1. Ioan. 4. stolus: *Deus charitas est.* Potest tamen & aliter intelligi quod ter dicitur, *veni*: Venit enim sponsa sancta ad Christum, dum in hoc mundo vivens, bona quæ potest operatur. Venit quando in hora mortis anima, ipsa videlicet sponsa, a carne exuitur. Venit tertiò quando in die judicij ultimi carnem resumit, & cum Christo thalamum cœlestem ingreditur. Ibi quippe omnium laborum suorum præmia consequitur, ibi jam omnino prostratis & exclusis hostibus gloriose coronatur. Ideo & hic per promissionem sequitur: *Coronaberis de capite Amana, de vertice Hanir & Sermon, de cubilibus leonum, de*

montibus pardorum. Quid per Amana, Sanir & Hermon, nomina videlicet montium, nisi potentes hujus sæculi intelliguntur, qui quanto ditiores, tantò excelsiores & firmiores apud infirmos esse videntur? Sed de his montibus sancta Ecclesia coronatur: quia dum regnum prædicat æternum, dum exemplo suo omnia [1] quæ mundi sunt, vilia esse demonstrat, ipsos etiam potentes ad pœnitentiam inclinat, & sibi ipsi pro eorum acquisitione coronam in cœlestibus parat. Sic quippe fit, ut humiles superbos prosternant, & infirmi excelsos inclinent. Ideo scriptum est:
Isa. 40. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Sed quid est quod non solum de montibus, sed etiam de capitibus montium coronanda esse dicitur, nisi quod impletum videmus, quia jam ipsæ excelsiores personæ in Christum credunt, & ejus præceptis per Ecclesiæ prædicationem obediunt? Reges enim & Imperatores Christo serviunt, coronas deponunt, & per pœnitentiam in Ecclesia veniam petunt. Si itaque per capita montium summas personas intelligimus, bene per cubilia leonum & montes pardorum principes quique & ministri designantur, qui crudelitati inserviunt, & dolositatibus suis, quos vi non possunt lędere, decipiunt. Pardi quippe maculas in cute semper portant, per quos qui alii quam hypocritæ vel discordes significantur? In illis quippe qui credulitatem sectantur, dæmones tanquam leones cubant; in illis vero, quasi pardi, montes ædificant, quos dum vitiis suis aliquas virtutes admiscere consentiunt, pro omnibus bonis suis laudis gloriam affectare compellunt.

1. Al. *Anima.*

Hi itaque vere pardorum varietatem imitantur: quia dum cum virtutibus etiam vitia sectantur, quasi in vario corio coloris dissimilitudine dividuntur. Sed de cubilibus leonum & de montibus pardorum Ecclesia coronatur: Quia dum per ejus prædicationem, & crudeles ad pietatem & hypocritæ ad vitæ humilis unitatem convertuntur, pro his omnibus præmium percipiet, quod meretur. Cui iterum dicitur: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Per oculos sponsæ sanctæ Ecclesiæ prædicatores, sicut dictum est, designantur. Per crines vero populi multitudo figuratur, Per collum autem sancti capitis & corporis conjunctio demonstratur, quæ fides Ecclesiæ intelligitur; per hanc enim caput & corpus conjungitur, dum Christo quisque eò tenacius inhæret, quò fidelior in bona conversatione habetur. In uno ergo oculorum, & in uno crine colli sponsæ sponsus vulneratur: quia profectò usque ad mortem crucis afficitur, ut unitas prædicatorum & plebis in Ecclesia confirmetur. De cujus dilectione erga sponsam iterum subdit sponsus: *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa.* Quid per mammas convenientius in hoc loco quam ipsa dilectio Dei & proximi, de qua superius diximus, intelligitur? Per quas mens sancta omnes sensus suos suavi delectatione [1] nutrit, dum Deo suo charitatis tenacitate conglutinatur, & proximis, si quid utilitatis habet, quomodolibet libenter impendit. Has mammas sponsæ quantùm sponsus diligat in repetitione laudis apertè

1. Codicis in margine secun'â manu scriptum legitur: *delectatione* & quidem melius. Al. *Dilectione*.

manifestat, dicens: *Pulchriora sunt ubera tua vino.* Quod superius de sponsi uberibus diximus, hoc & hîc cum de sponsa loquitur, intelligi posse æstimamus. *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata.* Per unguenta quippe ipsæ virtutes quæ ex charitate oriuntur, intelliguntur. Habent quippe etiam reprobi aliquando aromata quibus redolent, quia virtutes quasdam possident & bona opera perpetrant. Sed quia sine charitate vivunt, in conspectu Dei nullá quæ faciunt, placent. Unde in judicio cum dicent: *Domine, in nomine tuo prophetavimus & in nomine tuo virtutes multas fecimus.* Respondebitur eis: *Numquam novi vos, discedite à me omnes operarii iniquitatis.* Bene ergo unguenta Ecclesiæ super omnia aromata redolere dicuntur: Quia etsi opera reproborum aliquando hominibus placent, hæc quæ sancta Ecclesia ex charitate conficit, in divinis naribus sine cessatione redolent. Sequitur: *Favus distillans labia tua sponsa.* Prædicatores Ecclesiæ bene labia sponsæ dicuntur: Quia per eos populis loquitur, & per eos ad fidem parvuli quique erudiuntur; dum per eos occulta scripturę, quasi cordis latentia, manifestantur. In favo autem mel latet, & cera videtur. Rectè ergo labia sponsæ favus vocantur: Quia dum in carnis fragilitate sapientia magna habetur, quasi mel in cera absconditur. Quando verò electus quisque prædicat, quando cœlestia gaudia nescientibus revelat, tunc favus distillat; quia quanta dulcedo sapientiæ in corde lateat, per oris fragilitatem audientibus manifestat. Unde scriptum est: *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus.* Ideo subditur: *Mel & lac sub lingua tua.* Nimirùm falsi

Mat. 7. d.

2. Cor. 4. b.

prædicatores mel in lingua portant quod sub lingua non habent: Quia cœlestia gaudia aliquando prædicant tanquam veri sint, [1] cum ipsi terrestria bona totis desideriis appetant. Sancta vero mens mel in lingua prætendit, quia sapientię dulcedinem loquendo ostendit, quam veraciter prædicans, audientes tanquam mellis dulcedine reficit. Lac gerit: Quia congruenti sibi doctrina parvulos quosque in Ecclesiâ nutrit: sub lingua autem hæc omnia sibi ipsi reservat: quia internam dulcedinem assiduè secum portat. Dum enim terrena abjicit, dum vitiorum amaritudinem respuit, in interioribus sensibus sapientiæ dulcedine se pascit, qua robur colligit, ut ad æterna gradiens in labore viæ lacessere non possit. Cui bene dicitur: *Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.* Quid per vestimenta hæc nisi sancta opera designantur, quibus præcedentium malorum turpitudo operitur ne videatur? Hinc enim scriptum est: *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, & videatur turpitudo ejus.* Apoc. 16. a Thus vero per significationem pro oratione ponitur, sicut scriptum est: *Ascendat oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Psal. 104. a Sancta [2] itaque anima in hoc mundo quanta potest bona opera operatur, & bene operans desiderio & intentione sancta ad æterna se extendit, nihilque boni agit, nisi eâ intentione, ut ad cœlestia quæ diligit [3] quandoque pervenire possit. Bene igitur odor vestimentorum ejus sicut thuris esse perhibetur: Quia in omnibus operibus suis orat,

1. MS. *Essent:* id est tanquàm verè iis essent affecti, ad ea anhelarent.
2. Ed. *Sancti.*
3. Al. *Dirigit.* error typogr.

dum perveniendi intentione ea quæ potest bona operatur. Sequitur: *hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus fons signatus*. Hortus sancta Ecclesia existit: Quia dum populos multos in fide gignit, quasi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus conclusus bene esse dicitur: quia charitatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur, Unaquæque anima sancta etiam hortus conclusus esse intelligitur: quia dum virtutes nutrit, flores gignit, & dum virtutum exhilaratione se reficit, fructus quos genuerat, eadem custodit. Conclusus enim hortus esse dicitur: quia dum bona sua intentione vitę æternæ abscondit, dum humanas laudes omnino contemnit, ipsa bona intentione se circumsepit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irrumpere possit. Fons etiam dicitur: quia dum cœlestia assiduè cogitat, dum scientiam scripturarum semper in ventrem memoriæ congregat, quasi aquas viventes sancta mens in se gignere non cessat, quas sitientibus proximis præbere, ut reficiantur, valeat. Unde scriptum est dicente Domino: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*. Et alibi: *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina aquæ vivæ fluent de ventre ejus*. Sed cur dicitur fons ille signatus, nisi quia sensus spiritalis mentibus indignis absconditur, infideli enim homini à Domino dicitur: *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis & nescis unde veniat, aut quo vadat*: Et iterum scriptum est: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Quod enim ibi lumen signatum, hoc hic procul dubio fons

Ioan. 4. b.

Ioan. 7. f

Ioan. 3. b

Psal. 4.

signatus esse perhibetur. Sanctus enim spiritus mentem quam replet, & illuminans irrorat & irrorans illuminat; ut & de luce ejus videat quid appetat, & de rore ejus se refrigeret, ne lassescat. Sequitur: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus.* Quid emittit sancta Ecclesia nisi cum sanctis operibus sancta verba quibus filios gignit & nutrit? Quorum dum alios usque ad martyrium perducit, alios in sancta conversatione erudit, hos sanguine martyrii rubentes ad æternam patriam transmittit; illos vero in sanctis operibus viventes, proximis in exemplum sanctitatis tradit, quid aliud quam mala punica & pomorum fructus emittit? Mala quippe punica sub rubeo cortice multitudinem granorum continent: Fructus vero pomorum in se refectionis dulcedinem habent. Sic, sic martyres, dum sub igne tribulationis laborant, dum pro Christo sanguinem exterius fundere non dubitant, multitudinem virtutum interius sibi congregant in mente. Sancti etiam quique qui in pace Ecclesiæ vivunt, fructus pomorum gerunt: quia dum sancta opera faciunt, proximis exempla tribuunt, exhibitione se qui volunt reficiunt. Quotquot enim sunt in Ecclesia sancti, sive igne passionis ardeant, sive in pace Ecclesiæ quiescentes succrescant, sanctarum virtutum odorem tanquam paradisum suavitatis & deliciarum construere in se dum vivunt, non cessant. Cujus paradisi ubertatem scriptura demonstrat, dum sub voce sponsi per arbustorum nomina quasque virtutes designat, dicens: *Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cynamomum cum universis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis unguen-*

tis. Quid enim per has diversas aromatum species designatur, nisi sanctarum virtutum odor, & profectus qui in sanctis habetur? Ex his quippe speciebus regalia unguenta conficiuntur, ex his corporum sanitates inveniuntur. Benè igitur virtutes animarum designant, quibus congregatis & confectis, & bonus odor opinionis egreditur, & ægris animabus competens sanitas reparatur. Sed adhuc laus Ecclesię à sponso repetitur, cum subditur: *Fons hortorum, puteus aquarum viventium quæ fluunt impetu de* Libano. Rectè in emissionibus Ecclesiæ fons hortorum, & puteus aquarum viventiũ describitur. Quid enim per fontem & puteum nisi sancta scriptura designatur quæ sic aquã sapientiæ generat, ut & potantes semper reficiat, & tamen manare non desistat? Quæ bene hortorum esse perhibetur: quia illorum specialiter est sancta scriptura, in quorum mentibus virtutum semina oriuntur. Sed quærendum nobis est, quare fons & puteus utrumque simul scriptura dicatur, cum fons in superficie appareat, puteus vero in imis latens, omnes se quærentes majori labore exerceat? Sed sciendum est quod divina scriptura in quibusdam manifesta existens, in quibusdam vero locis obscuram se præbens, & aliquando leviter sicut invenitur, tanquam fons potatur; & aliquando magna inquisitione eget, tanquam puteus, ut inventa sumatur. Quod verò sanctæ scripturæ intellectus per aquam designetur, ostenditur alibi cum divina voce de reprobis dicitur: *mittam eis sitim aquæ & famem panis*. Et per Isaiam, dicitur: *Auferet Dominus ab Hierusalem & Iuda omne robur panis, & omne robur aquæ*. Dum enim gravia dicta scripturæ non perquiruntur ut

Isa. 3. a

mandantur, paulatim a scientia decidit mens, ut aliquando non levia etiam intellectu capiantur. Sed aquæ istæ bene de Libano fluere cum impetu dicuntur: Libanus enim, ut dictum est, dealbatio interpretatur. In baptismo quippe dealbamur, dum amissa nigredine peccatorum ad munditiam novæ vitæ reformamur, De Libano ergo aquæ putei fluunt: Quia in baptismo electi quique [1] donum Spiritus [2] Sancti accipiunt, quo illuminati scripturæ sacræ sensum intelligunt: quæ scripturæ sanctæ scientia tanto fluit impetu, ut electos dum tangit, ab hujus vitæ amore submoveat, & ad æterna gaudia vi impetus sui quosque adhærentes trajiciat Hinc est enim quod in Psalmo scriptum est: *fluminis impteus lætificat civitatem Dei.* Impetus enim fluminis civitatem Dei lætificat, cum per donum Sancti Spiritus fortiter inundans scripturæ sapientia sanctam Eccesiam, vel cujuslibet capientis mentem, infusione suâ exhilarat; ad cujus spiritus adventum malignus spiritus increpatur, cum hic in subsequentibus dicitur: *surge aquilo, & veni auster: persla hortum meum, & fluent aromata illius.* Quid enim per aquilonem qui in frigore constringit & torpentes facit, nisi immundus spiritus designatur, qui reprobos omnes dum possidet, à bono opere torpere facit? Per austrum verò calidum scilicet ventum, Spiritus sanctus figuratur, qui dum mentes electorum tangit, ab omni torpore relaxat, & ferventes facit ut bona quæ desiderant operentur. Hinc enim dicitur: *Converte Domine*

Psal. 45.

1. Al. *Quippe.*
2. Ed. *Spiritum.* error typog.

L. 27. Mor l. 23. & l. 1. in Ezech. hom 2.
Psal. 23.

captivitatem nostram sicut torrens in austro. Surgat ergò aquilo, & veniat auster, & perflet hortum sponsi, & fluant aromata illius; ut videlicet spiritus malignus ab Ecclesia, vel ab unaquaque electa anima discedat, & Spiritus sanctus adveniat, qui veniens charitatis ignem cogitationibus infundat, & à torpore negligentiæ, dum se infuderit, solvat. Quod dum agit aromata fluunt: quia dum adveniente sancto Spiritu cor quod prius torpuerat, ad opera se excitat, mox sanctæ operationis opiniones per proximos quosque suaviter discurrunt, ut quique audientes ad eadem se accendant, & austro flante, id est, Spiritu sancto se infundente, virtutum odores emittant; & ubique sanctus hortus floreat, & post florem fructus redolentes & reficientes producat. In quem hortum sponsa dilectum invitat, cum subdit.

CAPUT V.

V*Eniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.* In hortum dilectus venit, & fructum comedit, quando Christus mentes visitat, & bonorum operum delectatione se satiat, unde & idem subjiciens dicit: *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi favum cum melle meo. Bibi vinum cum lacte meo.* Myrrham dilectus cum aromatibus metit, quando Christus mortificatione vitæ ad perfectionem perducta electum suum ab hac vita succidens ad cœleste

cœleste horreum cum sancta opinione inducit. Favum cum melle comedit, quando desiderium sanctum in sanctis operibus latens perficit, & ad sanctorum convivium sanctam animam sua delectatione impinguandam transigit. Vinum verò suum lacte bibit, quando & perfectione quorumdam se reficit, & innocentiam aliorum cum pietate diligens, utrosque ad æternum convivium ingerit.[1] Ad quorum exemplum quosque remanentes invitat, cum subjungit: *Comedite amici mei, bibite, & inebriamini charissimi.* Notandum in primis est, quia qui comedunt, amici, qui verò bibunt & inebriantur, charissimi esse perhibentur. In quibus verbis intelligi datur, quia in hoc loco comedere bonum est: sed bibere & inebriari amplius bonum est. Sunt nimirùm quidam in sancta Ecclesiâ, qui sic præcepta divina audiunt, ut cœlestia plusquam terrena amare discant; pro eorum desiderio multa pauperibus tribuant; à pravis operibus se custodiant; nulla alicui violenter rapiant; Ecclesiæ prædicationem libenter audiant; in fide se instruant, quam & operibus sanctis exerceant; & tamen uxores habent, pignora nutriunt, res suas diligunt, quamvis his omnibus Christum præponant. Hî profectò comedunt & amici sunt: quia sanctam scripturam audientes talem sibi refectionem assumunt, ut, etsi ad summam perfectionem adhuc non assurgunt; tamen secundum modum suum perfecti in præceptis divinis sine crimine vivant. Quod dum beati Joannis parentes, Zacharias videlicet & Elizabeth, conservare studuerunt, per revelationem angelicam in senectute sua filium accipere meruе-

1. Cod. *gerit.*

runt, quo major inter natos mulierum non surrexit, & ipsum Salvatorem mundi digito ostendere, & baptizare meruit. De cujus parentibus dicitur: *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus domini sine querela.* Sunt vero alii, qui tanta aviditate divinam scripturam audiunt vel legunt, ut protinus cunctis terrenis operibus abdicatis sola cœlestia ambiant, parentes, uxores, domos, filios etiam, & omnia transitoria abjiciant; solummodo Christum sequi & amplecti concupiscant; ejus desiderio se affligunt jejuniis, afficiunt lacrymis, exercent meditationibus divinis, sola quæ sunt æterna cogitant, contemplationibus vacant; ad hoc laborantes, ut ea quæ retro sunt, obliviscentes, in anteriora magis ac magis se extendant. Quid profectò isti, quid aliud agunt, nisi bibentes inebriantur? ut dum omnium terrenorum per desiderium obliviscuntur, jure à sponso cœlesti, non tantum amici, sed & charissimi vocari mereantur, de quibus idem sponsus loquitur, & dicit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Hujusmodi quippe electi cor sponsi bene vocari possunt, qui quò amplius exteriora, quæ sunt in mundo, fugiunt; eò secretius ea quæ sunt interiora sponsi, cognoscunt; de quibus procul dubio idem sponsus alibi dicit: *Qui diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Dormit ergo sponsus, & cor ejus vigilat: quia dum Christus jam glorificatus [1] in beatitudine quiescit, quicumque eum perfectè diligit, ut ad ipsum perveniat, laborat. De qua vigilantia sponsa superius dixit: *Cum esset rex in ac-*

Matt. 11. b. — Ioan. 14 c. — Cant. 1. d.

1. Ed. Addebat: *est.*

cubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Quod enim illud quiescere, dormire dicatur, id [1] manifestat quod alibi legitur: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Quod tamen ipsum, & ipsa sponsa de se dicere potest. Dicat ergo. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Ac si apertè mens sancta loqueretur, dicens: Dum à mundanis tumultibus exterius dormio, interiori cogitatione quæ sint cœlestia vigilans penso. Sancti etenim viri dum terrena omnia despiciunt, dum tumultus mundi omnino fugiunt, dum otium in via Dei assumunt, nequaquam ut torpori vacent ea dimittunt: sed interius laborantes quæ sint illa ad quæ facti sunt in corde aspicere contendunt. Neque enim ut torpeant dormiunt, sed ut liberius æterna contemplentur à transitoriis rebus quiescunt. Quos tamen aliquando sponsus ad profectum proximorum excitat: & ut eis cum quibus vivunt proficiant, ab otio quod diligunt revocat. Cujus vocem audiens etiam cum dormit sponsa, dicit: *Vox dilecti mei pulsantis.* Quid enim pulsans dicat, subjungit: *Aperi mihi sponsa mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* Causam etiam clamoris annectit, dicens: *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Dum sponsa dormit, dilectus ut aperiatur ei pulsat; quia dum sancta mens sibi ipsi per otium intendit, Christus multa peccatorum opera in hoc mundo tolerat: Quæ nisi spiritales viri ad doctrinam se accingant, numquam per se ipsos carnales vel agnoscunt, vel corrigere curant. Vult ergo sponsus ut aliquando otium dimittatur, & ad ædificationem proximorum spiritales quique soliciten-

Psal. 4.

1. Cod. *Idem manifestat qui alibi loquitur.*

tur : quia dum perfecti viri sibi solis per interiorem quietem attendunt, dolet sponsus quod sæculares ad peiora magis ac magis corruunt, dum eum propter silentium spiritualium semper minus ac minus cognoscunt. Quod ipse manifestat cum dicit : *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quid per caput sponsi nisi Deus, & quid per rorem in hoc loco ubi lamentando dicitur, nisi frigus mentium carnalium accipitur? scriptum est enim : *Caput Christi Deus.*
1. Cor. 11. a. Et de frigore cujuslibet carnalis mentis iterum scriptum est : *Sicut frigidam facit cisterna aquam ; sic frigidam fecit malitiam suam.* Caput ergo Christi plenum est rore : quia multi in Ecclesia positi & Deum eum credunt, & tamen frigidi persistentes ad ardorem charitatis non accenduntur. Per cincinnos autem ejusdem populos intelligimus, quos in fide divinitatis quasi in capite Christi pendentes, & opprimentes scimus. Sed cincinni pleni esse dicuntur guttis noctium : quia dum in torpore hujus tenebrosæ temporalitatis se suspendunt, magis ac magis stillationibus iniquitatum fluunt. Ad hos accendendos sponsa excitatur, dum spiritalis quilibet pro ædificatione plurimorum ab otio ad prælationem Ecclesiæ vocatur. Sed quoniam metuit, ne si ad prelationem venerit, solicitudinibus mundi occupari necesse sit; sicque dum per occasionem ædificationis plurimorum temporalibus se inclinaverit, quietem amittat eamque sordibus peccatorum inficiat, ideo clamanti sponso respondet, dicens : *Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo iterum induar illa? Lavi pedes meos, quomodò iterum inquinabo illos?* Tu-

Hier. 6. b.

nicâ sua sponsa se expoliavit: quia omnia exteriora quibus honorabatur & onerabatur, abjecit: De quâ tunicâ dicitur: *Nunc autem qui habet tunicam, vendat eam, & emat gladium.* Gladium quippe vendita tunica emit, qui pro æternis temporalia abdicat, & in sancta conversatione vivens verbum prædicationis acquirit. De quo dicitur: *Et gladium spiritus quod est verbum Dei.* Pedes autem suos sponsa lavit: quia dum in sancto otio sancta anima vivit, opera sua studiosè ad memoriam reducit. Quidquid in eis sordidum examinando deprehendit, lacrymis quotidianis & gemitibus plangit. Pedes itaque lavit: quia præterita opera, quibus per hunc mundum dissolutè ambulaverat, planxit. Pedes lavit: quia peccata abluens lacrymis, munda in conspectu dilecti sui apparere concupivit. Hos pedes iterum inquinare metuit: quia valde sollicita est, ne si in prælatione ponatur, per terrena ambulans, iterum suscipiat quod dimisit. Idcirco ab otio invita recedit: quia dum à marinis fluctibus aliena est, quasi in littore posita securius vivit. Sed dilectus non leviter mortem proximorum tolerat; ideoque propius accedens per se ipsum eam excitare non dubitat, ubi dicitur. *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum illius.* Manum dilectus ad sponsam mittit per foramen ut surgat, quando per subtilem intellectum quanta sit operationis divinæ virtus ei inspirando manifestat. Quod videlicet & inter pericula salvare possit; quod etiam in pace nisi per eum salvus sit nemò; quod in tumultu certaminis sperantes in se non derelinquit. Ad cujus tactum venter sponsę intremiscit: quia san-

Luc. 22. d.

Ephes. 6. d.

cta anima quò amplius divinam potentiam per interiorem visitationem præsentialiter sentit, eò districtius judicat quidquid in se carnale deprehendit. Quò enim majori charitate in eum ardet, quem mente concupiscit, eò timidius se ei subjicit, & amplius veretur, ne sponsus in ea aliquid inveniat propter quod eam à se dimittere velit. Idcirco sponso obediens ad laborem se præparat, ut sicut in quiete familiaris sponso, sic & in labore devotè serviens appareat. Ideo subdit, dicens: *Surrexi ut aperirem dilecto meo.* Tacta surgit ut aperiat: Quia dum spiritum dilectionis amplius solito accipit, mox de ædificatione proximi cogitat, & prædicando agit, ut apertis cordibus sponsus ad inhabitandos proximos veniens aditum intrandi inveniat. Quæ etiam cum prædicatione exempla operum auditoribus demonstrat, dicens: *Manus meæ stillaverunt myrrham.* Quid per manus nisi operationes? Quid per myrrham nisi mortificatio carnis accipitur? Manus ergo sponsæ [1] prædicantis myrrham stillant: quia quicumque aliis prædicant, necesse est, si multis proficere velint, ut in omni opere suo carnalem vitam mortificare contendant. Sed ut hoc cum magna discretione fiat, manifestat cum subjungit, dicens: *Digiti mei pleni sunt myrrha probatissima.* Sicut enim ab una manu plures digiti dividuntur, sic in una sancta conversatione per discretionem diversæ virtutes inveniuntur. Alia enim est virtus largitatis, alia virtus parcitatis, aliud opus humilitatis, aliud liberæ increpationis. Aliud vero agimus quando nos sub silentio continemus propter ædificationem pro-

Supra cap. 3. & 4. Circa med.

1. Al. *Prædicationis.*

priam: aliud quando proximis loquimur propter utilitatem suam. Sed digiti myrrhâ probatissimâ pleni esse perhibentur: quia in omni quod agitur semper necesse est, ut mortificatio carnalitatis teneatur; quæ tunc probatissima esse jure dicitur, quando in omni suggestione quæ ab hoste ingeritur, sine cessatione voluptas carnalis cavetur, ne suscipiatur. Quod quando fit omnis duritia mentis dissoluitur, & ut sponsus intret ad cor aditus preparatur. Hinc est quod sequitur: *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo.* Pessulum ostio facimus, quando per voluptates carnis aditum cordis contra sponsum obseramus. Pessulum vero aperimus, quando remotis voluptatibus fluxis cor nostrum in amorem Christi, quod prius durum fuerat, soluimus, & sponso pulsanti ad ostium introitum liberum facimus. Quod dum in hac carne vivimus, quia repente fieri non potest, restat ut magis ac magis quotidie faciamus. *Nemo* enim, sicut scriptum est, *repente fit summus.* Aliquando enim dum in hac corruptione positi Dominum nostrum quærimus magis nobis elongari quam appropiare videtur, ideoque sequitur: *At ille declinaverat, atque transierat* Modò sponsus dilectam tangit, modò declinat: quia, quando nos torpentes conspicit ad amorem incitat, quando vero laborantibus nobis posse apprehendi videtur, tunc ne apprehendatur transit, & declinat. Quod maxima in nobis ejus gratia agitur, ut videlicet, nec in torpore nostro jacentes omnino eum amittamus, nec de plena ejus ut nobis videtur, apprehensione superbiamus. Qui mox tamen ut recesserit, redit; & ne diutius anima sancta à dilecto suo alienetur verbo inspirationis suæ desideranti

animæ se infundit, & infundens liquefacit. Unde exultat sponsa, dicens: *Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Ad verbum sponsi liquefactam se dicit: quia dum Christus se per spiritum suum animę desideranti infundit, omnem duritiam cordis mox dissoluit, & aliquando mentem in tantas lachrymas liquefacit, ut vix capere possit hoc quod se capere intra se exultat, & intus miretur quid fuerit, & quid factam subito se videat. Quem liquorem dum sentit, perfectius apprehendere concupiscit: & aliquando dum hoc ipsum cogitat, hoc quod modo sentiebat jam non sentit, unde solicitatur ad quærendum ut hoc idem inveniat. Sed aliquando cum etiam diu fatigetur non invenit, quod modo tam præsens tenebat. Ideo sequitur: *quæsivi, & non inveni illum: vocavi & non respondit mihi.* Quærit sponsa dilectum, sed non invenit: quia a Deo inspirata mens assiduè suauitate illa intima perfrui concupiscit, sed corruptio prohibet, quam in hac vita gerit. Vocat ergo, & non respondetur ei: quia & orationibus & operationibus suis dulcedine illius præsentiæ satiari appetit: sed ad votum suum hoc quod invocat, non occurrit. Restat ergo ut in se revertens se cognoscat, & per scripturas sanctas dilectum suum magis ac magis illo gustu adjuta perquirat. Et hoc est quod sequitur: *Invenerunt me custodes qui custodiunt civitatem.* Dum inquisitione dilecti sponsa solicitatur in custodes civitatis incidit; quia dum sancta mens desiderio sponsi JESU-CHRISTI se affligit, prædicatorum verba in scripturis divinis suscipit, & eis quandiu à

Christo exulat, ejusdem quem quærebat amore intendit. In quibus quid exercitationis inveniat, subjungit. *Percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum.* Custodes percutiunt sponsam & vulnerant: quia prædicatores sancti dum cœlestia loquuntur amantem animam afficiunt, & majori amore sagittant. Pallium tollunt: quia si quid pompæ sæcularis residuum erat in corde, exhortationibus suis ab animo auferunt: Pallium tollunt: quia [1] aliquando ante verba prædicatorum nos non cognoscebamus, ipsique omne quod interius latebat dum loquuntur, detegunt. Quod dum fit amplius diligendi sunt, & ut pro nobis dilecto loquantur devotius exorandi. Quod ait sponsa, dum subjungit: *Adjuro vos filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum meum, ut anuntietis ei; quia amore langueo.* Dum enim sanctis viris cogitationes nostras reseramus; dum eis, sive viventibus nobiscum, sive jam vitam æternam ingressis desiderium nostrum expandimus, & per Deum oramus, ut Domino Christo pro nobis orando offerant desiderium quo afficimur, quid aliud agimus, quàm filias Hierusalem adjuramus, ut dilecto cui nobis proximiores sunt, nuncient, quia amore languemus? Sed & ipsi sancti, si adhuc nobiscum sunt, & oratores suos orant, & qui ut annuncient, orantur, præ humilitate tanquam ignari interrogant, dicentes: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum?* Sed quia quò ardentius diligunt, eò dulcius verba de eo repetunt. Idem ipsum iterum dicunt: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto;*

Nota. De invocatione sanctorum.

1. Cod. *Quia ante verba, & Quod interius nos latebat.*

quia sic adjurasti nos? dilectus ex dilecto sponsus dicitur: ut videlicet per repetitionem dilectionis maximus amor loquentis ostendatur. Vel dilectus ex dilecto bene Christus vocatur: quia si filium diligimus, & patrem ex quo est, consequenter amamus. Respondet sponsa subsequendo, dicens: *Dilectus meus candidus est, & rubicundus, electus ex millibus.* Candidus & rubicundus Christus esse perhibetur: quia nullum omnino peccatum faciens justitiæ pulchritudinem ex integro tenuit, & tamen tanquam peccator esset ad mortis passionem accessit. Cui per prophetam dicitur: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum?* Electus verò est ex millibus: quia ex totius generis humani massa, nullus sine peccato reperitur; ipse vero non solum sine peccato fuit, sed etiam peccatores sua justitia & sanguine redemit. Sequitur. *Caput ejus aurum optimum . . . caput Christi Deus:* quod caput bene aurum dicitur: quia ad comparationem creatoris omnis creatura res vilissima esse perpenditur. *Coma ejus sicut elata palmarum, nigra sicut corvus.* Quid per comas Christi, nisi fideles quosque intelligimus, qui dum fidem trinitatis in mente custodiunt, & Deo adhærentes quod credunt faciunt, quasi in capite pendentes, honorem portanti conferunt? Palma autem in altum valde crescendo proficit, & victoriam significatione sua prætendit. Comæ ergo sicut elatæ palmarum sunt, quia electi quique dum semper ad alta virtutum se efferunt, per Dei gratiam quandoque ad victoriam se perducunt. Nigræ autem sicut corvus existunt: quia quamvis virtutibus in cœlum se erigant,

1. Cor. 11. 3.

semper tamen peccatores se esse cognoscunt. Sequitur: *Oculi ejus sicut columba super rivulos aquarum, qua lacte sunt lota, & resident juxta fluenta plenissima.* Oculi sponsæ sicut columbæ sunt: quia prædicatores Christi qui viam nobis ostendunt, in simplicitate vivunt. Super rivulos autem aquarum esse perhibentur: quia semper in refectione divinarum scripturarum conversantur. Lacte vero sunt lotæ: quia gratia creatricis sapientiæ, tanquam lacte matris, a peccatis per baptismum sunt mundatæ. Quid autem per fluenta plenissima juxta quæ resident intelligimus, nisi sacræ scripturæ profunda & arcana dicta quæ discerpimus, quibus nos reficimus, dum ea legendo vel audiendo haurimus? Ad hoc etiam columbæ juxa fluenta residere solent, ut volantium avium umbram in aqua videant, super quam se projicientes ungues rapacium sic effugiunt; sic sancti viri in scripturâ sanctâ fraudes dæmonum prospiciunt, & ex descriptione quam vident, quasi ex umbra, hostem cognoscunt: Dumque se consiliis scripturæ ex toto addicunt, ut videlicet nihil agant, nisi quod ex responso scripturarum audiunt: quasi in aquam se projicientes hosti illudunt. Quæ fluenta plenissima dicuntur: quia de quibuscumque scrupulis in scripturis consilium quæritur, sine minoratione de omnibus ad plenum invenitur. *Gena ejus sicut areola aromatum consita a pigmentariis.* Si per oculos prædicatores intelliguntur, bene per genas ipsi in Ecclesia figurantur, qui martyrio vitam finisse perhibentur. Dum enim pro fide Christi sanguinem suum fundere non dubitant, quasi genæ in facie sponsi

rubent. Per eos quippe pulchritudo fidei Christianæ publicatur : quia ad quantum fidei præmium tendant ostendunt, dum pro ea moriuntur. Quæ genæ bene sicut areolæ aromatum esse dicuntur : quia dum in constantia fidei martyrio electi exercentur per cultum virtutum sanctæ opinionis fama quasi odore aromatum dilatantur. Sed areolæ a pigmentariis conseruntur : quia martyres sancti, & a præcedentibus predicatoribus ad confessionem roborantur, & a subsequentibus ad imitationis exemplum populis adducuntur. Ab illis qui præcesserunt, pigmenta virtutum coluntur ; ab his vero qui sequuntur, pigmenta exemplorum sumuntur. Unde & sequitur : *Labia illius lilia stillantia myrrham primam*. Quid enim per labia sponsi, nisi ipsos quos dicimus prædicatores Christi intelligimus, qui dum mortes martyrum populis prædicant, quasi myrrham mortificandis carnibus ad condimentum distillant ? quæ myrrha bene prima esse dicitur : quia nullus sic mortificatur, quomodo ille qui pro Christo martyrio finitur. Primam enim dixit, non pro tempore sed pro dignitate. Quid est quod labia sponsi lilia esse dicuntur, nisi quod illi per quos Christus loquitur, necesse est ut mundi sint, & per eos bonus odor aspergatur ? De quibus erat Apostolus Paulus qui dicebat : *bonus odor sumus Deo in omni loco, & in his qui pereunt, & in his qui salvi fiunt*. Sed notandum est quoniam quidquid in Ecclesia justitiæ & fortitudinis habetur, ab ipso Christo per exempla operum illius trahitur. Ideò sequitur : *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ Hyacinthis*. Quid enim per manus Christi desig-

natur, nisi opera sancta quæ in mundo gessit, & quæ nobis imitanda proponuntur? Ipse enim ait: *Qui me diligit, me sequatur* Et Apostolus: *Qui dicit se in Christo manere, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare debet.* Manus vero tornatiles esse perhibentur: quia sancta opera ejus sine impositione iniquitatis ex omni parte in justitia gradiebantur. Quod enim tornatur in rotunditate sui sine obstaculo voluitur. Sic Christi opera in rectitudinis rotunditate voluebantur: quia nulla culpa ei adhærebat, qua minus justitia ejus in rotundum duceretur. Aureæ etiam manus esse dicuntur: quia quidquid exterius inter homines operabatur, interius in divinitatis pulchritudine disponebatur. Quid vero per hyacinthum qui valde pretiosus lapis est, nisi munus retributionis æternæ designatur? Manus ergo sponsi plenæ hyacinthis esse dicuntur: quia quicumque illius opera pio corde imitantur, fœlicitatis æternæ muneribus in retributione ditantur. Unde & idem redemptor ait: *Qui mihi ministrat, me sequatur: & ubi ego sum, illic & minister meus erit.* Sequitur: *Venter eius eburneus distinctus saphyris.* Quid per ventrem nisi mortalitas: Et quid per ebur nisi incorruptio corporis designatur? Ebur quippe valde durabile os habetur, & in ornamenta regum assumitur. Venter ergo Christi rectè eburneus esse dicitur: quia mortalitas Christi ad immortalitatem perducitur, dum per resurrectionem ad gloriam Patris sui, regis videlicet æterni, in vita æterna collocatur. De quo dicitur: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur: mors illi ultra non dominabitur.* Qui verè in ornamenta Regum

1. Ioan. 2.

Ioan. 12.

Rom. 6. b

assumitur: quia quisquis carnis suæ rei & dominus esse probatur, ipsius Christi mortalitate & resurrectione amore cognitionis & spe immortalitatis ornatur: Vnde alibi dicitur: *Qui gloriatur, in domino glorietur.* (1. Cor. 1. d.) Sed venter distinctus saphyris esse perhibetur: quia in nostra corruptione quam portavit, cœlestia opera per miracula quæ faciebat, passionibus nostris inseruit. Saphyrus enim qui aëreum colorem portat, bene cælestia facta quæ in miraculis ostendebantur, designat Venter vero Christi saphyris distinguitur: quia dum inter passiones carnis divina miracula operabatur, quasi incorruptione corruptio variabatur. Quâ dispensatione Apostoli in fide eruditi sunt, & ad passiones tolerandas robusti extiterunt. Ideo sequitur: *crura illius columnæ marmoreæ quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Per crura enim Apostolos intelligimus, per quos universum mundum circuivit, & fidem eis prædicantibus populis audientibus sparsit. (Marc. 16. d.) Quibus ipse in Evangelio ait: *Ite in orbem universum, & prædicate Evangelium omni creaturæ.* Sed crura columnæ marmoreæ esse perhibentur: quia Ecclesiam inflexibiliter sustinent, dum contra omnes adversarios eorum prædicationibus & exemplis roboratur. Super bases autem aureas columnæ fundatæ sunt: quia a Prophetarum dictis, ut fortes persisterent, fidem integram acceperunt. (2. Pet. 1. d.) Unde ipse primus Apostolorum ait: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucernæ ardenti in caliginoso loco.* Ideo enim aureæ dicuntur: quia luce sapientiæ resplendescere sciuntur. Sequitur: *species ejus ut Libani, electus ut cedri.* Libanus quippe mons

est in quo sublimes valde & odoriferæ arbores habentur. Interpretatur autem Libanus dealbatio, sive candidatio: Et de Christo dicit Apostolus Paulus: *Ipse factus est nobis a Deo sapientia, sanctificatio, & justitia:* 1. Cor. 1. Bene ergo species ejus ut Libani existit: Quia per eum credentes dealbantur: cui si adhæremus radicitùs, sublimes efficimur: A cujus gratia etiam bonæ opinionis odorem si quem habemus, accipimus. Electus etiam ut cedri esse dicitur: quia de eo Pater loquitur: *Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Isa. 42. a Cedrus autem excelsa est valde arbor, & odora, & imputribilis. Christus autem excelsior cedris existit: quia quamvis homo sit, tamen Deus esse non desistit. De quo per Isaiam dicitur: *Et sublimis erit valde.* Isa 52. d. Odorus etiam super omnes est Christus: quia ipse de se ipso ait: *Ego*[1] *flos campi, & lilium convallium.* Cant. 2. Et per sponsam ei dicitur: [2] *Curremus in odorem unguentorum tuorum.* Cant. 1. De quo hic bene sequitur. *Guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis.* Per guttur quippe voces transferuntur, & sapores in ventrem hauriuntur. Quid ergo per guttur sponsi, nisi testamentum Christi intelligitur, per quod Christus nobis loquitur, & in quo quàm suavis sit Dominus a fidelibus gustatur? Totus ergo desiderabilis existit: quia per hoc quod de eo bona omnia anima sancta audit, magis ac magis semper eum videre concupiscit. Cujus tot bonis enarratis consequenter concludit sponsa dicens: *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus*

At *Isto* error Typog.
Ed. Carrimati.

meus, filiæ Hierusalem. Sed enumeratis tot laudibus, ostensis tot muneribus, quis audiens non concupiscit, quis intendens non inardescit? Fidelis quippe anima quæque quo dulciora & ampliora de redemptore suo audit, eò ardentius inhiat, & manifestiora de eo cognoscere appetit, dicens: *Quò abiit dilectus tuus o pulcherrima mulierum? quò declinavit tuus, & quæremus eum tecum?* Cum enim proximus proximo de Christo loquitur, cum alter ab altero qualiter inveniatur sciscitatur, quid aliud quàm quomodo quæri debeat, perscrutatur? Quamvis hoc de Synagogâ intelligi valeat, ut aliquando conversam Ecclesia interroget. Cui protinus Ecclesia respondet

---

CAPUT VI.

D*ilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum ut pascatur in hortis, & lilia colligat:* Dilectus in hortum suum ad areolam aromatum descendit: quia Ecclesiam visitans ad eos majori gratia venit, quos sanctis operibus & virtutum exemplis bonæ famæ odorem ex se proximus emittere cognoscit. In hortis pascitur, cum multarum animarum virtutibus delectatur. Lilia colligit, quando perfectos quosque ab hac vitâ succidit. Sed quia sancta Ecclesia in filiis suis fide Christo ita conjungitur, spe suspenditur, charitate conglutinatur, ut nihil extra Christum diligat, & eum sibi familiariter fide & amore inseparabilem teneat, ideo subjungit: *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.* Notandum quippe,

pe, quod synagoga per prædicationem Ecclesiæ ad fidem quandoque convertatur, ita ut se abnegans Christum solum sequatur, & eodem desiderio diligat Christum, quo eum Ecclesia diligit, quem cęteris postpositis solum amat. Quam jam amicam factam, jam sponsam sibi conjunctam sponsus alloquitur congratulans & dicens: *Pulchra es amica mea, suavis, & decora sicut Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Pulchra & amica, suavis & decora sicut Hierusalem synagoga esse perhibetur: quia sancta quatuor Evangelia aliquando conversa sicut Ecclesia sectabitur. Hierusalem quippe visio pacis interpretatur, per quam benè sancta Ecclesia figuratur: quia dum in mundo semper pressuram patitur, viam fastidiens, quæ sit pax patriæ cœlestis currendo contemplatur, confidens in eo qui discipulis suis dicebat: *In mundo quidem pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum.* Ioan. 16. d. Dignè autem Synagoga conversa sicut Hierusalem pulchra, & amica, & suavis, & decora dicitur: quia dum sanctam Ecclesiam imitatur, quatuor Evangeliorum præcepta operatur, a quibus pulchritudinem morum accipit, ut placeat; exercitium sanctæ operationis colligit, ut in amicitia hæreat; suavitatem mansuetudinis discit, ut permaneat; speciem decoræ conversationis ostendit, ut per exemplum trahat. De qua consequenter dicitur: *terribilis ut castrorum acies ordinata.* Notum expertis est, quod milites cum in procinctu contra hostes vadunt, si strictim & concorditer gradiuntur, ab hostibus contra venientibus timentur: quia dum in eis aditum per scissuram

non aspiciunt, qualiter eos penetrent, hæsitantes non inveniunt: illisque hoc impenetrabile munimen efficitur, quod concorditer ordinati seipsis semet-ipsos tuentur. Dum enim de seipsis sibi vallum efficiunt, intrandi ad se aditum hostibus non relinquunt, & ut occidantur appetiti ipsi facilius occidunt. Sic in multitudine fidelium contingit: quæ dum contra malignos spiritus pugnare non desinit, necesse est ut pace charitatis constringatur, quò salva sit. Si enim pacem teneret [1], terribilis hostibus appareret. Si per discordiam scinditur, undique ab hostibus leviter penetratur. Pace se itaque muniat, unitate se vinciat, charitate se uniat: ut dum in seipsa per scissuram damnum non patitur, ducem suum semper exultans sine confusione sequatur. In pace quippe oculus mentis mundatur, ut in ipsam beatitudinis visionem intendatur. Quam nemo sicut est in hac vita conspicit: quia impossibile est patriam tenere, dum in exilio unusquisque nostrum gemit. Ideò sanctæ animæ inardescenti, inhianti, propinquanti sponsus respondet dicens: *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Oculos ad sponsum tendimus, dum intuitum mentis ad videndam Christi beatitudinem aliquantulum aperimus. Sed oculos avertere præcipimur, ne videlicet aspicere eam sicuti est, quantumcumque videamus, arbitremur. Ipsi enim oculi eum avolare fecerunt: quia quò amplius videtur, eo magis invisibilis esse cognoscitur. Et a nobis avolat: quia quantulumcumque ictu mentis apprehensus incomprehensibiliter

1. MS. *tenet &c. apparet.*

super omnem conatum nostrum se exaltatum esse manifestat. [1] Oculis quippe mentis quasi hoc efficitur, ut avolet: quia per hoc tantillum quo videtur, valde longinquus, & avolans a nobis, sicut dictum est, apparet. Sequitur. *Capilli tui sicut Greges caprarum quæ apparuerunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges ovium quæ ascenderunt de lavacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ: absque eo quod intrinsecus latet.* Hæc omnia dicta de Ecclesia, superius ut potuimus, exposuimus. (Suprà, initio c. 4.) Ideo nunc de synagoga eadem replicare devitamus. Unum tamen quod non similiter repetitur: quia ibi sicut fragmen [2] mali punici, hic autem sicut cortex mali punici dicitur. Quo nihil aliud designari puto, nisi sanguinem martyrum qui sub Antichristo morientur; & unitatem fidei sub qua multi Iudæorum stringentur. In cujus constantia dum sanguinis effusionem patientur, fidei tribulatione quasi corticis rubore decorabuntur: Sequitur. *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.* Quid per reginas nisi sanctorum animæ designantur, quæ dum corpora sua prudenter regunt & aliis præsunt, regnum sibi æternum acquirunt? Sunt enim nonnulli in sancta Ecclesia qui carnem suam macerant & propter Deum affligunt, vitia vincunt, dæmones velut tyrannos sibi subjiciunt, omnes motus suos ut ordinatè currant sapienter regunt, aliis prædicant hoc quod ipsi faciunt, multos à faucibus dæmonum gladio verbi pugnantes abstrahunt. Quid hujusmodi animæ ni-

1. Al. *Oculi quippe mentis quasi hoc efficiunt.*
2. Ed. *fragmenta.*

si reginæ existunt, quæ dum regem Christum sponsum suum valde diligunt, amoris commixtione & libidinis execratione regios filios, id est, fideles populos, gignunt? Quibus omnibus Beatus Petrus Apostolus dicebat: *Vos autem estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Sed Reginæ sexaginta esse perhibentur. Denarius quippe numerus per senarium multiplicatus in sexaginta completur. Et quid per denarium nisi decem præcepta legis: Et quid per senarium nisi labor hujus vitæ signatur? Sex enim diebus quod necessarium est operamur, & in septimo quiescere per legem jubemur. Benè ergo sexaginta Reginæ esse dicuntur: quia dum decem præcepta in hoc sæculo operantur, sæculum autem hoc sex diebus operatoriis evoluitur, in eis, quasi per senarium numerum denarius numerus replicatur. Prædicant enim perfecti quique decem præcepta legis, in quorum operatione se exercent in temporalitate hujus corruptionis. Sex igitur decies, vel decem sexies multiplicant: quia universale hoc tempus in explenda decem præcepta legis spiritaliter esse transigendum operibus suis manifestant, & verbo prædicant. Quorum laudem in mundo aliquando reprobi aspiciunt; & ut similiter laudentur, vel aliquod commodum in hac vita quomodocumque adipiscantur, etiam ipsi per semetipsos predicatores fiunt. Dequibus bene subditur: *Et octoginta concubinæ.* Concubinæ quippe non verè, sed fictè dominos diligunt, & ab eis non posteritatem filiorum, sed præsentiam commodorum expetunt; nec continentiâ se exercent, sed libidinem explere concupiscunt. Sic falsi

prædicatores in Ecclesia existunt, quia dum non Christum sed lucrum vel laudem diligunt, non spiritaliter, & castè, sed carnaliter & libidinosè Christo se conjungunt Bene ergo concubinæ vocantur: quia Christum quem prædicant, non spiritu sed carne, sectantur. De quibus Apostolus Paulus dicebat: *Multi enim ambulant quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est.* De quibus idem ipse ait: *Hujusmodi non serviunt Domino Jesu, sed suo ventri.* Quæ tamen concubinæ bene octoginta esse dicuntur: quia etsi toto corde terrena diligunt, cœlestia tamen loquuntur. Octonarium quippe numerum per denarium ducimus, & ad octoginta venimus. Per decem autem decalogus, sicut dictum est, significatur. Per octo vero resurrectio: quia octavo die redemptor noster resurrexisse probatur. Prædicatores vero etsi falsi sunt per desiderium, tamen & scripturam divinam & resurrectionem quam credimus, manifestant per verbum. Si enim aliud prædicarent prædicatores inter Christianos non essent. De quibus in Evangelio veritas ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite.* Sed quia & falsorum & verorum prædicatorum exhortatione plurimi ad fidem veniunt, & cum electis multi intrant, qui ad sortem electorum non pertingunt, ideo subditur: *Et adolescentularum non est numerus.* Cum enim scriptum sit: *Adolescentia, & juventus vana sunt*: Quid per adolescentulas has nisi vagas animas intelligimus, quæ dum vana hujus mundi sectantur quæ di-

Philipp. 3. d.
Rom. 16. c.
Mat. 23. a.

ligunt, numerum electorum excedunt? De quibus per Psalmistam dicitur: *Annunciavi, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum*: Quod enim electorum numerus apud Deum sit constitutus, manifestat Apostolus Paulus qui ait: *Novit Dominus qui sunt ejus*. Et per semet ipsum Dominus ait: *Ego scio quos elegerim*. Quos quia non imperfectè scit, sed perfectè novit, procul dubio, & numerum in quo eliguntur cognoscit: De quibus per Paulum dicitur: *Quos enim præscivit & prædestinavit conformes fieri imagini filij sui*. Bene ergo adolescentularum non est numerus: Quia dum per vanitatem quam diligunt in numerum electorum non currunt, extra remanentes, quasi in cognitionem divinam non veniunt. Quibus ipsa veritas in futuro judicio dictura est: *Nescio vos, discedite a me omnes qui operamini iniquitatem*. Sed dum reprobi mundana quærunt, & per multiplices cupiditates animum diuidunt, sancta quælibet anima in numerum electorum se stringit, multa quæ videt fastidiens, unum quod non videt ardenter appetit, quod quamdiu non tenet in fide se nutrit, in charitate se unit, & dum id quod unum & idipsum est, sequitur, de hujusmodi multis una Ecclesia perficitur. De qua per sponsum dicitur: *Vna est columba mea, perfecta mea una est matri sua, electa gentrici sua*. Mater nostra est regeneratrix gratia, apud quam una columba eligitur: quia illos solos colligit, qui in simplicitate permanent & ab unitate non scinduntnr. Multi quippe fideles dum in idipsum intendunt, dum uno desiderio Christi se invicem nutriunt, dum habentes cor unum &

Psal. 39. — 2. Tim. 2. — Ioan. 13. 6. — Rom. 8. f. — Mat. 25. & Psal. 6.

animam unam in charitate se uniunt, ex multis membris unum corpus efficiunt, omnesque in unitatis simplicitate & [1] unitate viventes, una columba existunt. Quæ sola perfecta & electa genitrici suæ dicitur: quia extra hanc quam dicimus Ecclesiam, nemo ad perfectionem, nemo ad vitam, nisi per hanc solam gratiâ fovente nutritur. De qua bene subditur: *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, reginæ, & concubinæ laudaverunt eam.* Sion filiæ, filiæ sunt Ecclesiæ, quæ dum vitam æternam in hac carne contemplantur, à peregrinante Ecclesia ad regnantem Ecclesiam eriguntur. Vident filiæ Sion columbam, & beatissimam prædicant: quia sanctæ animæ dum virtutes Ecclesiæ spectant, in laudem prorumpunt, & ad ejus beatitudinem inhiant. Sancta quippe Ecclesia gratia genitrice nutritur dum fide eruditur, carne sui sponsi pascitur, sanguine lavatur, scripturâ divinâ saginatur. Hujusmodi robusta nutrimentis dæmones expugnat, vitia suffocat, carnem domat, spiritum roborat, vitam expectat. Hæc omnis quicumque aspicit, rectè in admirationem protinus assurgit, & beatissimam pronuntiat: quia videt ad quantam gloriam per tot virtutes exurgat. Cum reginis eam & concubinæ laudant: quia etsi operibus falsi prædicatores contradicunt, sermonibus tamen eadem quæ & veri, populis ostendunt. De quibus ipsa veritas dicit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Quod apertè manifestat, dum iterum dicit: *Dicunt enim, & non faciunt.* De quibus & per Apostolo-

Mat. 15. a.

Mat. 23. a.

[1] Absunt à cod. hæc verba. *& unitate.*

lum Paulum dicitur: *Dictis confitentur se nosse* Tim. 1. d. *Deum, factis autem negant.* Sancti autem viri dictis & factis Deum confitentur: quia quod credunt, faciunt, & ad bona quæ faciunt, etiam alios sermonibus & exemplis trahunt. Quorum virtutibus adversarii ad fidem excitantur, dum in eis & puritatem fidei, & constantiam operis admirantur. Unde & Synogoga ad fidem erigitur, cum in Ecclesia quæ sint merita fidei admirans contemplatur, dicens: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora?* Ecclesia sancta quasi aurora consurgens in judicio ultimo progreditur: quia relictis tenebris corruptionis, incorruptionis claritate innovatur. Quæ bene ut sol electa dicitur: quia ad eandem gloriam perducitur, ad quam caput ejus Christus qui sol justitiæ esse perhibetur. Unde est quod Joan. 12. d. idem sol ait: *Volo pater ut ubi ego sum, illic & minister meus sit.* Quod tamen & de membris ejusdem Ecclesiæ adhuc in hac carne viventibus intelligi potest. Sunt enim nonnulli qui magna intentione quæ sint tormenta reproborum aspiciunt, & quæ sunt facta sua sine palpatione examinare contendunt, dumque se peccasse cognoscunt, & per hoc ire ad reproborum tormenta pertimescunt, subito tenebras iniquitatis derelinquunt, & luce justitiæ accendi concupiscunt, mox ad sanctam operationem consurgunt, & per bona quæ faciunt, clarere quibusque proximis incipiunt. Hi procul dubiò velut aurora consurgentes progrediuntur: quia subitò noctem peccati evacuantes, ad lucem magis ac magis dilatantur. Sic anima quæ prius erat in tenebris nunc splendens apparet, & quæ

etiam in ſemetipſa obſcurabatur, nunc aliis lumine ſanctæ operationis reſplendet. De qua bene ſubditur: *Pulchra ut luna, electa ut ſol.* Luna quippe dum noctem illuminat, caligantibus oculis iter per quod homo gradiatur demonſtrat: ſic nimirum quæque anima quæ tenebras dimitit & in ſanctam operationem ſe extendit, dum exemplum bene operandi tribuit proximis, quaſi lucem tenebreſcentibus oculis ſpargit. Dum enim peccantes quique bonum opus aſpiciunt, & ad idem faciendum ſe convertunt, quaſi errantes in nocte per lumen lunæ ad viam redeunt. Hæc itaque anima dum peccantibus bona exempla præbet, quaſi luna in nocte lucet. Dum vero magis ac magis creſcit, & de die in diem per conſuetudinem operis lumen juſtitiæ tam perfectè accipit, ut etiam bonis exempla imitationis præbeat. Quę prius ſolis peccatoribus imitanda apparebat, profectò jam luna ſol efficitur: quia quæ in nocte errantibus nunc lucebat, modò in die ambulantibus lumen veritatis manifeſtat. Hinc eſt quod ſequitur. *electa ut ſol*: De quâ bene ſubditur: *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*: Hoc quia jam dictum eſt, iterum non neceſſe eſt exponi, ne ſic videatur faſtidium generari. Sequitur ergo ſponſus, & cauſam dicit unde tanta virtus in Eccleſia excreſcere poſſit. Viſitatione quippe Chriſti renovatur, & quod in ea tenebroſum eſt reſpectione ejus illuminatur. Et hinc eſt quod ſubdens, ait. *Deſcendi in hortum nucum ut viderem poma convallium.* Quid per nuces niſi perfectos quoſque intelligimus, qui dum divinam ſapientiam intra corpora

ſua retinent, quaſi nucleum in fragili teſta portant. Sunt enim quàm plures in Eccleſia qui aſſiduè divinæ ſcripturæ intendunt, quàm ſuavis ſit Dominus guſtantes, amplius guſtare concupiſcunt, ſancta gaudia in corde ruminant, & ruminantes magis convaleſcunt; & tamen foris neſcientibus eos, viles apparent: quia ignoratur quàm dulcem in ſuis interioribus cibum portent. Quid iſti niſi nuces exiſtunt, qui nuclei dulcedinem intus ferunt, exterius vero carnis vilitatem prætendunt? De quibus erat Apoſtolus qui dicebat: *Habe-*
2. Cor. 4. a. *mus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Hortus igitur nucum corda ſunt ſanctorum, qui dum
Pſal. 30. Deum valde diligunt, cœleſtem dulcedinem in intimis gerunt. Unde in Pſalmo ſcriptum eſt: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Sed quid eſt quod in hortum nucum ſponſus deſcendit, ut poma videat, cum potius nuces videre debeat? Verumtamen ſciendum eſt, quod maximè corda perfectorum viſitat, eiſque benignitatis ſuæ ſuavitatem manifeſtat, ut per eos ad infirmiores poſtmodum veniat, & quantùm in augmentum juſtitiæ profecerit, per illos cognoſcat. Unde ſcriptum eſt: *Do-*
Pſal. 30. *minus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.* Dum enim divina bonitas corda perfectorum illuſtrat, eoſque ad curam proximorum per charitatis ſolicitudinem inſtigat, quid hoc eſt aliud, niſi quod ad hortum veniens poma convallis per illos quibus præſidet proſpectat? Tunc enim Dominus videre vel cognoſcere dicitur, cum ſanctos ſuos quos illuſtrat, ad videndum exhortatur. Sed quid eſt quod non poma montis, ſed poma convallis ut

videat descendit; nisi quod illis respectum suæ miserationis tribuit, quos in humilitate persistere cognoscit? De quo per Psalmistam dicitur: *Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Psal. 137. Et ipse Dominus per semetipsum ex voce Prophetæ dicit: *Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos?* Isa 66. a. Sequitur autem sponsus, & dicit: *Et inspicerem si floruissent vineæ, & germinassent mala punica.* Vineæ florent quando in Ecclesia filii recenter in fide generantur, & ad sanctam conversationem quasi ad fructus soliditatem, præparantur. Mala punica germinant, quando perfecti quique per exempla sua proximos ædificant, & in novitatem sanctæ conversationis per prędicationem & bonorum operum ostensionem invitant. Illud quippe malum punicum, videlicet Apostolus Paulus germinaverat, qui dicebat: *Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Gal. 4. c. Sic etenim in sancta Ecclesia agitur, ut per bonos mali convertantur, per perfectos imperfecti nutriantur, donec & ipsi ad perfectionem veniant, & infirmos quosque sicut ipsi perducti sunt, ad meliora perducant. Hoc Christus Ecclesiæ sponsus, visitando perficit, respiciendo corpus sanctum conjungit: quia ideo corpus infirmitatis assumpsisse cognoscitur, ut in corpus suæ claritatis tota simul Ecclesia transformetur. Unde Beatus Paulus ait: *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Philip. 3. d. Hæc omnia in fine mundi Synagoga tandem excitata percipiet, & se tamdiu hæc ignorasse reprehendet, dicens: *Nescivi, anima mea conturbavit me propter*

quadrigas Aminadab. Ac si diceret : tot virtutes in sancta Ecclesia fieri videns. Quare in tanto tempore non percepi ? Quare incredula perstiti ? Cur tamdiu per infidelitatem meam in tenebris ignorantiæ remansi ? Sed propter quadrigas Aminadab conturbatur : quia quandoque per Christi prædicationem ad fidem suscipiendam excitatur. Aminadab enim spontaneus populi mei interpretatur , & bene procul dubiò Christus Jesus à Patre spontaneus populi mei dicitur : Quia verè spontanea charitate ad populum salvandum descendit , & ut nos à morte relevaret pia voluntate & benigna gratia mortem in cruce suscepit.
Psal. 5. Unde & ipse ad patrem ait : *Voluntarie sacrificabo tibi :* Et unus ex redemptis ad Christum lo-
Psal. 68. quens, ajebat : *Exaudi me Domine , quoniam benigna est misericordia tua.* Propter quadrigas ergo Aminadab synagoga conturbatur : [1] quia quando tandem quatuor Christi Evangelia in mundo currentia , in cordibus hominum ferventia per fidem contemplatur , mox de infidelitatis suæ tenebris confunditur,& oborta confusione salubri ad pœnitentiam commovetur. Cui Ecclesia benignè loquitur, dicens: *Revertere, revertere Sunamitis; revertere, revertere ut intueamur te.* [1] Sunamitis quippe captiva interpretatur. Sunamitis ergo ut revertatur, vocatur : quia synagogæ in fine mundi fides ab Ecclesia auferetur , ut dignitatem pristinam recipiat , quæ sub infidelitatis jugo à dæmonibus captivatur. Et benè quater reverti admonetur : quia in quatuor mundi partes modo Judæi disper-

1. MS. *Quia quandoque tandem quatuor Christi Evangelia in mundo currentia in cordibus hominum confusione salubri ad pænitentiam commoventur :* melius ed.

ti sunt : qui ubicumque fuerint , ut dictum est, in fine convertentur , sicut prædictum est per Prophetam : *Si fuerit numerus filiorum Israël velut arena maris , reliquiæ salvæ fient.* Revertatur ergo Sunamitis ut eam intueamur, id est, synagoga ad fidem [1] convertatur, ut in pœnitentia sua omnibus ostendat , quantum malum fecerit, quando Deum suum in cruce configebat. Sed protinus cum Ecclesia fidem synagogæ intueri appetit, sponsus congratulando quasi interrogans respondet , & dicit. Isa. 10. c. Rom. 9. f.

1. Al. Finem utrumque verum est.

CAPUT VII.

Quid videbis in Sunamite , nisi choros castrorum? Castra quippe militantium sunt. Castra ergo in Sunamite videbuntur : quia pro fide quam modo impugnat , tunc robustè contra infideles præliabitur. Sed quia hoc per sanctam Ecclesiam fiet ut synagoga convertatur , quia sermonibus & exemplis prædicatorum ad fidem convertetur, ideo rectè ad laudem sponsæ sponsus se convertit, dicens : *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis.* Filia principis sancta Ecclesia dicitur : quia prędicatione Christi in vitam novam regeneratur , qui per divinitatis potentiam omni creaturæ quam condidit, principatur. Quid autem sunt calceamenta Ecclesiæ, nisi exempla præcedentium Patrum , quibus in via mundi hujus munitur , ut per omnes tribulationes quæ exurgunt confidenter calceata gradia-

Ephes. 6. c. tur? Unde alibi prædicatoribus Paulus dicit: *Calceati pedes in præparationem Evangelii pacis.* Calceamenta quippe de mortuis animalibus fiunt: Et nos pedes spiritualiter calceamus, quando à Patribus sanctis carne mortuis exempla sumimus, ut ad eorum similitudinem mundi hujus tentationes expugnemus. Potest tamen intelligi quod Ecclesia calceatur, quando in prædicatione sua ad perferenda insurgentia mala, morte Christi munitur. Pulchri ergo sunt sponsæ gressus calceatæ, quæ filia est principis: quia coram divinis oculis placet officium cujuslibet electi secundum exempla Patrum prædicantis. Sequitur: *Junctura femorum tuorum sicut monilia.* Per duo femora sponsæ, duo populi Ecclesiæ: Per juncturam femorum, concordia designatur prædicatorum, quibus populi uniuntur, dum ad fidem Catholicam circumcisio & præputium per eos erudiuntur. Qui ut monilia existunt: quia dum in sapientia qua refulgent, sancta opera faciunt, quasi in auro lapides gerunt. De quibus sequitur: *Quæ fabricata sunt manu artificis.* Manu artificis monilia fabricantur: quia opere Christi prædicatores pulchri & utiles efficiuntur. Sequitur: *Umbilicus tuus crater tornatilis numquam indigens poculis.* Umbilicus etiam sanctorum prædicatorum ordo est, qui bene crater esse dicitur; quia dum per eos populus eruditur, vino spirituali ipsorum officio debriatur. Qui bene tornatilis nuncupatur: quia juxta mores hominum universos, necesse est ut lingua prædicatoris volvatur. Qui poculis non indiget: quia quod aliis propinat, necesse est ut abundantius cæteris bibat, & plenius quod dat contineat. Sequitur: *Venter tuus sicut acervus*

tritici, vallatus liliis. Per ventrem populi latitudo designatur. Qui bene sicut acervus tritici liliis vallatur: quia dum operibus sanctis intendens in cœleste horreum præparatur, exemplis sanctorum ut perseveret undique munitur. De quibus iterum dicitur: *Duo ubera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli.* Duo ubera, duo populi existunt: quia dum in amore fraterno semper vivunt, se invicem lacte pietatis in charitate nutriunt. Qui bene duo hinnuli capreæ gemelli nominantur: quia dum per prædicationem synagogæ in fide geniti ejus scripturis nutriuntur, [1] in æternitatis spem intendentes, quasi in montibus pascuntur concordes. De quibus prędicatoribus sequitur: *Collum tuum sicut turris eburnea.* Collum sponsæ sicut turris eburnea dicitur: quia prædicatores Ecclesiæ, & alti per contemplationem, & fortes per sanctorum operum exercitationem, & pretiosi per divinam sapientiam habentur. De quibus iterum dicitur: *Oculi tui sicut piscinæ in Esebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Esebon cingulum mœroris interpretatur. Oculi ergo sponsæ sicut piscinæ in Esebon dicuntur: quia dum de peregrinatione sua contristantur, & mœrore corroborati, contra spiritales hostes accinguntur, lacrymis se lavant, ut per eos populi convenienter coram Deo mundentur. In porta autem filiæ multitudinis sunt: quia fide stant, per quam Ecclesiæ multitudinem ad cœlestia introducunt. Sequitur: *Nasus tuus sicut turris Libani quæ respicit contra Damascum.* In naso odoris discretio habetur. Per nasum ergo discretio prædicatorum designatur: quia per eos nobis virtutum odores & vitiorum

1. Ed. *In spe æternitatis.*

fœtores demonstrantur. Sed nasus sicut turris Libani existit: quia dum semel prædicatores aqua baptismatis lavantur, & quotidianis lacrymis à peccatis quæ contra Deum commiserunt dealbantur, digni fiunt ut ad altiora magis ac magis per fortitudinem erigantur. Sed turris contra Damascum respicit: quia peccatoribus semper sanctus quilibet prædicator contradicit. Damascus quippe sanguineus interpretatur; & peccatrici
Isa. 1. d. genti dicitur: *Manus tuæ plenæ sunt sanguine.* Sed quia de membris dixit, dignum est, ut de capite loquatur. Ideo subditur: *Caput tuum, ut Carmelus: Et coma capitis tui, ut purpura regis juncta canalibus.* Caput Ecclesiæ Christus, qui bene ut Carmelus dicitur: quia ipse per passionem quam sustinuit ad gloriam patris est exaltatus. De quo scriptum est: *Et erit novissimis diebus præparatus*
Isa. 2. a. *mons domus Domini in vertice montium.* In carmelo quippe Elias orans obtinuit pluviam: Et nos in Carmelo orantes pluviam impetramus,
3. Reg. 18. f. quando in Christum credentes Christum desideramus; & à patre [1] irrigationem gratiæ suscipimus, quam rogamus. Moraliter autem caput sponsæ mens vocatur: Quia sicut à capite membra, sic à mente omnes cogitatus nostri disponuntur. Carmelus autem scientia circumcisionis interpretatur. Caput ergo sponsæ, ut Carmelus esse perhibetur: quia quælibet sancta mens novit qualiter dignè circumcidatur: Novit quia nihil est quidquid in corpore agitur, si mens munda [2] fuerit,

1. Ed. *Irrogationem.*

2. MS. *Munda*: Acceptabilis lectio, cum infra pharisæorum mentio fit: *Quod quia Pharisæi non agebant, &c. mundi quippe corpore, ac immundi mente.*

rit, quæ templum Christi si efficitur, ab ipso inhabitatur. Quod quia Pharisæi non agebant, ideo dicebat beatus Stephanus eis qui eum occidebant: *Dura cervice, & incircuncisis cordibus & auribus, vos semper restitistis Spiritui sancto.* Act. 7. f. Comæ autem capitis ejus, ut purpura regis juncta canalibus esse memorantur. Purpura quippe per fasciculos in canalibus ligatur, super quos dum aqua projicitur, per canales ad vestem quę supposita est currit, ut vestis tingatur; & inde nomen accipitur, tincta colore purpureo purpura vocetur. Quæ omnia sanctæ menti congruunt, si intelligantur. Comæ quippe capitis sunt cogitationes mentis, quæ in canalibus ligantur: quia in scripturis divinis ne inutiliter fluant stringuntur. Super quas aqua projicitur quæ vestem regiam currens tingit: quia dum cogitationibus sanctæ mentis gratia cœlestis suscipitur, totam animam in cœleste ornamentum componit: ita ut jam tota anima in vitam æternam inardescat, & ad ęternum sponsum etiam per sanguinem martyrii pergere concupiscat. De tota quippe Ecclesia Paulus dicit: *Qui inbibuit sibi Ecclesiam vestem sine macula, & ruga.* Ephes. 5. f. Isa. 49. c. Et de singulis Ecclesiæ fidelibus dicitur: *His omnibus velut ornamento vestieris.* Sic tinctæ ergo, sic pulchræ, sic purpureæ factæ sponsæ adgaudens sponsus loquitur, Dicens: *Quàm pulchra es, & quam decora charissima in deliciis.* Notandum quod charissima in deliciis dicitur: quia ad charitatem & familiaritatem Christi non pervenit, quisquis scripturæ sanctæ deliciis abundare non contendit. Inde enim dicitur: *Omni habenti dabitur & abundabit: ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab* Matt. 13. b.

eo. His enim deliciis qui abundat reficitur: his refectus assiduè ad majora percipienda præparatur. Unde & huic sponsæ charissimæ dicitur: *Statura tua assimilata est palmæ, & ubera tua botris.* Palma quippe dum crescit deorsum stringitur, & sursum dilatatur. Sic sancta anima ab imis ad minima incipit, & paulatim ad majora crescendo usque ad amplitudinem perfectæ charitatis pervenit. *Nemo enim*, sicut scriptum est, *repente fit summus.* In Psalmo autem de justo homine dicitur: *Iustus ut palma florebit*: Ubera autem sponsæ duo præcepta charitatis existunt: quæ animam quam possident, vino cœlesti inebriant, & nutriunt. Potest tamen per palmam crux Christi intelligi. Palma enim in sublime valde crescens dulcissimos fructus gignit: Et crux Christi cœlestem cibum nobis præparavit. Cui statura sponsæ assimilatur: quia pro Christo mori non dubitat, quisquis Christum valde diligens dignè imitatur. De palma sequitur sponsus dicens: *Dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus.* Dixit vere, & ascendit: quia sicut ante sæcula pro morte nostra mori disposuit, sic in fine mundi propitius & verax adimplevit. In palmam ergo ascendit, & fructus ejus apprehendit: quia in cruce suspensus fructum vitę invenit, ac apprehendit, & nobis tribuit. Unde ad impletum est quod sequitur: *Et erunt ubera tua sicut botri vineæ.* Vere per crucem ubera sponsæ sicut botri vineæ existunt: quia in morte Christi duo præcepta charitatis sensus animæ susceperunt, quibus pasta anima debrietur, debriata posteriora obliviscatur, & in anteriora extendatur. His uberibus etiam proximos quos-

Psal. 91.

que [1] nutrit, ac roboratos secum ad ea quæ concupiscit perducit. Unde scriptum est: *Et odor oris tui sicut malorum.* Mala punica de quibus superius tam sæpe dictum est hic rememorantur, quorum odori odor oris sponsæ bene satis assimilatur. Per mala autem punica martyres designari superius diximus. Per os autem sponsæ hic debere intelligi ejus prædicationem putamus, quæ dum virtutes martyrum prædicat, dum ad eorum similitudinem animos audientium instigat, dum in unius prædicatione fidei multas virtutes esse manifestat: quid aliud quam malorum odorem in ore portat? Quia & ruborem corticis in martyrio ostendit, quod prædicat, & in virtutibus multitudinem granorum sub eadem fide, quasi sub eodem cortice, demonstrat. De quo & subditur: *Guttur tuum quasi vinum optimum.* In gutture quippe vox est. Per guttur ergo ipsa prædicatio iterum designatur, quæ quasi vinum optimum esse dicitur: quia mentes hominum inebriat ut præteritorum, sicut dictum est, obliviscantur, & in anteriora currentes non lassentur. De quo sponsa verbum de ore sponsi suscipiens, adjungit: *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum.* Tale est sponsæ vinum, ut dignum sit dilecto ad potandum: quia dum ad sancta opera excitat, dum solum Christum diligere, imitari, amplecti, bonum esse verbis & operibus demonstrat: quid aliud quam vinum suum dignum facit, ut in ore sponsi dulce sapiat? Quod bene Christus potare dicitur: quia à corpore suo, id est à populis fidelibus, ama-

Apoc. 22. b. — Supra. c. 4. ad fine.

1. Cód. nihil habet: at ed. *quoque*, nos, *quosque* reposuimus.

biliter potatur. De quo notandum est quod omnes potant, sed labia sola, & soli dentes ruminant: quia dum Ecclesia per sanctos suos prædicat; omnes quidem audiunt, sed non omnes quanta sit virtus sententiarum quæ dicuntur, discernunt. Labia vero & dentes ruminant: quia dum perfectiores quique post auditum verba ad memoriam revocant, dum audita quæque exercitatione assidua cogitant, quasi ad os revocantes quòd [1] sumpserunt, quanta sit virtus cibi quem comederunt, sentiunt. Idcircò in lege scribitur, quia animal quod non ruminat immundum habetur: quia quisquis bona quæ audit sivè legit non recogitat, vacans à sanctis cogitationibus, necessariò immundas congregat. Sequitur sponsa, & dicit: *Ego dilecto meo, & ad me conversio eius.* Ac si diceret: quoniam fide ac dilectione Christo soli adhæreo, solum sequor, solùm cum Patre & Spiritu sancto unum Deum videre concupisco, respectionis ejus suavitatem, visitationis benignitatem, conversationis dulcedinem gaudenter experiens proclamo: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas; videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica.* Dum sponsa sponsi dulcedinem experta se reficit, de proximo etiam cogitat, quem ipsius sponsi præcepto sicut se diligit. Et quia sponsi præcepta vel secreta intelligit, etiam ut alij intelligant, concupiscit, dicens: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum.* Ager quippe, teste veritate, est hic mundus. In agrum vero cum sponsa sponsus egreditur,

[1] *Al. quos.*

quando Verbum Dei carne suscepta in thalamo virginis mundo monstratur. In villis commoratur, quando gentes per fidem visitat quam recipientibus largitur. Mane ad vineas surgit; quia post resurrectionem suam in gloria patris sedens, Ecclesias quas construit, etiam defendit. Si floruit vinea conspicit: quia omnem profectum Ecclesiæ districto examine perpendit. Videt si flores fructus parturiunt: quia perspicit ad quem profectum teneri quique & imperfecti exerscunt. Videt etiam si floruerunt mala punica: quia perfectos quosque respicit; & quid vtilitatis in proximis habeant, quasi in floribus fructum arborum cognoscit. De quibus bene sequitur: *Ibi dabo tibi ubera mea.* In malis punicis dat sponso sponsa ubera: quia in perfectis vivit charitas gemina, ex qua dum infirma membra in Ecclesia nutriunt, quasi Christum lactant, quem in minimis suis esse præsentem cognoscunt. De quibus bene subditur: *Mandragora dederunt odorem suum in portis nostris.* Quid per mandragoras herbam scilicet medicinalem & odoriferam, nisi virtus perfectorum intelligitur? Per quam perfecti quique dum imperfectorum infirmitatibus medentur, in fide quam prædicant, id est in portis Ecclesiæ, veri medici esse comprobantur. Qui dum exempla bonorum operum circumquaque per sanctam famam tribuunt, quasi odorem, quo ægroti sanentur, aspergunt. Sequitur. *Omnia poma nova & vetera, dilecte mi, servavi tibi.* Hic per poma sensus scripturarum sanctarum intelliguntur, quæ dum ex patribus sanctis ad nos usque perveniunt & creduntur,

quasi ex arboribus poma exurgunt quibus animæ delectantur. Omnia ergo poma nova & vetera dilecto suo sponsa servat: quia sic Novum Testamentum Ecclesia Catholica recipit, ut vetus non abjiciat. Sic vetus veneratur,[1] ut novum semper in ipsis sacrificiis carnalibus per spiritum intelligat: In novo scilicet Christum venisse congaudens, in veteri autem[2] semper venturum expectans, & dicens.

A l *Veneratus.*
MS. *Ad se perventurum.*

CAPUT VIII.

QUis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te solum foris, & deosculer, & jam me nemo despiciat? In veteri lege Ecclesia posita Christum exoptabat, & expectabat, & in secreto patris manentem foras venire per carnem ad humanos oculos non mediocriter cupiebat. Unde & David desiderans dicebat: *Exurge & ne repellas in finem.* Et alibi: *Inclina cælos tuos, & descende.* Et Isaias valde cupiens eum videre dicebat: *Utinam disrumperes cœlos, & descenderes.* Vult ergo sponsum foris sponsa invenire; & deosculari: quia concupiscit sub lege posita ut per carnem appareat, ut ei per amorem serviat, cui prius non accepta gratiâ, plus timore quàm amore serviebat. Post cujus osculum jam à nemine despicitur: quia postquam Christus venit, & fidelibus suis spiritum libertatis infudit,

Psal. 41.
Psal. 143.
Isai. 64. 2.

ab ipſis etiam Angelis Eccleſia honoratur. Hinc eſt quod Joſue Angelum adoravit, Joanni verò volenti ſe adorare dixit: *Vide ne feceris, conſervus tuus ſum, & unus fratrum tuorum habentium teſtimonium Ieſu.* Sed quia venientem Eccleſia ſuſcepit, Synagoga repulit, iterum eum in fine mundi ſuſcipiet & amabit, ideo ſubſequitur Eccleſia, & dicit: *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, in cubiculum genitricis meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino conditum, & muſtum malorum granatorum meorum.* Apprehenſum in domum matris ſuæ ducit: quia Synagogæ in fine mundi Chriſtum in quem credit, prædicabit. Dumque per prædicationem Eccleſiæ ſuſceptus fuerit, ibi Eccleſiam docebit: quia ſe doceri gaudebit, quando ſynagogam jam idem corpus factam erudiri ſecum videbit. Poculum ex vino conditum Eccleſia dabit: quia ipſi ſynagogæ novum Teſtamentum cum veteri prædicabit. Et quaſi vino poculum condiet: quia dulcedinem Evangelij teſtimoniis legis quæ aſpera eſt, ut robuſtius teneatur, cinget. Muſtum verò granatorum ſuorum tribuet. Quia fortium virorum qui unitatem Eccleſiæ etiam in martyrio tenuerunt exempla apponet, ut ad eorum ſimilitudinem ſynagoga inardeſcat, & Antichriſti perſecutionibus, martyrum præcedentium exemplis roborata, non ſuccumbat. Cum enim fortium pugnatorum victorias audiet, ad eorum imitationem pugnam ſubire non dubitabit. Quod apertè manifeſtat cum ſubjungit: *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Læva Chriſti, vita præſens: dextera vero vita

Ioſue. 5. d.
Apoc. 22. b.
Supra cap. 2. circa princ.

beata habetur: Caput autem nostrum spiritualiter mens esse perhibetur. Dicit ergo synagoga prædicationibus Ecclesiæ jam conversa, exemplis roborata, imitatione sublevata: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Ac si diceret: quoniam nunc tandem Christi fidem teneo, ejus inæstimabilem gratiam experior concupiscibilem, & quam desiderare nesciebam dulcedinem sentio. Jam terrena omnia postpono, etiã ipsam vitam carnis pro ejus amore contemno, & ad ejus beatitudinem videndam totis desideriis anhelo. Hoc quippe quod rem quamlibet amplectitur, ipsam quam amplectitur rem ex omni parte intra se habere non ignoratur. Læva ergo sub capite est, & dextera amplexatur; quando sancta anima menti ea quæ videt supponit, & ea quæ non videt, omni conatu, & universis suis cogitationibus appetit. Sunt quippe modo nonnulli qui tanto desiderio cœlestia sectantur, ut omnia visibilia pro nihilo reputent, mentem suam cœlestibus studiis sine intermissione occupent, ut nihil aliud agere libeat; quidquid extra spiritalem actionem est, animus fastidiat, hanc solam diligat, cætera contemnat; nisi forte ea isti necessaria esse cognoscat. Isti verò sub capite lævam habent, qui mente erecta ad beatitudinem Christi currentes vitam præsentem sub se vident, & dextera Christi eos amplexatur: quia ex omni parte eos dilectio cœlestis intra se retinens tuetur. Hujusmodi quippe viri sancto otio delectantur, in quo vitæ beatæ delectatione concupiscibiliter per contemplationem perfruuntur. In qua contempla-

tione oculum cordis mundant, ut Deum adhuc etiam in hac carne positi, quantum humanæ infirmitati datum est, videant; cujus visione se illuminent, suavitate reficiant. Isti illam beatitudinem jam aliquantulum experiuntur, de qua in Evangelio veritatis voce dicitur: *Beati mundo corde.* Mat. 5. a. Quod enim futurum est, jam in eis incipit compleri: quia etsi in hoc mundo adhuc in carne vivunt, jam tamen per hoc quod majus est in eis, extra carnem sunt. In his impletur quod per Psalmistam divinâ voce præcipitur. *Vacate, & videte quoniam ego sum Deus.* Psa. 45. Hi enim quò sine mundi strepitu vivunt, eò mentem in Dei visionem per desiderium & contemplationem figunt. Et quoniam tales multi ex synagoga in fine mundi, ut credimus, per conversationem erunt, bene ad hujusmodi dictum intelligitur: *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* De quibus, & pro quibus sponsus loquitur consequenter. *Adjuro vos filiæ Hierusalem ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Suprac. 2. ad princ. Sed quia jam illud superius exposuimus, iterum exponere recusamus. Sed de eadem synagoga jam facta Ecclesia filię Hierusalem admirantes interrogant, & dicunt: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* Sancta Ecclesia, vel quælibet sancta anima de deserto ascendit: quia in exilio hujus peregrinationis posita, ad cœlestia gaudia mente & cogitatibus tendit. Unde & Paulus dicebat: *Nostra conversatio in cœlis est.* Phil. 3. p. Deliciis affluit: quia Sanctæ Scripturæ meditationibus intendens, cælestis pabulo assiduè mentem pascit. Super di-

lectum innititur: quia in solius Christi auxilio confidens, eo largiente ab exilio ad patriam transfertur. Ipsa quippe veritas omnibus fidelibus ait: *Sine me nihil potestis facere.* Unde vero acceperit, ut ab infimis ad superiora, à deserto ad regnum ascendere possit, manifestat dilectus cum subdit: *Sub arbore malo suscitavi te.* Quid per arborem malum, nisi sancta crux designatur? Quæ malum illud sustinuit, de quo eadem sponsa in superioribus dicit: *Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* Sed sponsam suam Christus sub arbore malo suscitavit: quia in cruce positus subditam sibi Ecclesiam ad vitam vocavit, ut à somno mortis resurgeret, & cum illo se crucifigens ad novam resurrectionem præpararet. Unde & Apostolus cuivis animæ mortuæ dicit: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Et quibusdam qui jam surrexerant alibi dixit: *Si consurrexistis cum Christo quæ sursum sunt quærite.* Sed quia infidelitas synagogæ Christum crucifixit, ideo sequitur: *Ibi corrupta est mater tua.* Sub arbore malo mater Ecclesiæ corrupta esse dicitur: quia quando Salvatorem suum in ligno fixit, nefando scelere se corrupit. Cujus sceleris magnitudinem inculcat, cum idem replicat, dicens: *Ibi violata est genitrix tua.* Sed quoniam ad hoc cœcitas in Israël facta est, ut plenitudo gentium intraret, ideo intranti Ecclesiæ dicitur: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* In corde sunt cogitationes, & in brachio operationes. Super cor ergo, & super brachium sponsę dilectus ut signaculum ponitur: quia in sancta anima quantùm ab ea diligatur, &

Joan. 15. a.
Cant. 2. a.
Ephes. 5. c.
Colo. 3. a.
Rom. 11. c.

voluntate, & actione designatur. Signum quippe sancta mens interius & exterius Christum portat: quia dum in ejus meditationibus assiduè laborat, in exteriori actione eum imitari non cessat, quò ejus dilecta esse dubitari non debeat. De quo signo ipse sponsus discipulis suis aiebat: *In hoc cognoscent omnes, quia verè mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Ioan. 13. d. De qua dilectione mox subditur: *Quia fortis est ut mors dilectio.* Bene procul dubiò fortis ut mors dilectio esse perhibetur: quia dum per dilectionem à vitiis mortificamur, quod mors agit in sensibus corporis; hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli qui sic diligunt Deum ut omnia visibilia negligant, & dum in æterna mentè tendunt, ad omnia temporalia penè insensibiles fiunt. In his nimirum ut mors dilectio fortis existit: quia sicut mors exteriores corporis sensus ab omni proprio & naturali appetitu interficit; sic dilectio in talibus viris omnia terrena desideria contemnere, mentem aliis intentam, compellit. Hujusmodi mortuis & vivis dicebat Apostolus: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Colos. 3. a. Hi procul dubiò vitam suam cum Christo abscondunt: quia dum omnia quæ videmus postponunt, in his quæ non videmus, in beatitudine scilicet Christi, veraciter & secretè vivunt. Quia enim falsam vitam despiciunt quæ visibiliter apparet, in vera vita se abscondunt quæ non nisi invisibilibus oculis se manifestat. Potest tamen intelligi ut hoc de seipso Christus dicat, inquiens: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio.* Ac si

diceret. Dignum est ut in mente & actione signum dilectionis meæ meipsum tecum feras: quia in fortitudine dilectionis tuæ mortem subii, ut tu quæ mortua in infidelitate eras, mecum resurgens in fidei novitate spiritaliter vivas. Sed quia in cruce suspensus nequaquam fuisset, nisi ad magnam invidiam cor Synagogæ exarsisset, ideo subditur: *Dura, ut infernus, æmulatio.* Æmulatio quippe, & in bonum, & in malum accipitur. In bonum enim accipitur, sicut per Apostolum dicitur:
1. Cor. 12. d. *Æmulamini charismata meliora.* In malum autem assumitur, ubi per Samuelem Sauli dicitur: *Au-*
1. Reg. 28. c. *feretur à te regnum, & dabitur æmulo tuo.* Æmulus quippe ejus David dicitur, cui Saul invidere non ignoratur. Dura est ergo ut infernus æmulatio: quia dum Synagoga Christum ad inferos posse transmittere se putavit, ei usque ad mortem corde immisericordi invidit. Ut infernus æmulatio dura extitit: quia sicut infernus sine misericordiâ quos tenet, cruciat; sic Judaïca plebs Christum apprehendens, sine respectu pietatis ad mortem trahebat. De qua bene subditur: *Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.* Sicut enim ignis quæ incendit, consumit; sic Judæos ab omni fidei virtute invidia sua destruxit. De quibus bene alibi dicitur: *Et nunc ignis adversarios consumit.* Ac si diceretur: Antequam ad æternum ignem veniant in præsenti consumuntur: quia in seipsis [1] ignem invidiæ portant qui sine combustione non portatur. Hic ignis invidiæ flammas protulit, quando per exempla in quibus accensus est, etiam in gentilibus usque ad Christiano-

1. Al omnino corrupta lectio sic habebat: *In se ipsi ignem invidiæ portantis combustione non portatur.*

rum martyria per mundum universum excrevit. Sed quia hinc ignis invidiæ, hinc ignis charitatis se extulit, ideo subditur: *Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Charitate quippe martyres sancti vivaciter ardebant: quia in Dei & proximi dilectione mirabiliter flagrabant. Hanc charitatem aquæ multæ extinguere non poterant: quia quantæcumque tribulationes eis fierent, ad odium eos transmutare [1] non valebant. Hoc nimirum esset charitatem extinguere, si in tribulationibus quas ingerebant, ad Dei aut proximi odium eos humiliare potuissent. Sed cum aquæ dictę sint: quid rursum per flumina, nisi aquarum ipsarum incrementa, & vivacitas intelligitur? Flumina quippe vivas aquas solere dici cognoscimus. Flumina ergo maximas tribulationes accipimus, quæ dum per totum orbem super martyres ebullierunt, ad extinguendum charitatis ignem grandi impetu confluxerunt. Sed quia inter flumina adeò charitatis [2] vigor vixit, ut potius flumina consumeret, quam se ab illis extingui permitteret, ideo multi etiam persecutorum ad eandem charitatem se convertebant, ita ut dimitterent quidquid in mundo possidebant, & se ipsos morti darent, quam prius patientibus crudeliter inferebant. Unde & subditur: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Cum terrenæ substantiæ cupiditate Deus non diligitur: quia terrenus amor oculum cordis sordidat, ne divina claritas videatur. Contra quod in Evangelio dicitur: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum* Mat. 5. a.

1. MS. *Transmittere.*
2. Cod. *Charitas vixit.*

1. Ioan. 2. *videbunt*. Et Joannes Apostolus ait: *Si quis diligit mundum non est charitas patris in eo*. Nec mirum, quomodò enim eum diligere potest quem nescit? Aut quomodò eum scit, ad quem sciendum oculum cordis claudit? Sed homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione tribuit, quando quidquid in mundo possidet, pro Christo distribuit, ut, abjiciens quòd impedit, Deum diligat, & terso pulvere sollicitudinum, [1] oculos aperiat, ut Deum videat. Et cum omnem substantiam dederit, quasi nihil eam despicit; quia post quàm oculum tersit, & Deum conspexit, in illius visione quidquid possederat, nihil pendit. Hoc Apostoli fecerunt, qui non solum possessa, sed etiam cupita, ut Christum sequerentur, dimiserunt. Quibus ipse Christus, pro quo omnia dimiserant, [2] dicebat: *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus, quod*
Luc. 17. c. *debuimus facere, fecimus*. Sed quoniam abjectâ terrenâ substantiâ non statim ad perfectionem ascenditur, quia rebus exterioribus abnegatis, restat etiam labor, ut idem ipse homo à semetipso abnegetur, gradatim proficiat, & quandoque perfectus non solum se, sed & alios secum ad vitam trahat, ideo de novâ, & tenerâ adhuc Ecclesiâ, vel unaquaque anima consequenter dicitur: *Soror nostra parvula est, & ubera non habet*. Sororem Christus Ecclesiam vocat; quia de
Mat. 28. b. ipsis Apostolis dicebat: *Ite, dicite fratribus meis*. Soror autem parvula, ubera non habebat, quando in solis Apostolis Ecclesia erat, in quibus seipsam, vel alios nutrire lacte prædicationis non

1. Ed. *Solicitudinem*. Error typog.
2. Periodo sensus redditur, addito: *Dimiserant*.

poterat. Quid enim Petrus alijs prædicaret, cum seipsum discipulum Christi in unius ancillæ voce detestando, & jurando negaret? Prima ergo Ecclesia ubera non habebat: quia post resurrectionem in una domo inclusa, inter persecutores suos, non dico prædicare, sed & videri timebat. Consequenter ergo dicitur: *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* Allocutus est Christus sororem suam, quando Spiritum Sanctum super Apostolos misit, & eis in interioribus loquens, illos omnes mundi loquelas multiplici distributione docuit. Sed a quibus hoc quærere intelligendus est qui omnia novit, nisi a sanctis patribus antiquis quos ad quærendum Spiritu Sancto instigavit? Quibus eodem Spiritu Sancto quo in quæstionem eos induxit, respondet protinus convenienter, & ait: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* Dato Spiritu Sancte murus sancta Ecclesia efficitur: quia, quæ prius timida erat, instruente eamdem spiritu omnipotente, ad resistendum adversariis impenetrabiliter roboratur. Quod manifestat idem Petrus sub ancilla timidus, mox contra principes rigidus, quibus dicebat: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Et iterum: *Si justum est vos potius audire, quam Deum, judicate. Nos enim non possumus quæ vidimus, & audivimus, non loqui.* Et de cæteris discipulis scriptum est: *Ibant discipuli gaudentes à conspectu consilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Ecce qualis murus facta est Ecclesia, quæ modò tenerrima, nec pedem cujuslibet gradientis sine sui læsione gerit, modo vero accepto mirabili

Act. 5. f.
Act. 4. d.
Act. 5. g.

artifice Spiritu Sancto, universi exercitus assultus illęsa contemnit. Super quam propugnacula ædificantur; quia ut non tantummodo se defendat, sed ut & impugnantes resistendo prosternat, miracula ei facere conceditur, quæ cum hostes viderint, ab ejus aggressione jacula timentes, terreantur. Quæ propugnacula bene argentea esse perhibentur: quia ipsa miracula cum verbi prædicatione donantur. Et quia argentum valde sonorum est metallum, argentea propugnacula existunt: quia per miracula factum est, ut eorum verba per universum mundum convalescerent, & fidei prædicationem inflexibiliter circumquaque diffunderent: Quod manifestat Psalmista dicens:
Psal. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sequitur: *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Ostium etiam bene esse Ecclesiam dicimus, quam abipso Christo potestatem aperiendi, & claudendi accepisse scimus. Ostium proculdubio in suis Prædicatoribus existit; quia per eos aditus ad vitam se nobis [1] aperit. Unde & ipsi primo Pastori Ecclesiæ dicitur: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis. Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Vel, Ostium in ipso capite suo existit: quia ipse de se veraciter dicit: *Ego sum ostium,* Ostium vero tabulis cedrinis compingitur: quia sancta Ecclesia fidem prædicans, multitudinibus populorum decoraratur, & dum populi variis virtutibus asperguntur, ut videlicet, alius de rebus quas possidet, indigentibus necessaria tribuat; alius omnia

Mat. 16. c.

Ioan. 10. a.

1. Al. *Vobis*.

abjiciens

abjiciens, etiam à legitimo connubio abstineat: alius vero tantum proficiat, ut aliorum etiam prædicator fiat: tanquam pictura multis coloribus, sic Ecclesia multis distinctionibus honestatur. Quæ Sancto Spiritu convalescens hilariter respondet, dicens: *Ego murus, & ubera mea sicut turris ex quo facta sunt coram eo, quasi pacem reperiens.* Ubera sua sicut turrim habuit, ex quo pacem coram sponso reperit; quia postquam sub ipso spiritum pacis accepit, prædicatores contemplatione altos, & robore inflexibiles nutrivit. Sed quid est quod non ait, pacem, sed quasi pacem reperiens, nisi quia dum in hoc mundo sumus, à peccato [1] omnimodis non desistimus, & quandiu cum peccato vivimus, pacem perfectam cum illo qui sine peccato in carne vixit, non habemus? sed quoniam tantillam pacem quam habemus, per ipsum mediatorem Dei & hominum tenemus, ideo subditur: *Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos, tradidit eam custodibus.* Ipse vero pacificus noster esse dicitur; quia per ipsum Deo omne genus humanum reconciliatum est. Huic pacifico vinea fuit: quia in labore præceptorum carnalium synagogam plantavit, de qua dicitur: *Vinea Domini sabaoth domus Israel est.* Quæ vinea in ea quæ habet populos extitit: quia in lege posita est, quæ multos populos ad se collegit. De quibus populis dicitur: *Populi meditati sunt inania.* Hanc vineam [2] custodibus tradidit; quia synagogam Moysi & cæteris patribus custodiendam subjecit. De quâ bene subditur: *Vir affert pro fructu ejus mille argenteos.* Hæc vinea fru-

1. Tim. 2. b.
Isai. 5. b.
Psal. 2.

1. Al. *peccatis.*
2. Ed. *Viam.*

ctum protulit: Quia ex synagoga botrus ille magnus qui de terra promissionis allatus est, Christus videlicet JESUS, per humanitatem processit. De quo fructu pater ad David ait: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Unde & Apostolus scribit: *Quorum Patres sunt, & ex quibus Christus.* Per argenteos vero in hoc loco omnem terrenam substantiam intelligimus, de qua Petrus eleemosynam petenti claudo dicebat: *Argentum & aurum non est mihi.* Pro fructu ergo vineæ vir mille argenteos affert: quia quisquis viriliter in fide, quam suscepit, se habet, libenti mente, & perfecte omnia terrena dimittit, ut Christum veraciter habeat. Millenarius enim perfectus est numerus; ideo per eum perfectio rei cujuslibet demonstratur. Hos argenteos in primitiva Ecclesia illi ferebant, de quibus in actibus Apostolorum scriptum est: *Quotquot autem possessores agrorum aut domorum erant, vendebant, & afferentes ponebant ad pedes Apostolorum pretia eorum quæ vendebant.* Isti congregati aliam vineam, videlicet sanctam Ecclesiam, ex seipsis construxerunt, & ut boni agricolæ, sanguine suo propagaverunt, & prædicationibus usque ad fines terræ dilataverunt, ut jam mundum pene universum impleat, & fructum gratum locata agricolis, suis temporibus reddat. Unde in Evangelio dicitur: *Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* De qua vinea jam bonis locata ipse pacificus dicit: *Vinea mea coram me est.* Coram ipso vinea sua existit: quia perditis malis agricolis, sanctam Ecclesiam per bonos doctores respectu benigno erudit. Cui

Psal. 31.
Rom. 9. a.
Act. 5. g.
Act. 4. g.
Mat. 21. d.

dicit : *Mille tui pacifici, & ducenti iis qui custodiunt fructus ejus.* Qui sunt isti pacifici, qui mille dicuntur esse, & ducenti, nisi illi superiores argentei, quos dum perfecte dimittimus, pacem per eorum distributionem cum sanctis nobis ipsis acquirimus? unde & in Euangelio dominus præcipit : *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Sed quid per ducentos intelligimus, nisi duplicem retributionem quam acquirimus, dum in hoc mundo perfecte pro Christo omnia terrena contemnimus? Mille ergo & ducenti Ecclesiæ argentei existunt : quia dum fideles quique omnia quæ possident ex toto relinquunt, & pacem sibi cum sanctis faciunt, & præsentis vitæ remunerationem cum cœlesti percipiunt. Et hoc est quod dominus in Evangelio ait : Amen amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Evangelium, qui non accipiet centies tantum, nunc in tempore hoc domos, & fratres, & sorores, & filios, & agros cum persecutionibus : & in sæculo futuro vitam æternam. Sed quibus ista renumeratio sic duplicatur, nisi his qui custodiunt fructus [1] ejus? Qui sunt autem qui fructus vineæ custodiunt, nisi illi qui in sancto opere quod incœperunt, perseverantes existunt? Opus enim quod sancto desiderio incipitur, si constantia mentis usque ad finem non tenetur, sine fructu habetur: quia immature ab hoc unde processerat vacuatur. Ideo dominus in Evangelio : *Qui per-*

Luc. 16. a. *Mar. 10. d.*

1. Post, *Fructus ejus,* inutili repetitione erat in edit: *qui sunt autem qui fructus ejus? qui sunt autem qui fructus vineæ, &c.*

Mat. 10. b. *severaverit usque in finem, hic salvus erit.* Sequitur sponsus, & dicit: *quæ habitas in hortis, amici auscultant te: fac me audire vocem tuam.* Sponsa in hortis habitat: quia sancta Ecclesia, vel quælibet sancta anima in fructificatione virtutum mentem versat. Cujus vocem sponsus audire desiderat: Quia hoc [1] summoperè Christo placet, ut perfectus quilibet vir infirmos quosque verbo sanctæ prædicationis admoneat. [2] Amici enim auscultant, quia fideles in Ecclesia, ut amicus sponsi loquatur, pio desiderio expectant. Et notandum quod amicus est, qui auscultat: quia qui Deum mente integra diligit, prædicantem quem diligit, libentur audit. Unde
Ioan. 8. f. in Evangelio dicitur: *Qui ex Deo est verba Dei audit.* Sed quia dum Ecclesia veritatem prædicat, multi non intelligunt, multi quod percipiunt, pravo intellectu subvertunt, ideo admonenti, ut prædicet, respondet sponsa, & dicit: *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum.* Dilectus fugit, quia a reprobis cordibus se ne intelligatur, abscondit. Dum enim reprobæ mentes ad audienda, vel legenda, verba Dei perversa intentione accedunt, digno judicio veritatem non inveniunt, quam indigno appetitu requirunt. Vnde & ipsa Dei sapientia dicit: *Quærent me mali, & non invenient.* Sed fugiens reprobos dilectus, montes aromatum petit; quia perversos dimittens, sanctas animas visitare non desinit, quæ & per contemplationem excelsæ fiunt: & per confectiones virtutum odori-

1. Al. *in hoc.*
2. Ed. admonet.

fera unguenta ſecum ferunt. Super hos montes dilectus capreæ, & hinnulo cervorum aſſimilatur: quia in cordibus ſanctorum virorum manifeſtatur, quàm pia charitate humanitatem pro nobis aſſumpſit. Qui dum ex patribus antiquis natus fuit, quaſi ex cervis hinnulus, ſicut dictum eſt ſuperius, venit. Qui dum eſſet dives, pauperem ſe, ut nos ditaremur, fecit, & dum eſſet ſuper omnia excelſus, humilitatem noſtram ineffabili dignatione ſuſcepit. Cui immenſas gratias quoadvſque vivimus, reddamus. Cui pro nobis in mortem tradito, & reſurgenti in immortalitatem, nos ipſos, & ſpiritum, & corpus debemus: qui vivit, & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen. Supra c. 2. ad Med.





SUPPLEMENTUM VARIORUM.

GUILLELMI DIACONI S. GUILLELMI BITURICENSIS ARCHIEPISCOPI DISCIPULI ET FILIOLI.

ALLEGORIÆ VETERIS ET NOVI Testamenti de principio & fine cujuslibet Libri.

Ad honorem illius qui est principium & finis, jubens in Levitico caput & caudam offerri, ut cum Maria Magdalene caput & pedes Domini mereamur ungere.

Hujus artis sacram scripturam interpretandi non meminit Sixtus Senensis l. 3. Bibliot. sanctæ: quarumvis omnes penè alias recensuerit.

GENESIS.



IBER Geneseos incipit à principio creationis, & finit in morte Joseph, & sepultura. Joseph interpretatur augmentum. Ut discamus, quod qui credit in creatorem qui ait: *Ego principium qui & loquor vobis*, & mandata ejus

Joan. 8. 25.

observat, in fine sepultus erit cum Christo in gloria, & resurget. Vel sicut ossa Joseph sunt translata de Ægypto in terram promissionis: sic translata erunt membra ejus de tenebris ad lucem, de hoc mundo ad patrem.

EXODUS.

Liber Exodi incipit à filijs Israël qui afflicti sunt à Pharaone in Ægypto, & explicit in tabernaculo consummato, & majestate Domini repleto: ita filij veri Israël videntes Deum qui afflicti sunt in hoc mundo à diabolo, & vincunt illum per decem plagas, & mare rubrum, id est, per decem legis præcepta, & baptismum, in fine sine macula habitabunt in tabernaculo Dei consummato, & majestate ejus repleto.

LEVITICUS.

Liber Levitici incipit, *Vocavit que Dominus Moysem*, & tractat de oblationibus, & finit in præceptis quæ mandavit Dominus Moysi in monte Synai: significat autem quod quicumque vocatus sit à Deo, debet mysticè se offerre, & in fine mandata ejus observare, ut habitare possit cum eo in monte Synai, id est, in monte cœlesti.

NUMERUS.

Liber Numeri incipit à numero duodecim tribuum Israël, qui egressi sunt de Ægypto, qui pugnaturi erant cum inimicis: & finit, in

quinque filiabus Salphaad prudentibus : quia qui credunt & faciunt ea quæ dicta sunt à duodecim Apostolis, qui egressi sunt de Ægyto, id
Matt. 19. 28. est, de hoc mundo, pugnantes adversus mundi rectores & potestates, in die judicij *sedebunt super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël*; in fine habebunt partem cum quinque
Matt. 25. 1. virginibus prudentibus, *quæ assumpserunt oleum in vasis suis, & exierunt obviam sponso & sponsæ*.

DEUTERONOMIUM.

LIber Deuteronomij incipit à verbis quæ locutus est Moyses ad filios Israel docens eos vias Domini, & finit in mirabilibus quæ fecit Moyses in conspectu filiorum Israel : quia qui facit & docet sicut Moyses, faciet & ipse mirabilia in vitâ suâ, & in fine non derelinquet eum in foveâ Dominus.

JOSUE.

LIber Josue incipit à morte Moysis, & principatu Josue, & finit in Eleazaro sepulto in monte Effraim : quia, qui credit litteram Moysis esse mortuam, & spiritum Josue, id est salvatoris, vivificantem; in fine erit sepultus cum Eleazaro, cum Dei nempe adjutorio in monte Effraim, id est, in Christo vivificante, & fructificante.

JUDICUM.

LIber Judicum incipit à morte Josue, & quia Judas fuerit dux belli, & finit in mor-

ſte uxoris Levitæ, & reſtauratione tribus Benjamin: ut diſcamus in morte Joſue, id eſt, ſalvatoris; uxorem Levitæ, intellige Synagogam uxorem Leviathan, mortuam eſſe: Et in reſurrectione catuli Judæ, qui factus eſt dux belli, reſtauratam eſſe tribum Benjamin, id eſt Eccleſiam, quæ tribus eſt filij dexteræ.

REGUM PRIMUS.

Liber Regum incipit ab Elcana habente duas uxores Annam, & Fenennam, & finit in plagâ factâ à diabolo, pro qua ædificavit David altare Domino, ſtatimqne ea ceſſavit. Elcana Dei poſſeſſio interpretatur, & ſignificat Chriſtum, qui dicitur Dei ſapientia, dicens: *Dominus poſſedit me initium viarum ſuarum*: Prov. 8. 22. Fenenna eſt ſynagoga; Anna vero eſt beata Virgo, ſive Eccleſia: Anna cantavit in ſpiritu: *Exultavit cor meum in Domino*; & Beata Virgo, cum Eccleſiâ: *Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*. Luc. 1. 47. Diabolus, & plaga ad ſynagogam pertinet, quæ ex patre diabolo eſt. David vero & holocauſta pacifica quæ obtulerat, ad Deum, & Eccleſiam pertinent, pro quibus omnis plaga legitur ceſſare.

LIBER REGUM SECUNDUS, &c.

Liber ſecundus Regum cum aliis, incipit à ſenectute David, & morte; & finit in Joachim Rege, qui exivit de carcere, & exaltatus eſt ſuper omnes Reges Babyloniæ. Mors David, qui dicitur manu fortis, vel viſu deſiderabilis,

mortem Christi significat: Joachim vero dicitur participatio vel resurrectio Dei, qui exivit à carcere, Christum significat, qui surrexit de sepulchro, & à carcere diaboli cum suis exivit, & factus est R*ex Regum*, *& Dominus dominantium*.

PSALTERIUM.

Liber Psalmorum incipit à beatitudine, & in legis meditatione, & finit in laudibus, & alleluia: quia, qui vult esse beatus, oportet, ut in lege Domini sit voluntas ejus, ut in fine laudet Deum in sanctis ejus, & in firmamento virtutis ejus cantet alleluia, ita ut transeat de vitâ activâ ad contemplativam. At
Obscurè. qui in lege Domini meditatur, & didicit, de Deo loquitur: qui vero perfectè orat, cum Deo loquitur.

CANTICUM CANTICORUM.

Canticum Canticorum incipit ab osculo oris, quod fit per duo ubera Ecclesiæ quæ meliora sunt vino: suntque, vel duo Testamenta, vel duæ dilectiones, vel vita activa & contemplativa; & finit in montibus aromatum: ut discamus, quia nemo potest osculum pacis à Deo accipere, nisi per mammillas sanctæ Ecclesiæ, id est, per vetus & Novum Testamentum; aut per duas dilectiones; vel per vitam activam & contemplativam: at per illas ascendimus super montes aromatum, id est, ad societatem sanctorum.

ECCLESIASTES.

COheleth, id est, Ecclesiastes sic incipit: *Vanitas vanitatum*, & finit, in Dei judicio: ut nos doceat: quia, qui sequitur vanitates hujus sæculi, & gloriam ejus, in fine redditurus est de factis propriis rationem in die judicii. Eccle. 1.

PARABOLÆ.

PArabolæ Salomonis incipiunt in sapientiâ, quæ Christus est, & finiunt in muliere forte, quæ est Ecclesia: quia anima quæ Dei sapientiam perfectè quærit, in fine habitabit cum sanctâ Ecclesiâ in regno cœlorum.

ECCLESIASTICUS.

ECclesiasticus incipit à sapientiâ quæ à Domino Deo est, & finit in Jesu Hierosolymita. Jesus interpretatur salvator, Hierusalem visio pacis: quia, qui primum à Deo quæsierit sapientiam Dei, & in bono perseveraverit usque in finem, absque dubio erit cum Jesu Salvatore in Hierusalem quæ sursum est.

RUTH.

LIber Ruth incipit & loquitur de peregrinatione; finis vero libri de Ruth loquitur, de quâ egressus est David, id est, Christus. Ruth interpretatur saturitas; ut discamus: quia, qui corpus suum pro Domino per jejunium, & peregri-

nationem macerat, in fine inveniet Ruth cum vero David, qui aperit manus suas, & implet omne animal benedictione. Unde in Evangelio: *Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.* Et iterum: *Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini.* Noëmi interpretatur suavis, sed in fine fuit amara perdendo maritum & filios. Per eam designatur Synagoga, quæ prius fuit suavis per Patriarchas & Prophetas Dominum colentes, sed quia perdidit Elymelech, qui Deus meus rex interpretatur, dum Christum negavit, & dedit ei bibere myrrham cum felle, facta est nimis amara. Tunc orbata est penitus Marito, cum filiis (Maalon videlicet, & Celion) Maalon languens, Celion deficiens interpretatur. Benè convenit Synagogæ quæ in captivitate generat filios languentes, & deficientes, de quibus prophetavit Zacharias dicens: *Et convertam manum meam ad parvulos; & erunt in omnem terram captivi partes duæ & dispergentur*, & *deficient dicit Dominus.* Ruth verò, id est, Ecclesia genuit Obeth, qui interpretatur Ministerium, id est Christum, qui non venit ministrari, sed ministrare.

Mat. 5. 6. Luc. 6. 21. Zach. 13. 8.

LAMENTATIONES.

Lamentationes Hieremiæ incipiunt à prævaricatione, & desolatione civitatis Hierusalem, quę per tres Alphabetas à Deo factas, & per tres alias à Hieremia factas, currunt; & finiunt in ira Dei, quæ cecidit super Judæos: ut discamus, quia, qui peccat in Sanctam Trinitatem, & non confitetur eam sicut Hieremias, qui ad honorem Trini-

tatis dedit tres Alphabetas in unâ lamentatione, vastat, & destruit Hierusalem, id est animam suam; & in fine ibit in supplicium æternum, iratus: vel, ex justa ira Dei.

HESTER.

Liber Hester incipit ab Assuero Rege qui primam uxorem Vasti reliquit, & Hester loco suo regnare fecit; & finit in exaltatione Mardochei Judæi. Assuerus, Frater, & Caput interpretatur, & Christum designat, qui frater noster est secundum humanitatem, & caput secundum divinitatem. Vasti deposita, Synagogam designat: Hester interpretatur occulta, & significat Ecclesiam occultam à diabolo, & coronatam à Deo. Aman diabolus est, qui pronus est ad omne malum. Mardocheus, myrrha munda interpretatur: Judæus, Confitens: quia, qui confitetur se esse salvum per mundam Christi mortem, in fine vincet Diabolum, sicut Mardocheus vicit Aman.

JUDITH.

Liber Judith incipit ab Arphaxat Rege Medorum, qui victus est à Rege Assyriorum; & finit in Judith quæ sola vicit Holofernem, eo quod caput suum abstulerit, & dimisit Abram ancillam suam liberam. Arphaxat genus humanum designat; Rex Assyriorum, Diabolum semper vincentem illud, donec venit vera Judith, id est, Virgo Maria de Tribu Judâ, quæ abscidit caput diaboli, de quâ Dominus ad diabolum: *Ipsa conteret caput tuum*, & tunc dimisit Abram an- Gen. 3. 15.

cillam liberam, id est, Ecclesiam, à potestate diaboli.

JOB.

Liber Job interpretatur dolens, & designat Christum, qui *languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Incipit autem ab ipso Job, qui quatuor dignitates habuisse legitur, id est, simplex, Rectus, Timens Deum, & recedens à malo, pro quibus omnia perdidit; & finit in restauratione ejusdem in duplum; & longo post tempore vixit: ut discamus; quia, omnis qui credit & facit quæ à quatuor Evangelistis narrantur, qui omnia pro Domino perdiderunt, & etiam animas, in fine *centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Esa. 53. 4.

Mat. 19. 29.

ISAIAS.

Liber Isaiæ incipit à prævaricatione Judæorum qui blasphemaverunt Dominum, & alienati sunt retrorsum; & finit in tormentis inferni: ut nos doceat; quia, qui caput nostrum, id est, Deum blasphemat, in fine ibit in supplicium æternum.

IHIEREMIAS.

Liber Ihieremiæ incipit ab ipso Ihieremia; qui præ humilitate dicebat: *Puer ego sum nesciens loqui*; & finit per librum Baruch. Ihieremias humilis exaltatio Dei interpretatur; Baruch benedictus dicitur: ut discamus nos pro exaltatione Dei humiliare, ut mereamur ab eo in fine audire: *Venite Benedicti Patris mei*, &c.

Hierem. 1. 16.

Mat. 25. 34.

EZECHIEL.

Liber Ezechielis incipit à tricesimo anno, in quo ipse cœpit prophetare super fluvium Chobar, cœlis apertis vidit quatuor animalia; & finit in templo & civitate Dei. Ezechiel fortis Deus interpretatur, per quem designatur Christus, qui per Isaiam, Deus fortis dicitur, qui in tricesimo anno super fluvium Jordanis ascendit in quo à Joanne baptisatus est, & cœli aperti sunt super eum. Chobar enim quasi filius interpretatur. Quia Joannes signum tantum filii Dei erat. Quatuor Animalia vero notant quatuor Evangelistas; ut discamus, quia, qui fortiter atque fideliter credit Christum baptisatum, perquem cœli aperti sunt baptisatis, qui ante per Adam clausi erant; & crediderit, & fecerit quæ à quatuor Evangelistis narrantur, absque ambiguitate in fine habitabit in tabernaculo Dei, & in civitate Dei cœlesti. Eximiè.

DANIEL.

Liber Daniel incipit à quatuor filiis Judâ abstinentibus se à cibis Regis in quibus non erat macula; & finit in Daniele ad quem ait Angelus, ut staret, & quiesceret in sorte suâ in fine dierum: ut discamus; quia, qui abstinent se à carnalibus desideriis, sicut per quatuor Evangelistas docemur in quibus non est macula, in fine quiescet in sorte Daniel, id est, Dei judicis.

DUODECIM PROPHETÆ MINORES.

Liber duodecim Prophetarum incipit ab Osea, & finit in Helia, & in Anathema. Oseas interpretatur Salvator, & Helias Deus meus Deus: quia qui non credit Salvatorem Jesum, esse Christum & Deum, anathema est. Liber Oseæ incipit à restauratione templi Dei; & finit in verbo Nehemiæ. Oseas interpretatur adjutorium. Nehemias consolator: quia qui vult Dei adjutorium habere, debet firmiter credere restaurationem templi Dei, id est, resurrectionem templi corporis Christi, ut in fine habeat verum Nehemiam, id est, consolationem Spiritus sancti.

In exemplari 12. Prophetæ præcedunt Daniel.

TOBIAS.

Liber Tobiæ incipit ab ipso Tobia, qui captivatus est à Salmanasar Rege Assyriorum, & tamen viam veritatis non deseruit, pro quâ lumen oculorum amisit, finitque in restauratione ejusdem, & quoad Dominus misit Raphaëlem ad sanandum eum ab omnibus languoribus suis: ut discamus, qui patienter sustinet adversâ pro Christo, itaut curet dormire in Domino, in fine, id est, in resurrectione, visitabit eum Dominus per Angelos qui illuminabunt corda, & corpora sanctorum, ut vivant cum Deo in sæcula sæculorum.

MACHABÆI.

LIbri Machabæorum incipiunt ab Alexandro, & aliis Regibus à quibus multiplicata sunt mala in terrâ; & finiunt in Joanne Filio Symonis Justi, qui multa bona fecerat, & occidit illos qui venerant eum occidere, & post obtinuit munitiones; ut discamus, quia qui patienter sustinet afflictiones, & pugnat pro lege Christi contra Hæreticos sicut Machabæi, qui interpretantur Extinguentes, id est, flammas ignium, in fine per obedientiam & Dei gratiam vincet regna mundi, & obtinebit munitiones patris, id est, virtutes Dei. Symon interpretatur obediens. Ioannes, gratia Dei.

QUATUOR EVANGELISTÆ.

SAcra Evangelia incipiunt ab Humanitate Christi per Mathæum dicentem: *Liber generationis Iesu Christi, &c.* Et finiunt in Divinitate Christi per Joannem, & per multa alia signa quæ fecit Jesus. Mathæus interpretatur Donatus, Joannes gratia Dei: Ut discamus, quia qui vult ex toto corde se donare Deo, oportet ut Christum Incarnatum credat, de quo dicitur: Filius datus est nobis, qui juravit patribus nostris daturum se nobis. Et per gratiam sancti Spiritus divinitatem Christi, & per multa signa quæ fecit Salvator, quæ tanta sunt, tamque multa, ut scribi non potuerint. M. I. 1.



EIUSDEM OPUSCULUM DE QUINQUE SENSIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Visu.

QUinque sensus sic debemus sentire: Visus, auditus, gustus, tactus, odoratus. Pro Visu debemus orare Deum, ut avertat oculos nostros ne videant vanitatem; ut sint oculi nostri semper intenti ad Dominum; ut ipse illuminet oculos nostros, ne umquam dormiamus in morte; & revelet oculos nostros, ut considerare possimus mirabilia de lege suâ. ut videamus oculo ad oculum bona Domini in terrâ viventium, amore illius de quo dicitur: *Oculi Domini super justos*; &, *visitavit nos Oriens ex alto*: &, pro nobis in passione *languerunt oculi ejus præ* inopiâ.

Psal. 33. 16. *Psal.* 87. 10.

CAPUT II.

De Auditu.

Exod. 10. 6. DE auditu nobis Dominus dicit: *Audi popule meus legem meam*: Audi Israël mandata vitæ: Audite me, & vivet anima vestra: qui au-

dit me, non confundetur; idcirco debemus semper Dominum audire, & obedire ei, ut ipse exaudiat in die tribulationis. Non tantum *auditores verbi, sed factores simus*, ut Jacobus Apostolus ait: Obturare vero debemus aures nostras, ne audiamus malum, ne audiamus vocem incantantium, amore illius qui plantavit aures, & factus est pro nobis in passione tanquam surdus non audiens, ut mereamur ab eo audire: *Venite benedicti Patris mei*, &c.

Iac. 1. 22.

Mat. 25. 34.

CAPUT III.

De Gustu.

GUstus pravus mortem germinavit; ideo à malo gustu abstineamus amore illius qui gustavit in cruce fel, & myrrham, & mortem amaram; ut malum gustum deleret, & donaret vitam suavem, id est, semetipsum: Qui dicitur, *dulcis & rectus Dominus: Gustate, & videte quam suavis est Dominus: Quæ sursum, sunt sapite, non quæ super terram.*

Psal. 24. 8.
Psal. 33. 9.
Colos. 3. 2.

CAPUT IV.

De Tactu.

DE tactu malo scriptum est: *Et omne immundum non tetigeritis: qui tangit immundum, immundus est*: Et, *qui tangit picem, inquinabitur ab eâ.* De bono vero tactu dicitur: *Ac-*

Levit. 5. 2.
Eccl. 13. 1.

cede ad me, fili mi, & tangam te. Debemus ergo Dominum tangere precibus, ſicut Beatus Thomas, & ſicut Mulier quæ tetigit fimbriam veſtimenti. Abſtineamus ab illicito tactu amore ejus qui tetigit, & aperuit oculos cœci nati, per quem deſignatur genus humanum.

CAPUT V.

De Odoratu.

Gen. 27. 27. DE odore bono dicit Iſaac ad filium: *Ecce odor filii mei, ſicut odor agri pleni quem benedixit Dominus.* Debemus ergo eſſe de vinea Domini, de quâ in Canticis: *Vinea dedit odorem ſuum.* Unde Apoſtolus: Nos *bonus odor ſimus Deo*: quia per puras orationes, & bona opera debemus currere in odorem unguentorum Domini, ut aſcendat odor, vel fumus aromatum de manu Angeli in conſpectu Dei, amore illius qui pro nobis oravit ad Patrem: *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo, ut ſit elevatio manuum mearum* in cruce *ſacrificium veſpertinum.* Si ſacrificia carnalia in lege odoratus eſt Dominus in odorem ſuavitatis; quanto magis ſacrificia ſpiritualia, unde Pſalmiſta: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Et iterum: *Immola Deo ſacrificium laudis.* Et in libro regum: *Melior eſt obedientia, quam victimæ.*

Cant. 1. 13. 2. Cor. 2. 15. Pſal. 140. 2. Pſal. 50. 19. Pſal. 49. 14. 1. R. 15. 22.

FINIS.



EIUSDEM
SERMO DE PASSIONE
DOMINI.

DEus Iudex justus, fortis, & patiens, &c. O stulti Principes Sacerdotum, quomodo ausi fuistis injustè justum judicem judicare, qui principatum ab eo suscepistis? Unde ipse in Parabolis: *Per me*, inquit, *principes imperant*. O Pilate debilis quomodo Deum crucifixisti, & maluisti obedire uxori adulteræ synagogæ, quam naturali uxori tuæ? Vox tua vox Jacob fuit, dum dixisti de Christo: *Quid enim mali fecit?* Sed manus, manus sunt Esaü pilosæ, & plenæ Christi sanguine. Hypocrita? Lavisti enim priùs manus tuas aquâ, sed post sanguine. Pœnitentia tua fuit quasi pœnitentia Herodis, ideo pari pœnâ puniti estis, id est, in exilio. Vel qualem excusationem habebis in die judicii, qui Christo & Domino dixisti: *Nescis quia potestatem habeo dimittendi te, &c.* Si potestatem habuisti Christum dimittere: Quare non dimisisti? Responde mihi, ô hypocrita? Non intus cor tuum lavisti, sed manus deforis: non lotæ manus non coinquinant hominem, sed mala quæ ex corde exeunt. O Juda impatiens, quomodo patientem Magistrum tradidisti. O fur quid fecisti? Furatus es enim cor Pharaonis induratum, dum diabolum in corde suscepisti: Ocu-

Psal. 7. 12.

Mat. 27. 23.

Ioan. 19. 10.

De proditione Judæ devotissime, & subtilissime.

tos quoque Isaac, qui clarè videre non poterat, furatus es; & vocem Jacob, dum dixisti: *Ave Rabbi.* Manus Esau furatus es, dum extendisti eas in Paropside: vel cum eas in Jesum injecisti, aut injicere fecisti. Os quoque primi Serpentis, & os Joab Principis militiæ David furatus es, qui osculando Amasam interfecit. Furatus es etiam linguam Doeth Idumei, qui linguâ suâ occidit Summum Sacerdotem in nocte cum octoginta: *Lingua tua sicut novacula acuta fecit dolum.* Pœnitentia tua deterior fuit, quàm pœnitentia Pharaonis, & Herodis. De qua Prophetavit David: *Et oratio ejus fiet in peccatum.* Et Job: *Dedit ei Dominus locum pœnitentiæ, & ille abutitur in superbiâ.* Quid dicam de Principibus Sacerdotum, qui participes Judæ furis fuerunt, de quibus Prophetavit Isaias dicens: *Principes tui infideles, socii furum, &c.* Plus peccaverunt Judas, & Judæi linguis suis, quàm Pilatus & Milites suis manibus. Unde Dominus ad Pilatum: *Verumtamen hi qui tradiderunt me tibi, majus peccatum habent.* Et ne nos quasi volucres super cadavera descendentes increpet Abraham, id est, Pater excelsus, sursum tendamus, & versum illum per quem sermonem incœpimus, videlicet: *Deus Iudex justus, fortis, & patiens*, millies repetamus, atque velut Lucas ab humanitate Christi ad divinitatem ejus ascendamus. Dicamus ergo: *Deus patiens, fortis, justus judex:* Patiens fuit Christus in Passione: fortis in resurrectione: justus in ascensione: quia justas animas secum ad cœlos ascendit: Judex erit in fine sæculi, tunc reddet unicuique juxta opera sua, qui cum Patre & Sancto Spiritu vivit & regnat Deus per omnia sæcula, Amen.

Psal. 51. 4.
Psal. 108. 7.
Iob. 24. 23.
Es. 1. 23.
Ioan. 16. 11.
Psal. 7. 12.



EIUSDEM OPUSCULUM.

DE EUCHARISTIA.

Mar. 16. 16.

ECce Capitulum quod valde necessarium æstimo de Corpore Christi; *quod qui viderit, eum & crediderit salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur.*

DIcebant Filii Israël de manna *Man-hu*, quod sonat, quid est hoc? Ignorabant enim quid esset. Adhuc Iudæi, & Hæretici ignorant verum manna, id est Christum, de quo in Apocalypsi: *Qui vicerit dabo manna absconditum*, id est memetipsum. Erat enim manna sicut in Exodo legitur; *quasi pilo tonsum in similitudinem pruina super terram, & quasi semen coriandris album coloris bdelu; gustusque ejus, quasi simila cum melle.* Et res miranda erat, quod ad calorem solis liquefiebat, & ad calorem ignis siccabatur, & durum existebat, atque faciebant ex eo tortas panis igne coctas, ut legitur in Libro Numeri capitulo vigesimo octavo. Intelligebant ergo istud Iudæi atque Hæretici; sed quia noluerunt intelligere ut bene agerent, intelligant sapientes Christiani, ut sapientiores sint in hoc quod dicit scriptura, quod manna erat quasi semen coriandri, & tamen non erat quod videbatur: vel gustus ejus *quasi simila cum melle, & quasi panis oleati*, & tale tamen non erat: appareat aliud, aliud videtur, & intelligitur: quanto magis verum manna. Præterea datur nobis intelligi, quod per ver-

De prima Eucharistiæ figura manna scilicet.

Apoc. 2. 17.

Christus in Eucharist. manna absconditum.

Exod. 16. 14.

Ioan. 6. bum Moysi dicentis: *Hic est panis quem dedit vobis Dominus ad vescendum*; statim fuit panis ad vescendum, qui ante panis non dicebatur. Si manna tantæ dignitatis erat, licet corporale, & visibile, & figura tantum; quanto magis corpus Christi, veritas! Si in manna aliud videtur, & aliud intelligitur post verbum Moysi: quanto magis panis Corpus Christi fit post verbum Verbi veri, & Creatoris; Quia, *ipse dixit, & facta sunt*, & de nihilo cuncta creavit: unde
Esa. 66. 9. Dominus per Isayam: *Numquid ego qui alios parere facio, ipse non pariam, & sterilis ero?* Ac si patenter dicat: si ergo aliena de nihilo feci, meipsum non faciam. Et sicut manna ad calorem solis liquefiebat, & in aquam mutabatur: sic per virtutem verborum solis justitiæ, panis mutatur in aquam sapientiæ ad salutem credentium,
Psal. 147. 18. Unde: *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus ejus, & fluent aquæ* vivæ, & fiet in salutem fidelibus. Infidelibus autem sicut manna ad ignis calorem mirabiliter siccabat, & durum existebat: sic Corpus Christi durum est
Ioan. c. 60. Act. 26. 14. duris, dicentibus. *Durus est hic sermo. Durum est enim contra stimulum calcitrare*, ut Christus ait; & nihil eis proficit, eò quod inflammati sunt igne inferni, & quia quæ sursum sunt sapere contemnunt. Sicut increduli illi qui ultra mensuram manna capiebant, vermes generabat; sic Christi corpus est infidelibus verus vermis & non homo, qui eos consumit, vel qui consume-
Esa. 66. 24. re eos facit, Isaya attestante, qui ait, *Et egredientur, & videbunt cadavera hominum in me peccantium: quia vermis illorum non morietur, & ignis illorum non extinguetur: dicit Dominus.*

Et sicut filii Israël manna vituperabant, qui ideo à serpentibus perierunt, præter illos qui aspiciebant serpentem æneum, quamvis tantum esset figura: quantò magis Judæi, & Hæretici qui de vero pane qui de cœlo descendit hoc faciunt, peribunt à serpentibus, id est à dæmonibus, nisi ad verum serpentem super crucem exaltatum fideliter respicere curent.

Aliam quoque veram & expressam similitudinem cum Dei adjutorio in medio introducam. Legitur in Libro Numeri capitulo decimo secundo: *Si spiritus Zelotypiæ concitaverit virum contra uxorem, vel quæ polluta, vel quæ falsa suspicione appetitur, adducet eam ad sacerdotem, qui assumet aquam sanctam in vas fictile; & pauxillum terræ de pavimēto tabernaculi mittet in eam, & tenebit aquas amarissimas in quibus cum execratione maledicta cōgessit & dabit bibere mulieri: si fuerit mulier innoxia, pariet liberos, licet sterilis, si vero polluta fuerit, putrescet ejus femur, & uterus disrumpetur.* Si per verba sacerdotis Legis veteris, & mortis Magistri, aqua humana mutatur invisibiliter, & non visibiliter in vitam sanctæ mulieris, & contra naturam facit eam generare; vel si polluta est contra naturam faciet eam perire: quanto magis per verba Christi & Dei, panis corporaliter fit spiritualis. Vir iste Zelotipus Christum sponsum designat, qui in Exodo Deus Zelotes vocatur; & in Psalmis dicitur: *Zelus Domus tuæ comedit me.* Sacerdos, bonus prædicator est. Mnlier munda & pura, sacta Ecclesia est, quæ in Canticis dicitur, sponsa immaculata, & pulchra ut luna, quæ ante Christi adventum sterilis extitit, & post adventum per fidem ejus,

Num. 5. 14.

Altera Eucharistiæ figura.

Per transubstantiationem.

Exod. 20. 5.

Psal. 68. 10.

Cant. 6. 9.

Isa. 68. 10. & Evangelium plurimos filios genuit, de qua Isayas: *Lætare sterilis, quæ non paris*, &c. Mulier quæ à viro dicitur erraffe, Ecclesia hæreticorum est, & Judæorum, de quâ David ait: *Odivi Ecclesiam malignantium*. Debet ergo sanctus sacerdos mittere in vas fictile, id est in corpore humano, aquam sanctam, id est Dei sapientiam, cum pauxillo terræ de pavimento tabernaculi, id est cum humanitate Christi, & humilitate, ut possit dicere cum Psalmistâ: *Adhæsit pavimento, id est humanitati Christi, anima mea, & in verbum tuum quod in principio erat Deus, supersperavi*. Dulcis est ergo aqua sapientiæ sanctæ Ecclesiæ dicenti de Christo: *dulcis & rectus Dominus*; &, *quâm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*: & in canticis: *Fructus ejus dulcis gutturi meo*, Quasi apertè dicat: fructus primi Adæ nimis amarus fuit, qui mortem amaram generavit; fructus vero ventris Beatæ Virginis dulcis est gutturi meo, qui mortem nostram moriendo destruxit, & donavit nobis vitam sempiternam. Et quia sancta atque Catholica Ecclesia aquam sapientiæ, id est, corpus Christi fideliter recipit; ideo fluunt de ventre ejus aquæ vivæ. Ecclesiæ vero malignantium aqua sapientiæ amara est, idcirco peribit. Unde Isayas. *Væ dicentibus, De bono malum, ponentes lucem tenebras, & dulce amarum*. Item, si per verba Sacerdotis legis veteris atque carnalis, sana aqua bonas mulieres, & malas occidit, quæ tantum figura est corporis Christi; quanto magis per verba veri Sacerdotis atque spiritualis, qui non est figura, sed ipsa res & veritas, vivificat bonos, & malos occidit. Unde ipsa veritas

Marginal references: Psal. 25. 25. — Psal. 118. 5. — Psal. 24. 6. — Psal. 18. 103. — Cant. 2. 3. — Isa. 5. 20.

ait de fidelibus: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Et per Apostolum ad infideles loquitur. *Qui manducat corpus Domini indigne, judicium sibi manducat, & bibit.* Ioan. 5. 5. 1. cor. 10.


Explicit.



LECTORI.

NOn libros modo, Lector benevole, verum & auctorem sub modio latitantem (nemo enim Bibliothecariorum, quem saltem noverim, Guillelmi nostri nomen habet) è tenebris eruimus, ponimusque super candelabrum, ut luceat coram omnibus hominibus, Iudæis, Hæreticis, Orthodoxis. Cuique ad autoritatem Patris abundat sanè meritum: quippe simul Sanctissimi viri Guillelmi Bituricensis Archiepiscopi, de quo vide Bollandum ad diem 10. *Ianuarij) discipulus fuerit, & suo sæculo fidei magister, pietatisque promotor insignis. Horum alterum ad doctoris laudem fecisset satis. Porro ut ipsemet ipsemet tot egregiarum dotum, conversionis, discipulatus, offitij eruditionisque suæ præco sit & historicus, librorum quibus Iudæos, Iudæorumque confutavit hæreticos, transumpsimus hic prologum ea omnia referantem. Addimus clavim libelli, & primum caput, quo melius de eo quisque valeat judicare.*

Florebat Guillelmus Diac. circa an. 1210.



INCIPIT PROLOGUS LIBRORUM

Bellorum Domini contra Iudæos, & contra hæreticos.

OMnibus in Christo credentibus Guillelmus Christi Diaconus olim Judæus, salutem in Domino. Per admonitionem Beati & eximij Confessoris Guillelmi Bituricensis Archiepiscopi nuper veniens de umbra veritatis ad lucem,
1. Ioan. 9. quæ videlicet per fidem Evangelicam *illuminat omnem mundum.* Instigantibus, sicut credo, quibusdam fidelibus, qui me in notitiâ linguæ Hebraïcæ credunt aliquantulum profecisse, compulsus sum de fide nostra Catholicâ, secundùm quàm hebraïca veritas attestatur, disputationis librum componere contra perfidiam Judæorum; ut de ipsa veritate quam tenent in litteræ obscuritate carnaliter, non veraciter & spiritualiter intellecta, juxta ipsius litteræ testimonium confundantur. Verum, quia non credunt Sanctam Trinitatem, & ea quæ novum asserit Testamentum, ex ipsius veteris Testamenti auctoritatibus quibus fallaciter innituntur meum declarando decrevi propositum confirmare. Puteus verò altus est, & in quo hauriam aquam hujus doctrinæ non habeo; nisi, porrigat ille,
Iacob. 1. 5. *Qui dat omnibus affluenter & non improperat, ut inter medium montium hauriam aquam de fon-*
Isai. 12. 3. *tibus Salvatoris, qui nimirum linguas infantium*

facit disertas; *cujus spiritus*, *ubi vult*, *spirat*, dividens singulis prout vult, ad laudem & gloriam Sanctæ Trinitatis, ad perfectam utilitatem legentium, & ad meorum indulgentiam peccatorum. Cum vero redemptor noster expansis in cruce manibus dignatus est pro nobis pugnare ante passionem, non solum contra Judæos, verum etiam contra Saduceos Hæreticos sic legitur fecisse. Itaque si eum perfectè diligimus, contra Dei inimicos pro posse debemus pugnare, ut dicamus cum Psalmistâ: *nonne qui oderunt te Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi. Sed insurrexerunt in me testes iniqui.* Quomodo, inquiunt, ausus es disputationis librum componere, cum tu judæus sis, nuper baptizatus, & inter grammaticos atque scholares minimè laborasti? Tu es asinus, tu es canis. Quibus compulsus sum respondere: Utique, charissimi, frater draconum fui, & socius Struthionum, de asinis & canibus traxi originem, sed iste qui *cæcos fecit videre, & surdos audire, & mutos loqui, super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit: & quia non cognovi litteraturam, cupio intrare in potentias Domini.* Si asinus sum, sicut vos dicitis, oportet me *cognoscere præsepe Domini*, quod populus meus non cognovit. Si canis sum, oportet me prædicare adventum Tobiæ, ut cœcus visum recipiat. Item; si asinus sum, utique parcere mihi deberetis, dicente Domino: *Si videris asinum odientis te succumbentem sub onere suo, adjuva eum.* Non ne videtis Balaam impium, id est Judæum, sive Hæreticum,

Sap. 10. 21. *Ioan. 3. 8.* *Psal. 38. 22.* *Psal. 26. 12.* *Marc. 7. 37.* *Psal. 22. 2.* *Psal. 70. 15.* *Isai. 1. 7.* *Tob. 11. 9.* *Exod. 23. 5.*

Psal. 41. 4 super me: *Dum dicitur mihi ab eis quotidie: ubi est Deus tuus?* Potens est ergo ille qui aperuit os
Num. 22. per tot. asinæ Balaam os meum aperire, & dicere ei: cur
Gen. 49 17. me cœdis? Ut *cadat ascensor meus retrorsum*, & Christus ascendat, quem in ramis palmarum super pullum asinæ credimus ascendisse. Si canis
Mat. 21. 7. sum, Ecclesiastes enim dicit: *Melior est canis vi-*
Luc. 19. 30. Ioan 12. 15. *vus leone mortuo*; ut de maxillâ asini mille Judæi
Eccl. 9. 4. puniantur, qui dicuntur asini expectantes cum
22. Gen. 5. asino ad radicem montis adhuc redemptorem, ut de cane vivo canes multi Christum circumdan-
Luc. 11. 21. tes puniantur. Nimirum, si *fortis armatus* debilem superat & infirmum: Sed si debilis & humilis superbos frangit, & superat, tunc maxima apparet victoria à Deo manifesta. Si David parvulus, & inter fratres suos pusillus, leonem & ur-
Psal. 21. 22. sum non occidisset, utique non orasset: ***Deus qui eripuit me de manu leonis, & de manu bestiæ, &c.*** Item si David ovium Pastor absque armis non percussisset Gigantem fortem armatum, mulieres
1. R. 18, 7. non decantassent: ***Percussit Saül mille, & David decem millia***, neque sancta Ecclesia Historiam:
1. R. 17. 50. ***Prævaluit David in Philistæum in fundâ & lapide, in nomine Domini.*** Per Goliam à David interfectum, intelligere debemus Diabolum à Chri-
Psal. 7. 14. sto occisum: Per leonem, Judæum Filium Leo-
Psal. 24. 14. nis rapientis, & rugientis mortui: Per ursum vero, Hæreticum, qui favum mellis quod fortis leo de leone mortuo traxit, ut Sampson, devorare desiderat. Et nisi dictus leo fortis misisset ignem iræ suæ ante oculos ursi, nemo stare ante ipsum potuisset. De istis se plangit Ihieremias in personâ Christi, dicens: *Ursus insidians est mihi leo*
Thren. 3. 10. *in absconditis.* Hæc est illa mala bestia, quam vi-

dit Joannes in spiritu, quæ habebat os leonis & pedes ursi. Isti sunt duo stulti, de quibus Salomon ait: *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne videatur sibi esse sapiens*, id est: Responde Judæo, qui est aliquando rationis capax, juxta stultitiam suam, id est, juxta suam litteram, sicut in hoc libro plenius legitur. De * Hæretico verò, qui non est rationis capax, qui non vetus, nec novum recipit Testamentum, dicit Salomon: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam*. Sic enim legimus Dominum longam disputationem contra Judæos fecisse, contra vero Saducæos Hæreticos non legimus disputationem à Deo factam, nisi solam responsionem ad probandam resurrectionem, de septem fratribus qui unam habuerunt uxorem, ad quos Dominus secundum Marcum respondit illis: *Nonne ideo erratis, nescientes scripturas, neque virtutem Dei: Verè mortui resurgent*. Et post hanc responsionem, iterum dixit eis: *Multum erratis*. Similiter Apostolus non legitur contra Hæreticos disputasse, nisi tantum ad probandam resurrectionem ad Corinthios, ut ibi. Sed dicit aliquis, id est Hæreticus, quomodo resurgunt mortui? Quali tempore? *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur*. Si ergo non credunt hæretici terrena à Deo facta quæ vident, quomodo credent cœlestia quæ non vident? Propterea devitare debemus hæreticos, & quæstiones eorum stultas, unde Apostolus ad Titum: *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita: Sciens, quia subversus est, & delinquit; cum sit in proprio judicio condemnatus*. Et iterum ad Timotheum: *Stultas autem, & sine disciplinâ quæstio-*

Apoc. 13. 2.
Prov. 26. 4. 5.
* Saducæos intelligit.
Ibid.
Marc. 12. 24.
1. Cor. 15. 36.
Hæretici vitandi.
2. Tim. 2.

nes devita; sciens quia generant lites. Si forte aliquis dixerit; quomodo sic excœcati sunt Dei inimici? Sed hoc dicendum est: ideo, quia non receperunt doctrinam Dei veritatis, unde Apostolus: *Eo quod charitatem veritatis non receperunt ut salvi fierent, mittet illis operationem erroris ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*, sicut de Achab Rege Israel in libro Regum legitur. Nos vero qui à Deo vero, trino & uno baptismum suscepimus sacrum, firmiter & fideliter credamus veritati, quæ omnem respuens falsitatem, suos fideles in omnem veritatem inducet, vera & sine fine veritatis præmia percepturos in sæcula sæculorum, Amen.

2. Thess. 2. 11.

3. R. 22. 20.

CLAVIS LIBELLI.

UT igitur Judæi negare non possint Prophetarum autoritates ad Christum pertinentes, omnia capitula litteris latinis, & verbis Hebraïcis, sicut ipsi Judæi legunt, scripsi, prout potui melius, ipsam linguam Hebraïcam in auctoritatibus exprimendo. Unde Lectorem obsecro, atque Scriptorem, ut verba Hebraica, & distinctiones per membra divisas diligenter observet, sicut scripta sunt in hoc libro; ne, & meus labor, & illius studium pereat, si modus scribendi, aut proferendi quomodolibet confundatur, &, ne Judæi irrideant Fideles Clericos cum eis super his disputantes. Et quia Judæi pro triginta argenteis Christum sibi traditum per invidiam

diam tradiderunt, ideo ſcripſi eis triginta capitula Evangelica confirmata per vetus teſtamentum, ut credentes in Chriſtum intelligant pleniùs veritatem.

CAPUT PRIMUM.

De Trinitate perfectâ contra Judæos juxta ſuam litteram, non illam quæ occidit, ſed quæ vivificat.

O Judæi qui uſque in hodiernam diem negaſtis Sanctam atque Individuam Trinitatem, non-ne legiſtis Dominum dixiſſe antequam formaſſet Adam, *Naaſe Adam Beſalmenu*, quod interpretatur: *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Et dicit gloſa veſtra, quod Deus poſtulaverat conſilium vel auxilium ad hominem faciendum, quod ſtare non poteſt, dicente Iſaia: *Ay tyquem uva adonai*, quod interpretatur: *Quis adjuvit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarus ejus fuit?* Et ſubjungit: *Cum quo iniit conſilium, & inſtruxit illum?* Nullus. Ergo falſa eſt gloſa veſtra, aut ignoratis quod ſcriptum eſt in Geneſi: *Abraham tres vidit, & unum adoravit.* Unde Dominus vobis in Evangelio: *Abraham*, inquit, *pater veſter exultavit ut videret diem meum; vidit, & gaviſus eſt.* Ideo dico vobis quod filii Abrahæ ſpiritualiter non eſtis: quia non adoraſtis Trinitatem in unitate, ſicut Abraham fecit. Nimirum, ſic Sanctus Abraham priùs quam Christus Homo fieret eum vidit, quem ipſe quoque Nabuchodonoſor Tyrannus in forna-

Gen. 1. 26.

Judæorum error circa formationem hominis.

Eſa. 40. 13.

Joan. 8. 56.

Abrahami de Trinitate fides.

ce ignis se vidisse testatur. Item Isaias: *Mi marad*, quod interpretatur: *Qui mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderavit, ordinavitque in trinitatem molem terræ.* Sic habet Hebræus, non habet: *Quis appendit tribus digitis*; sed, *basfatis*, quod interpretatur, *in Trinitate*. Testis enim meus est ille Deus qui trinus est & unus, quia non mentior. Judæi etiam testes mei sunt, licet sit eis multum contrarium. Verumtamen ipsi non credentes Sanctam Trinitatem, pro necessitate sic exponunt, videlicet: *Quis appendit tribus digitis.* Sensus ergo talis est: Ponderavit in trinitate Adam quem fecerat de limo terræ, in quo tota trinitas operata est, sicut scriptum est: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Et est vox communis trium personarum. Item Esaias: *En avedi*, quod est: *Ecce servus meus suscipiam eum, electus meus; complacuit in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus profert.* In hoc versu prudens lector intelligat plenius Trinitatem. Et iterum: *Et clamabat alter ad alterum, & dicebat: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth.*

Isai. 40. 12.

Nota. Asseritur misterium SS. Trinitatis ex genuina textus Hebraici lectione.

Gen. 1. 26.

Isa. 42. 2.

Isaia. 6. 3.

Verùm hæc sufficiant, nec evulgamus plura, veriti, ne apud delicatulos aut etiam rugosos hujus operis lectores minus bene audiret humilis dictio, quæ quidem temporis vitium est, non persona, nauseamque pareret argumenti à prioribus recentioribusque patribusque jam toties exhausti, quamvis nova, repetita tamen minimeque necessaria tractatio. Accedit librorum prolixitas quam vix volumen nostrum suo sinu conclusisset. Si consulant amici, proferemus.



SUPPLEMENTUM OPERUM S. HILDEBERTI PRIMUM COENOMANENSIS, DEINDE TURONENSIS ARCHIEPISCOPI.

LECTORI.

Sequentia hujus æque eloquentissimi ac sanctissimi viri opuscula nominarunt, desideraruntque omnes, tum Historici, tum Bibliotecarii qui de scriptoribus Ecclesiasticis Catalogum texuerunt. Tritem. Henric. de Gandavo, Possevinus, Ordericus &c. quorum de Hildeberto dignissima copiosissimaque consulto supprimimus elogia quo locus sit necdum edito. Prodit è codice coætaneo E. D. 2. insignis Bibliotecæ Sancti Victoris ad Parisios.

Marbodi Redonensis Episcopi in laudem Hildeberti, scriptorumque ejus.


D*Vm tua scripta legens oculos ad nostra reduco,*
E cœlo terrâ videor spectare jacentes.

Sublimi nubes excedunt illa volatu:
Hæc terris hærent humili reptantia gressu.
Sæpè relecta placent solis sapientibus illa,
Arcanos sensus brevibus stringentia verbis;
Magna velut modico si gemma locetur in auro.
Hæc aditu facili rudibus, doctisque patescunt.
Scilicet artificis minus accurata paratu,
Et de communi leviter manantia vena:
Vestra per antitesim flectit se musa frequenter
Exercens varios sinvoso schemate giros;
Nobis directo satis est procedere calle
Quamlibet & crassa contexere verba minerva.
Nec cum subtili certare paramus Aragne.

Anonymi correctior.

Ed. rosam. *INclytus & prosa versuque per omnia primus*
Hildebertus olet, prorsus ubique rosa,





LIBER

De querimonia & conflictu carnis & Spiritus.

INcendio domus mea corruerat, & reficiendi studio sollicitus anhelabam, ligna cædi præceperam, quadrari, & expensas operi provideri, totus eram in hoc, & omissis Pontificalibus negotiis, quo in loco ponere fundamenta, quantùm palatia extendere, nunc intuitu, nunc arundine metiebar. Quæ dum curiosus geometer insisterem, quædam ante meos oculos lugentis habitum gerens, & velut præter votum aliquid accidisset, similis conquerenti. Forma ejus inenarrabilis, incognita magnitudo, mira ei vivacitas, & quam crederes immortalitatem polliceri. Vultus non semper idem, terram tristis, Cœlum intuebatur hilarior, cœlos ea tenerius respicere, cœlos desiderare, & invita mecum morari videbatur. Ipsa quidem primò nive candidior apparuit, & Regiis apta complexibus inestimabilem, sed precariam, sed aliundè, sicut opinor, acquisitam præferebat venustatem, dehinc autem quibusdam visa est squallere sordibus, quibus abluendis aquas esse necessarias minimè dubitares. In manu ejus libellum, in libello autem poëticum illud scriptum fuisse reminiscor:

Transcripsimus ex cod Reg. 225. & correximus ad San. Victor. E. d. 2. vidimus & tertium ejus exemplar in Bibliot. Caroli loci.

Ingeniosa fictio.

Gaudeas, an doleas, cupias, metuasvè, quid ad rem?

Obstupui fateor, & quid diceret, quid ageret, sub silentio præstolari disposui. Tum illa: miror, inquit, te sic oblitum mei, sic longævæ sodalitatis immemorem, nullum mihi domicilium providere; hospitam esse me noveras, &, quæ Apostolico didiceras testimonio, manentem hic non habere civitatem. Hæc enim domus, in qua tædiosas & carcerales patior angustias, quod sit, novi; quando autem, non novi; Ex luto compacta est, & materiæ privilegio ruinam profitetur. Casu pendet ancipiti, quidquid ex hujusmodi construitur apparatu. Ego quidem luteum ingressa tentorium, non statim leges ejus intellexi, non attendi ruinas eminentes. Ignoravi enim quam servili conditione domina premeretur, quæ continuos incursus illorum sustineret hostium, quos evadere, gloriosè triumphare est: tandem autem, more hospitis quæ secreta domini diuturnior edocet conversatio, magis, magisque singula patuerunt, displicuerunt universa, confusas ibi leges & præposteros animadverti principatus, servire scilicet matremfamilias, pedisequamque dominari. Pedisequa malè potens, tam imperiosis incantationibus meam fascinaverat libertatem, ut obedirem quolibet imperanti, sequerer ad omnia præcedentem. Ea nimirum procax & suspecta præposito, suis a me lenociniis infames admisit amatores, & dum substernor flagitio quod suggessit, ipsa quoque flagitium non evasit. Ex quo itaque tam probrosum mihi fœdus innotuit, pudere cœpit illusionis, hospitii tædere; nec tamen le

Heb. 13. 14.

Deplorat anima ancillam sibi dominari.

gendi fas erat, & admissos evadere corruptores. Indolui fateor, & tristissimum exosa dominium, tibi, cui neminem æque familiarem habeo, duras relegi meæ confusionis historias. Numquid non recolis quàm lachrimabili querimonia dudum te flagitaverim? quibus anxia gemitibus malè perditam deploraverim liberratem? Fortasse tibi tua quoque suspiria exciderunt, nec recordaris quam largo fletu sepultam amiseris hilaritatem, quoties inter cætera cubiculi tui secreta miserabilem tibi servitutem retractabam. Attende, quæso, quid supplicanti promiseris, quâ sæpe lachrymarum siccaveris ubertatem; cum remotis procul arbitris, quid paterer, aut quid in futurum metuerem, talibus tibi questibus indicabam.

Captat Hildeberti benevolentiam qua monitis fiat attentior gemitibusque condoleat magis.

ANgustæ fragilisque domus, jam jam que ruentis
Hospita, servili conditione premor
Et tanquam gravibus vinclis, seu carcere clausæ,
Spem libertatis vix superesse licet
Triste Jugum cervice gero, gravibusque catenis,
Proh dolor! ad mortem non moritura trahor.
Magna satis, reminiscor enim, sperare solebam.
Dum non alter amans, Christe, sed unus eras.
Integritas, species, vestis nova, digna fuere
Sublimis sponsi dote, favore, thoro.
Dos celebris, favor æternus, thorus immaculatus,
Fructus in his, & honor, paxque perennis erat.
Tota placens, quia tota recens, quia candida cultu,
sperabam Cœlos pacta pudore Deum
Ad superos iter arripui, via multa patebat
Qui comitaretur, quique præiret, erat,

Animæ felicitas quinta in statu innocentiæ.

Hei mihi quàm docilis falli, quàm prompta subire
Turpia, quàm velox ad mea damna fui.
Hospitium sponsus mirâ fabricaverat arte,
Quo suscepta brevi tempore casta fui;
Nam mihi versutus, sed origine clarus, adulter
Illusit; famula subreserante fores.
Illius lenocinio periisse pudorem,
Flagitiisque ream succubuisse fleo.
Sic male contemptum sponsi suspiro favorem,
Ad primumque gemens mente recurro virum.
Mussitat, obloquitur, præsentibus imperat uti
Deliciis, opibus, nomine lactat heram.
His perversa modis cæptum pervertit honestum,
Et miseram, quo vult, imperiosa trahit.
Hospitii lex ista mei est, his exul ad horam
Obligor; hoc fœdus solvet amara dies.
Egrediar, sed nescio quò, sed nescio quando,
Et fortasse dies iste supremus erit.
Est igitur ponenda domus quâ libera tristi
Carcere, perpetuo jure manere queam,
Talia deflenti te respondisse recordor,
Singultu voces impediente tuas.
Chara comes, depone metum, desiste querelis,
Ecce quod affectas, quæque precaris agam,
Quos igitur quadros lapides, quæ ligna secari
Præcipis? in manibus virga quid ista facit?
Quam suspiro domum, non sculpto marmore surgit,
Nec mixtâ sabulo calce levatur opus.
Non abies trabibus, non sunt ea saxa columnis
Apta, nihil prorsus quod veterescat, habet.
Omnis enim *; sed vana cano, sed inania venti
Verba, precesque ferunt, vivit in æde lapis.
Ut video monitus mens curis plena refundit:
Non satis hoc tempus, ad mea vota facit.

His deploratis obmutuit, aliquid amplius, ut opinor, locutura, nisi me susceptis occupatum negotiis circumjecturis comperisset oculorum. Occupatus enim eram, nec à cœptis præsentibus accusatrix oratio totum revocabat affectum; quænam tamen foret hæc, admirari tacitus cœpi, quæ mea se jactaret familiaritate, quæ fastidiret carcerem, quæ palatia somniaret. Tandem reductis ad eam luminibus, tali mæstam percunctor alloquio. Multa mihi quæsitu digna tuus offert habitus, multa sermo, multa vultus mœstitudo, nihil horum negligenter, opinor, transeundum: si tamen quæ sis, aut quod nomen tibi sit, prius te monstrante didicero. Hæc abs te doceri desiderans vigilantissimum paciscor auditorem, arrectæ aures, & defixus in te oculus animum disciplinam suscepisse nuntiabunt, & ne supersint aliqua districtæ mentis indicia, virgam hanc projicio, diffusum recolligo spiritum, clientibus edico diuturnam libertatem feriarum, quidquid est, id quo sollicitus detinebar, in crastinum differtur; agè ergò, & dum vacat; prius quæ sis, deinde quidquid malè te habet, explicare non differas. Ad hæc illa velut indignata, quia eam non statim cognoverim, & oculis, & voce, meam sic increpavit tarditatem. Querebar equidem quod hospitæ mihi, jam jamque tabernaculum peregrinationis hujus egressuræ, nullam prorsus domum præparares, nullum provideres refugium. Cæterùm gravior querela restabat & justior, quia tibi sic elapsa est coætaneæ familiaritatis memoria, tanquam si, iuxtà poëtarum deliramenta, supernorum recordationem infernalis tibi lethes extorserit. Quæris etiam quæ sim? Velut oblivio merito-

rum, parua tibi videatur injuria, nisi & ipse fatearis tuum te ignorare cultorem. Hei mihi! quò abjerunt nata tecum obsequia? quò illa declinavit sodalitas, quæ humano, nec incœpta, nec solvenda est arbitrio? Quorsùm fœdus evanuit, quod dictavit natura, quod secretissima lex ordinavit, quod ante ortum percussimus, quod matri prius innotuit quam filiis? Quis apud instabiles amicos, & fortunam explorantes, tam infidam expertus est fidem? Denique, non nosse me, quæ nunquam fuerim sine te, quid est aliud quam vivere bestiam, & hominem diffiteri; ostende si potes, quid egeris sine me, quid disposueris ignorante me, novi cogitationes cordis tui, novi secreta cubiculi tui; si scribis, articulos moveo; si loqueris, os aperio; statuta domus & expensæ, pariterque delinquentium leges famulorum, inveniuntur penes me, providentur per me, promulgantur ex me. Quod si diligentius tua tibi obsequitur familia, meæ noveris esse reverentiæ, non fidei clientelæ; fides ejus me recedente recedet; & qui sepeliendus veram inde somniabas amicitiam, nec simulatam sepultus invenies: nihil eorum manus evadet, qui nunc tibi blandiuntur, nunc assident ægrotanti. Attamen ne nullum ab eis speres obsequium, hi te sepelient ad ostendendum quoque vacui contemptum cadaveris; æque recedent & à pectore memoria, & ab oculo sepultura: fortassis autem flebunt, non quia tam citò, sed quia tam serò abs te discesserim: flebunt quidem; cæterùm, non tam propter te, quàm quia quæ diripiant non invenient circa te; flebunt, inquam, sed si eos populus aspexerit, si viderit ille quem putabunt successorem. Nec mireris eos quibus

Qui sibi non attendit, bestiam vivit.

Hominem moriturum, tum mortuum abominantur amici.

fortasse durus fuisti dominus marcida & languente sollicitudine tuis ministraturos obsequiis, ex quo egredior, veris etiam amicis afferres tædium, vermibus alimentum. Nemo tibi tam proximus est, quem non tædeat aspecti post triduum cadaveris. Offensionis materia est, tam infœlices amici reliquias intueri. Agnoscis igitur me, qui nunquam domum, nunquam cubiculum ingrederis sine me, agnoscis inquam, tam præsentem tibi sociam, tam unicam, tam unitam, agnoscis eam quæ totum te implet, totum regit & possidet. Agnosce sodes, agnosce me, cujus est quod nondum in cineres defluis, nondum infamia contabescis. Inhumanus es, si tot ac tanta diffiteris obsequia: supra bestiam desipis, si tam proximè proximum ignoras. Quod si ratio sic extincta est apud te, sic strangulata benignitas; quid aliud restat, nisi ut & virtutis funus debitis prosequamur exequiis?

Heù quam turpe nefas, quam reprimendum.
Quam discors animæ, quamque pudendum.
Mundi cura movens pectoris æstum,
Infestare docet jus & honestum.
Res abjecta nimis, parque pudori
Virtus est homini, crimen honori,
Virtus vilis apex, dos sine fructu,
Vix impunè places, vix sine luctu.
Tu venale bonum, iners, onerosa,
Merx tantùm superis ambitiosa,
Disponi facilis, dura resumi,
Vanescis velut virgula fumi.
Non est cui placeas simplice voto,
Qui læsam doleat teste remoto.

Jam par pudori virtus est homini, crimen, honori: O tempora!

Qui te gratis amet, vel tueatur,
Qui patrocinium polliceatur.
Laus sublimis opes, crimen egestas,
Præpollet facinus, sordet honestas.
Hà nunc innocuis jura minantur,
Ausi flagitium sceptra lucrantur.
Hà quam sollicito quisque labore,
Occursat medico, carnis amore.
De morbis animæ nulla querela;
Ægrotam sequitur tarda medela.
Quò tam fida comes sim reditura,
Quàm tristem calicem tunc bibitura,
Non attendis homo, quod quæquè fateris,
Nec nosti sociam, nec revereris.
Si nunc, sic etiam sunt tibi nota,
Nec prosunt animæ, tot sua vota.
Esto præmonitus ædibus istis,
Succedet properè mansio tristis.

Et egregiè, inquam, novi te, pudetque tarditatis meæ, quâ ad cognoscendum * unicam meam familiaribus indiciis oportuit excitari, ex quibus & hoc agnovi, quid tibi serenitatem vultus excusserit, quam desideras mansionem. Novi enim quod interior homo noster in amaritudine est, & sicut ait Apostolus: *Ingemiscens parturit, donec liberetur à servitute corruptionis, & transeat in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Idem quoque, quia terrestris domus ista corrumpitur, domum quærit incorruptibilem, domum non manu factam, sed æternam in excelsis, quæ scilicet, quàm beata sit, & quam festivo resultet gaudio, nec præsentis est temporis, nec nostræ facultatis est evolvere. Porrò illud edisseras velim, cur istum quem

* Vel amicã.

Rom. 8. 22.

circumfers humumculum tam graviter accuses, cujusve pedissequæ lenociniis, & delusam te doleas, & corruptam? Nec modo id percunctor, quare tibi vetus hoc & ruinosum displiceat ergastulum, vel cur ab his excarcerari desideres angustiis? Scio enim, & bene scio, quod amplissimam speres mansionem, quod promissa tibi sit civitas spatiosissima & speciosissima, latissima & lætissima, sacratissima & secretissima, ordinatissima & pacatissima, firmissima & tutissima, opulentissima & luminosissima: ejus suspensa desiderio carnales fastidis officinas; demum suspiras in diem, mihi submurmurans: *Cupio dissolui, & esse cum Christo*; cum Christo esse multò melius. Hinc autem specialiter moveor: quia totam corruptionis tuæ causam exteriori adscribis homini; visa sic ex carnis familiaritate conqueri ac dolere; quemadmodum Hercules ex toxicato novercæ indumento. Sed aliter ille mortem, aliter tu carnato tegimine sortita es corruptelam; ille nimirùm nullam vim nocendi, nullam veneni originem vestimento ministravit; quæ Alcidem prosterneret aliundè accessit, non processit ab Alcide; tu autem ad ista ea quæ tibi ipsi sunt noxia, ita ministro uteris corpore, sicut servo Dominus, sicut artifex instrumento. Numquid non ipsa professa es hunc assleclam tuum vivificari ex te, moveri ad omnia per te, saniem esse ac cinerem sine te? An non tuum est, ratione quæ potiora sunt eligere, velle ac nolle, amare & odisse, atque pro his affectibus ad ea quæ sunt bona seu mala movere ac circumferre fidelem servum tuum? Quis tam desperatè delirat, ut januas domus, aut facinoris arguat, aut flagitii: quia per eas Dominus egre-

Justè anima sui carceris impatiens, quæ civitatem latissimā letissimamque, &c. expectat.

Phil. 1. 23.

Quasi caro sit criminum causa, non vero anima in cujus potestate sit, velle, nolle, consentire, reprimere, &c.

ditur ad ſacrilegium, egreditur ad furtum? Cur itaque tui fuco criminis alienam inficis innocentiam? Quid eſt quod præſſentis tam malè de malo meo, tuum autem tam paternè diſſimulas, tam triſtè commemoras, tam miſericorditer excuſas. Attamen Salomonem legiſti, de his qui bona ſua, ſeu mala aliter penſant, aliter aliena, ſic dicentem: *pondus & pondus, ſtatera & ſtatera, utrumque abominabile eſt ante Deum?* Quænam itaque ſit adverſum me querimonia, vel quomodo carneum hoc hoſpitium ſpiritualem inquinet puritatem, ſollicitus audire deſidero. Plurima ſunt quæ tibi de me melius innoteſcunt, ea quæcumque ſint diſcere malo atque corrigere, quam mihi de falſa blandiri, atque applaudere juſtitia. Ego enim meum errorem libenter audio, ſed ab eo qui errorem recitat non libenter; amicus ille eſt, & quærit abolere vitium, non inſultare vitioſo. Si qua ergo tibi ratio ſuffragatur, in medium veniat, nec dilatio cruciet expectantem; longa enim omnis mora, quâ doctrina differtur honeſtatis. Tunc illa velut ad patientiam me provocans tali ſollicitum demulſit cantilena.

Prov. 10. v. 10.

Ab eo libens auditur correptio, qui eam non fecerit libens.

Multa duces Latii pro libertate tulere,
Exilio ſobolem, gladio caput expoſuere.
Fœlices, ſi triſte jugum ſic excuteretur,
Nec miſeros quicquam miſerabilius ſequeretur.
Sed grave ſervitium male libera colla premebat,
Et dominos centum ſua crimina quiſque ferebat.
Vivere ſub verâ ſi libertate placeret,
Non homini, ſed peccato ſervire puderet.
Illud enim tranſit, & ſaltem morte levatur,
Hoc eſt æternum, nec finem fine lucratur.

Quid igitur dices, non æquâ mente ferendum,
Dummodo detrectes Dominum, jugumque tremendum.
Hunc Dominum ne quando feras, me ferre memento
Sitque tibi Petri patientia pro documento.
Cum tulerat Petro petra summum Pontificatum,
Et gregis excubias, & cœli clavigeratum.
Petrus Apostolico jam sublimatus honore,
Clarebat merito, signis, virtutibus, ore,
Reddita jam claudo vestigia, vita Thabitæ:
Saphyra jam luerat crimen discrimine vitæ:
Jam morbos vestis, jam morbos verba fugarant,
Jamque paralyticos oratio sacra levarat.
Huic tamen, huic Petro placuit correctio Pauli,
Nec Paulo Petrus objecit crimina Pauli.
Ergo dùm doceo quæ corruptela trahatur,
Quæ mihi mors ex te; patienter utrumq; feratur.
Moribus alludit non ægre ferre docentem,
Hunc aspernari fœcundat crimine mentem.

Quam patiẽs Petrus Pauli correptionẽ audierit. Est ejusmodi.

Sicut video minus ægrè decantatam sustinuisti querimoniam, idque tibi rugam traxit, quod carnali huic hospitio, tot calamitates meas adscripserim, quòd illud turpium arguerim voluptatum, quod ejus attramento oblitam illachrymaverim libertatem. Quorum te authorem dici ideo stomacharis & obstupescis: quia videor tibi non aliter ad ea ministro uti corpore, quam, vel Dominus servo, vel artifex instrumento. Cæterùm longè alia senserunt & sanxerunt Christianę fidei splendidissimi fundatores. Facilè disces consideratis eorum testimoniis, quis in culpa prior sit, quantùm reatus alteri singulariter, quantùm

utrique conveniat imputandum; & ne talium re primordia calamitatum velut ignota prætereant, paulò altiùs nisi tædeat inchoabo. Antequam vitale edictum jejunii mortifero solveretur edulio; cultores paradisi, nullam in paradiso pertulere molestiam, nihilque erat ex carne quod animam infestaret, nihil ex anima quod offenderet creatorem, nihil inquam, nihil omninò, quò, vel eorum minuerentur delitiæ, vel innocentia frangeretur. De quorum profectu & gloria pariter & justitia Augustinus de civitate Dei. Vivebat, inquit, homo in paradiso sicut volebat, quamdiù hoc volebat quod Deus jusserat: vivebat fruens Deo, ex quo bono, erat bonus: vivebat sine ullâ egestate, ita semper vivere habens in potestate, &c. Idem quoque contra Julianum; absit, ait, ut credamus aliquid fuisse unde sensũ nostrum, sive intrinsecus, sive extrinsecus, aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor ureret, aut algor stringeret, aut horror offenderet. Eccè vides illis habitatoribus paradisi nihil intrinsecus innatum, nihil oblatum extrinsecus, quod vel à gloria creaturæ, vel à reverentia declinaret creatoris. Cæterùm adversus istam carnis ac spiritus concordiam, adversus confluentes undique beatitudines, forinsecę quædam insurrexerunt illecebræ; serpens scilicet callidior omnibus animantibus; pomumque pulchrum visu & ad vescendum suave. His hostibus & fragilior natura tentata est, & sexus ad resistendum debilior; Tentata est enim caro nostra, tentata est mulier, & in eadem personâ explorata est conditio, quæ vel fame cederet, vel simplicitate falleretur: laboriosum fuit tot persuasionibus unam circumveniri

Pacatissimus Adæ status.

Aug. de civ. Dei l. 13. c. 12. 13. &c. & l. 12. à c. 10. eam fuse pertractat exhauritque materiam.

In paradiso nec dolor, nec labor, nec pudor, nec horror, &c.

Multa restituimus ex cod. Sanvictor.

veniri & fœminam, cum adversus eam & cibus ageret, & astutia perorarer. Caro itaque novis delectata & excitata consiliis, novam sibi ascivit audaciam, qua ipsa jam provocata ad edendum, spiritum provocavit ad consensum. Inde factum catholica testatur autoritas, ut ex subigente carne & subacto spiritu, velut ex marito & conjuge, primum illud gigneretur delictum, quo nec infans mundus asseritur cujus est unius diei vita super terram. Ex eo igitur tempore perennem cum carne familiaritatem carnales illecebræ pepigerunt. Vetus hæc, & in paradiso cœpta societàs stabilis & firma cohæsit, ut adhuc ejus vinculis tota astricta teneatur posteritas; unde de voluptate triumphat, de quo semel voluptas triumphavit; unde ei difficile resistitur, quoniam facta est in primo conflictu superior: hostes enim ex successibus animantur, aliamque trahit victoriam fuisse victorem. Præterea si quid usu jocundum est, ad id sanè gratuitu declinatur; hinc est, quod caro carnalia suspirat oblectamenta, quorum quantò experientia gratior est, tantò intemperantior appetitus. Hanc membrorum legem nec baptismus obliterat, nec tempus destruit, nec voluntas abradit, indissolubili scripta est attramento, ejusque decretum filii non sponte perferunt, cui parentes sponte se subdiderunt. Illius quidem reatui sacra medetur ablutio, sed quod ipsa permaneat, gemitus & querimoniæ sanctarum testantur animarum; raptus usque *ad tertium Cœlum*, & audiens arcana *verba quæ non licet homini loqui*, sentire se tamen conqueritur *hanc legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivum eum trahentem sub lege*

Promiscuè carnem pro Eva, Evam pro carne posuit more Patrum, Augustini, Greg.

Cód. uterque. *ejus.*

Aliam trahit victoriam fuisse victorem.

Alludit ad illud. *Iob. 13. Scribis enim contra me amaritudines* In quæ verba D. Greg. Mor. c. 23. *Quod loquimur transit, quod scribimus manet,* &c.

2. *Cor.* 12. 4. *Rom.* 7. 23.

peccati. De hac eadem lege familiaris ille tuus Augustinus contra hæreticum Julianum sic loquitur: Lex ista peccati quæ in membris est corporis mortis hujus, & remissa est generatione spiritali, & manet in carne mortali; remissa scilicet, quia reatus ejus solutus est sacramento quo renascuntur infideles; manet autem, quia operantur desideria contra quæ dimicant & fideles. Ut igitur Aristotelem sophismatibus argutiis Ulyssem, Simonem fallaciis antecedas, frustrà tamen persuadere conaberis hoc te liberam lenocinio, cujus veneres, & naturæ debito sustinentur, & refrenantur auxilio gratiæ. De ejus tamen reatu nulla mihi est adversum te quærimonia, de morbo etenim conquæri, cui plenum in sacro fonte provisum est remedium, salutiferæ est derogare medicinæ. De quotidianis autem infestationibus tuis, de dissoluta pudentia tua si dolere me negavero, secreti gemitus & trahentia fletum suspiria, quorum melior testis nullus est, mendacem me conclamabunt. Queror enim, tuoque gravis onere, nec quod volo faciens, sed quod nolo illud agens, cum Paulo quotidie deploro: *Infælix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Hanc profectò ea ætate penitus ignoravi, quia pariter & stimulus peccati & usus delituit rationis: virgo sponsa de sponso virgine gloriabar, qui quando vellet ad illas me vocaret nuptias, ubi sedet paranymphus Apostolorum chorus, ubi psaltes est David, ubi organa resonant Angelorũ. Parabatur, & sperabatur mihi quietus ille custosque pudoris thalamus, ubi casta proles est, nec mariti gratiam furatur ignium multitudo, ubi nullus repudii libellus, ubi tam pudicè sponsam sibi

Suspicor ejus Simonis Sophistæ fieri mentionem cujus rapinas, fraudes meminit, Suidas in collectan. & Aristophanes: *Ubi Simonem, inquit, evaserint, lupi confestim evadunt.* Vide Iunium in adagiis centu quintà.

Peccato originali plenum in sacro fonte provisum est remedium.

Rom. 7. 24.

ſponſus aſtringit, ut ignoret & amplexus concupiſcentiam & contactus corruptelam. Me miſeram dum talis ad ſolemnia talium ſuccingerer nuptiarum: *Factus es mihi tu, tu, inquam, mihi factus es lapis offenſionis, & petra ſcandali: factus es coluber in via, & ceraſtes in ſemitâ.* Ex quo enim conſopitum evigilavit arbitrium, ſicut ſues volutabro, ſic ſe tibi libidinum contemptus obtulit, ſic involvit: eis te nimis hoſpitalem, nimis officioſum præſtitiſti, totus earum congratulatus es adventui, diffusè morigeratus priſcæ illi amicitiæ quam cum ipſis & ſub ficu pepigeras, & decreto firmaveras inconcuſſo. Hujus fœderatæ tuæ memores, ſicut ad ſentinam ſtillicidia, ſic undique ad hanc infimam & infirmam carnis laſciviam concurrere didicerunt; unde & aliæ quidem per corporeos ſenſus, aliæ verò per occurſantes cogitationum imagines irregreſſibiles, ad te fecerunt irruptionem; turbatum indè carnale hoc luteumque diverſorium, quendam quaſi verſati cœni fœtorem in me, proh pudor, exhalavit; nec potui non ſentire peſtilentem auram exagitati volutabri, communem mihi cum ſpurcis porcis inhabitans manſionem. Preterea carcer iſte compactus eſt materia, cui facile inhæreat admotarum flamma voluptatum. Quis igitur ejus incarceratum calefieri dubitet, in quem cineres & favillas vicinum jaculatur incendium? Vides igitur quæ concupiſcentia, quaſi maſculam moveat carnem, qua improbitate conſenſum ſpiritus talis ſibi maritus extorqueat, quæ progenies ab utroque generetur: Vides inquam, quomodo me fœtor afflet alienus, quos vapores ex admoto ſuſtineam incendio: Vides hoc & indignaris,

1. Pet. 2. 8.

Gen. 49. 17.

Quot animæ detrimenta accidant ex carnis petulantia.

Vbi vulgat. *Sicut cremium, &c.* Auguſtinus legit: *Sicut in frixorio confrixa ſunt*

Ita & Hieron. & alii Septuaginta sequuti.
Psal. 101. 4.
Phil. 1. 23.
Cod. Sanvict. *Submeliores.*

si de frixorio carnis conqueror, in quo pinguedinis meæ vigor exsiccatus est, *& ossa mea sicut cremium aruerunt*. Quid mirùm, si de lascivia tua in qua cum luculentis suibus ingredi vereor, egredi volo. *Volo* enim, *cupioque dissolui, & esse cum Christo*. Quia cum Christo esse, multò melius. Porrò meliores animas id affectasse reperies, easque testimonium meis assertionibus, & experimento perhibuisse, & verbo. Quid enim David aliud petebat cùm diceret: *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me*, nisi ut naturaliter concupiscentem adversus spiritum carnem, quia voluntas non poterat, gratia refrænaret? Quid apertius eo quod dicit Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem?* Hic itaque tuus adversum me conflictus, quot & quantùm beatos actus meos evacuet, aut quæ gaudia frequentibus molestiis interrumpat supradictis addere non tædebit. Ac ne male deliciosus prosam fastidias longiorem, promissa mea metrico persolvam compendio. Illud autem quod dicis; meum esse, ratione quæ sunt potiora eligere, velle ac nolle, amare & odisse, atque propriis affectibus ad ea quæ bona sunt, seu mala movere ac circumferre fidelem servum meum; si vigilantius attendas ingratitudinis & impatientiæ arguit te, cui totum illud non aliter ad salutem operatur, aut famulatur, quàm, vel ægrè dicta, vel superbæ conjugi severior & morosa mariti correctio. Inde etenim adversus occursantium venena voluptatum, quædam tibi mandata præveniunt, describuntur noxia, salutaria nuntiantur. Si ergo inter hujus vitæ limites appetitum coerceas, bo-

Psal. 24. 12.

1. *Gal.* 5. 17.

Objectionibus carnis promittit se responsurum.

na & convertibilis valetudo perennem promittit & jurat apud te mansionem; si verò vel concessa recuses, vel immineas interdictis, neque te corruptibile hoc induet incorruptionem, neque immortale hoc immortalitatem, de quo si nondum tibi satisfactum est, alio tempore plenius respondebo sciscitanti. 1. Cor. 15.

VIs animæ humanæ septem sibi vindicat actus. De septiformi virtute animæ.

Vivificat, sentit, varias amplectitur artes,
Corrigit excessus, virtutibus instat, in ipsam
Dirigit intuitum deitatem, gaudet in illa.
Seminibus quoque primus inest, animalia bruta
Participant alium, duo, nostræ proprietatis Vterque cod. sic legit:
Tres sunt, & superum superi non ante feruntur.
Ex actu primo vegetantur corpora, crescunt,
Provenit inde vigor, nexus, cómplexio, motus,
Et status, & species, & convenientia quædam.
Ex alio tangit, videt, audit, gustat, odorat,
Odit, amat, petit apta sibi, contraria vitat,
Soluitur in somnos, in somnia mente vagatur,
Præteriti meminit, venturis instat, agitque
Plurima* quæ non sensu, sed ratione geruntur. * Reg. Plurima quæ sensu non, & ratione.
Tertius ingenuas, aliasque perambulat artes,
Quæque vel ingenium, vel disciplina ministrat,
Colligit, & vario provectu mentibus hæret.
Quartus ab illicitis, nec non quoscumque reatus
Abjurare docet, ex tunc agnoscere se se
Incipit, inque novum niti, ac transire decorem.
Discimus ex quinto naturæ lege teneri,
Res inconcessas virtutis amore cavere,
Concessis aliquot, & sine teste carere,
Sextus in aspectum solis, lucisque supremæ,

Penè parem superis animam rapit immaculatam.
Septimus astringit, stabilique subarrat amore,
Collateraque Deo, quam dotem jam speculetur,
Quos thalamos, quis cultus eam, quæ festa serenent.
Quis dicat, speciosa veni, dixere beatæ
Majoresque animæ, nec eis tamen aut ea virtus
Aut ea lingua fuit quibus hoc aperire liceret,
Excedit sensum, meritumque recondita merces.

Hos actus si negas carnis impediri desideriis; profectò, vel penitus infra hominem defecisti, vel supra hominem profecisti, qui solus tam liberè beatus es, ut eam nescias concupiscentiam, quæ adversus præfatos actus, & numeroso militat exercitu, & diverso triumphat effectu, neque enim in omnes animas par licentia est ei, sed unaquæque, sicut occursantibus, aut resistit, aut favet illecebris, ita suam vel conservat, vel amittit libertatem; ipsi quoque actus non eodem tempore omnes, nec omni infestantur molestia; alii quippe, quasi seges in gramine præfocantur, alii verò jam provecti, velut in spicis grana quæ fervor nimius exurit, marcescunt. Est itaque quod illos impugnet intrinsecus, quod extrinsecus illos evacuet, quæ ut tibi manifestius innotescant, infestationes ac ruinas singulorum, prout mihi desursum dabitur, aperire non tædebit. Primus itaque noster actus vivificatio est, secundus sensus, tertius ars, quartus correctio, quintus virtus, sextus contemplatio, septimus quies. Hæc illis nomina indidit vim singulorum perscrutata diligentius antiquitas. Eorum primus, quantò carni gratior est, tantò à carnis inquietudine secu-

De vivificatione primũ agit: quæ quantò car-

rior; caro enim vivificationis amat officium, tantamque cum eo pepigit pacem, ut si quid ei contrarium noverit, & implacabili abhorreat odio, & curiosa sollicitudine adversetur. Hinc est quod isti qui cum Paulo clamant: *Cupio dissolui, & esse cum Christo*, mortem tamen ideo formidant, quia caro naturaliter hoc animæ lætatur officio. Christus mori venerat, & tamen dicebat: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Idem quoque cum remotus à discipulis prolixius oraret, usque ad sudorem sanguinis anxietate passionis commovit semetipsum; in cujus profectò verbo, nihil aliud intelligendum reverenda tradidit autoritas, nisi quandam carnis convivificationem, quæ sic inerat lege naturæ, ut tamen bonum non impediret obedientiæ. Quæ cum ita sint, tantum tuum amorem tamque germanum fœdus plerumque supervenientes irrumpunt molestiæ, quibus caro excitata ad vivificationis odium, spiritum sollicitat ad consensum; ea quippè sicut illecebrarum desiderio, sic anxietate sollicitudinum perniciosè commovetur, quibus dum venatrix illa deliciarum diù subesse, diuque fatigari formidat, paulatim tædere incipit vitæ, placetque vivificationis abjurare gratiam, cujus obsequia permixtis amarescunt incommodis. Inde fit ut ea vitæ odiis accensa quasdam velut faculas in hospitem vaporet animam, quibus ipsa quoque eodem concaleat, & coæstuet incendio. Sentinæ fœtorem, vix, aut numquam navis gubernator evadet; minus est affectum quo summe plena est corporis navicula ad rectum spiritum minimè pervenire, quo perfusus ipse tam carnaliter carnis morigeratur imperiis, ut per eam vivificationem impugnare mag-

ni gratior, tantò ab ejus inquietudine securior.

Phil. 1.23.

Mat. 26. 36.

An, & quomodo Christus horruerit mortem.

Caro vivificationis impatiens, animam ad vitæ odium provocat.

num putet obſequium, cui vivere magnum putet ſupplicium: naſcitur inde turpis, ac ridiculoſus mortis appetitus ac nequam progenies quæ more viperæ ſuos plerumque ſuffocat, & extinguit genitores. Nonnullos tua quoque tempora habuerunt, quos vel in aquas, uel laqueum amiſſæ dolor egit pecuniæ. Nam de veteribus quid loquar, quorum ſimili provocati inſaniâ veridicis aſſertionibus poetæ nequaquam tacuerunt. Numquid non recolis, idem te atteſtatum, cum affectæ mortis originem ſuppoſitis decantares verſiculis?

Simul doleamus, & deſperatorum, & hujus pulcherrimi libelli finem.

Cum placeat carni, quod vivificatur, ametque
Hoc animæ obſequium, tamen evenit, ut diuturnis
Fracta malis vitam faſtidiat, abdicet annos,
Malit obire ſemel, quam ſæpius, atque ſuprema
Morte rapi, quam tot pereuntibus eſſe ſuperſtes.
Sed licet his inſtet, non eſt homicida voluntas,
Donec declinet faveatque uxoribus illi
Spiritus, hoc ſtimulis & blanda lite ſubacto
Gignitur exceſſus, quia dum caro clamat, eamque
Spiritus exaudit, conſenſu culpa creatur,
Inque creando nefas, caro fit vir, ſpiritus vxor.

FINIS.





HILDEBERTI
OPUSCULA METRICA.
DE CONCORDIA VETERIS ET NOVI TESTAMENTI LIBER UNUS.

CAPUT PRIMUM.

De necessitate incarnationis, eiusque convenientia.



Dæ peccatum quæ conveniens aboleret,
Victima? si quid, homo? sed & hic reus, unde placaret?*
Angelus, an fruges, an vacca? sed hostia talis,
Naturâ dispar, pretio minor, esset inanis.
Hæc eadem quæ displicuit natura manere
Debuit, atque aliquid quo pacificaret habere.
Ergo fuit quærendus homo, cui præter idipsum
Quod puri est hominis, quiddam foret, unde placeret.

* Cod. Sanvict. *placeret* vide Sexto versu infra.

Unitur carni Deus, & natura creatrix
Quem redimit, recipit, fit & ipsa redempta redemptrix.
Par homini, quia verus homo, sed dignior ortu,
Dissimilis culpâ, deitate potentior idem.
Quem quia non genuit ex lapsu nata voluptas
Intus pro lapsis agit, occisusque perorat
Hostia sufficiens, quæ cœlos cive replevit,
Quâ furor offensi cecidit, quâ gratia crevit.
Antidotum fœlix, quo vulnera nostra cohærent,
Angelus exultat, homo gaudet, tartara mærent.

CAPUT II.

Quod Dominus Iesus ritibus Iudaïcis finem imposuit, & de Eucharistia.

ANte pro peccato panis factus hostia
Legi cessit; & post legem, redit ad altaria.

Melchisedech Domino, panem vinumque litavit,
Christus idem statuens pactum vetus evacuavit.
Inter utrumque diu fuit alter sacrificandi
Ritus, & obtinuit vim qualemcumque piandi.
Agnus enim legis, carnales diluit actus,
Agnum præsignans, qui nos lavat, hostia factus.
Hoc semel oblato cursum semel * ille peregit,
Quod que fuit signum, præsens effectus abegit,
Quis locus auroræ, postquam sol venit ad ortum;
Quisve locus votis teneat, cum navita portum?
Lex aurora fuit, bos & capra vota fuere,
Crux sol, crux portus: hæc omnia præteriere.

* Cod. Sanvictor. Prior.

Crux clausit Templum, crux soluit ænigmata legis,
Sub cruce cessat Ephod, & deficit unctio Regis.
Hircus, ovis, passer, vervex & adeps vitulorum,
Nil præconantur, Deus hostia finis eorum.
Parcat hebræus ovi; caro carnes abstulit aræ;
Est pecudum pecudes post Christum sacrificare.
Mortuus ille semel, licet ultrà non moriatur,
Idem quotidie sine vulnere sacrificatur.
Panis in altari, Deus in cruce, nil dubitetur:
Hoc verbo * vitæ fieri vita ipsa fatetur
(Quæ vegetet mentem, nisi Christus inania sanxit,
In Christi carnem panis substantia transit.)
Hac in carne, nihil carnale, nihilve cruentum,
Spiritus hanc tangit, videt, accipit ad monumentum,
Ordo sacer, bona traditio, pia victima panis,
Unde procul facinus, procul horror, & usus inanis.
Secretum fœlix, nova virtus, utile sacrum,
Quo factus sanguis liquor est vitale lavacrum.
Jam quia peccantes medicina semper egemus,
Hanc pro peccatis medicinam semper habemus,
Hæc datur ad vitam, sed si reus hunc verearis
Qui patris ad dextram sedens mactatur in aris.
Ecce vides in lege typos, & signa perisse,
Ad propriumque caput tria sacramenta redisse.

Cod. Reg. *Verbum*: Quæ intercluduntur, parenthesi Cod. San. non habet.

Nota. De transubstantiatione.

Cod. Reg. *Ecce.*

San-victor. *hanc*: male, ad sequentem enim versum refertur.

CAPUT III.

Quod Baptismus circumcisioni successit.

Baptismatis quondam forma fuit in diluvio,
Huic successit, huic cessura carnis circumcisio,

Hostia, connubium, Baptismus, qualia primò,
Talia nunc, res ipsa redit, nunc vanuit umbra.
Diluvium speciem, Baptismus gessit, & unda
Abluit excessus, undis quandoque lavandus.
Preputium post diluvium, successio thare
Deposuit, ritusque fuit sic prava piare.
Circumcisa caro lavit sub lege reatus
Illud agens, quod agit fons sub cruce sanctificatus.
Fons pueris, * fons simplicibus, fons crimine mundis,
Ad vitam prodest, crux hoc accommodat undis.
Talis aut meritis, aut ævo profuit ante
Circumcisa cutis, sed Christi morte juvante
Ritus uterque sacer, quia sanguis utrumque sacravit
Tempus, utrique suum corpus piat, umbra piavit
Supplicium, sed mysterium, sed tempore sacrum:
Præco fuit, quia præcinuit fluviale lavacrum:
Præconem docuit, Domino præsente silere,
Nec non & Dominum, præcone silente, jubere.
Sic ad se Baptisma redit, cessante figurâ:
Sic involuit aquis sua circumcisio jura,

* Reg. diluvij speciem Baptismus.

Sanvi. puris.

CAPUT IV.

De coniugij Sacramento in utraque lege.

Ut cognatos & affines uniret conjugium,
Raritate primæ prolis fuit necessarium.
Ut augerent charitatem nuptiæ sub gratia,
Ad externos transierunt sacra matrimonia,

Affines, consanguineos connubia prima
Non susceperunt, nec proles una, nec unus.
Unius conjux fuit Eva, vir unius Adam.
Pręcessit coitum benedictio, gratia prolem
Nupta seqiens, non sic, cui copia parva virorum
Affinem, consanguineum, fratremque jugavit.
Hinc etiam plures uni nupsere marito,
Non solùm, quia quemque parem non inveniebat,
Sed quia Messiam proles paritura placebat.
Tu genitrix Isaac venturi præscia Christi
Conjugii sociam patienter sustinuisti.
Ante datam legem, Jacob, & Rachel, & Lia nupsit.
Uxores sub lege duas simul Elcana duxit:
Quæsita est soboles, non affectata voluptas.
Temporis illius si vis attendere nuptas,
Non sibi, sed generi matrona satisfaciebat,
Hinc uni multæ, non multis una maritis
Hæserunt, pariter velut ulmo plurima vitis.
Unus enim multis ad prolem sufficiebat,
Pluribus una viris, non quo generaret egebat.
Sic populum Domini peperere sacræ mulieres,
Unde creandus erat suus ille redemptor & hæres.
Illius adventus connubia vera reduxit,
Inde nec affinis, nec proxima sanguine nupsit:
Nàm descendentes ab eâdem stirpe ligantur
Proximitate sua, charique sibi generantur.
Nil amplexus eis ad honestum præstat amorem
Nam satis hunc fratrem, satis est hanc esse sororem
Inter eos ideò connubia nulla jugantur,
Quos generis pietas & gratia pręcomittantur.
Vult Deus ut fiant, quia non nascuntur amici,
Vult homines aliud, quam cognatos sibi dici:
Illas uxores, istos vult esse maritos,

* Forsan, petebat.

* Forsan petebat.

Ex alienigenis, illas, istosque petitos.
*Reg. quo. Conjugale bonum quos * stirps sua separat, unit:
Fœderat hoc populos, ligat urbes, mœnia munit.
Sic diffusus amor, sic res hæc publica crevit.
Sic mundus discors quęsitâ pace quievit.
Ut sacra sub Christo dilectio porrigeretur
Fœmina sub Christo, sic nubere lege jubetur.



S. HILDEBERTI ORATIONUM THEOLOGICARUM LIBER UNUS.

ORATIO PRIMA.

Ad Patrem.

Alpha & omega, Deus meus,
Eli, Eli, meus Deus,
Cujus virtus totum posse,
Cujus sensus totum nosse,
Cujus esse summum bonum,
Cujus opus quidquid bonum;
Super cuncta, subter cuncta,
Extra cuncta, intra cuncta,
Infra cuncta non inclusus,

Extra cuncta non exclusus,
Subter cuncta non substractus,
Super cuncta non elatus.
Super totus possidendo,
Subter totus sustinendo,
Extrà totus complectendo,
Intra totus es implendo.
Intrâ nunquam coarctaris,
Extra nusquam dilataris,
Subter nullo fatigaris,
Super nullo sustentaris.
Mundum movens, non moveris,
Locum tenens, non teneris,
Tempus mutans, non mutaris,
Vaga firmans non vagaris.
Vis alterna, vel necesse
Non alternat tuum esse.
Heri nostrum, cras & pridem,
Semper tibi nunc & idem;
Tuum Deus hodiernum,
Indivisum, sempiternum.
In hoc totum providisti,
Totum simul perfecisti,
Ad exemplar summæ mentis
Formam præstans elementis.

Oratio ad Filium.

NAte Patri coæqualis,
Patri consubstantialis,
Patris splendor, & figura,
Factor, factus creatura,
Carnem nostram induisti,
Causam nostram suscepisti,

Sempiternus temporalis,
Moriturus immortalis,
Verus homo, verus Deus,
Impermixtus homo Deus.
Non conversus hic in carnem,
Nec consumptus propter carnem.
Hic assumptus es in Deum,
Nec consumptus propter Deum.
Patri compar Deitate,
Minor carnis veritate.
Deus Pater tantum Dei,
Virgo mater, sed & Dei.
In tam nova ligatura,
Sic utraque stat natura,
Ut conservet quidquid erat,
Facta quiddam quod non erat.
Noster iste Mediator,
Noster iste Legislator,
Circumcisus, baptisatus,
Crucifixus, tumulatus,
Obdormivit, & descendit;
Sic ad Cœlos elevatus,
Judicabit judicatus.

Oratio ad Spiritum Sanctum.

PAraclytus increatus,
Neque factus, neque natus,
Patri consors genitoque,
Sic procedit ab utroque.
Nec est minor potestate,
Nec discretus qualitate.
Quanti illi, tantus iste;
Quales illi, talis iste;

Ex quo illi, ex tunc iste;
Quantùm illi, tantum iste.
Pater alter sed gignendo,
Natus alter, sed nascendo,
Flamen ab his procedendo,
Tres sunt unum subsistendo.
Quisque trium plenus Deus,
Non tres tamen dij, sed Deus.
In hoc Deo, Deo vero,
Tres & unum assevero,
Dans usiæ unitatem,
Et personis Trinitatem.
In personis nulla prior,
Nulla major, nulla minor.
Unaquæque semper ipsa,
Sic est constans atque fixa
Ut nec in se varietur,
Nec in ulla transmutetur.
Hæc est fides orthodoxa,
Non hic error sine noxa,
Sicut dico, sic & credo,
Non in pravam partem cedo.
Inde veni bone Deus,
Ne desperem quamvis reus,
Reus morte non despero,
Sed in morte vitam quæro,
Quo te placem, nil prætendo,
Nisi fidem quam ostendo:
Fidem vides, hac imploro,
Leva fascem quâ laboro;
Per hoc sacrum cataplasma,
Convalescat ægrum plasma,
Extra portam jam delatum,
Jam fœtentem, tumulatum

Vitta ligat, lapis urget,
Sed si jubes hic resurget:
Jube, lapis revoluetur,
Jube, vitta disrumpetur,
Ioan. 11. 11 Exiturus nescit moras,
44. Postquam clamas; exi foras.
In hoc solo mea ratis
Infestatur à piratis,
Hinc assultus, inde fluctus,
Hinc & inde, mors & luctus:
Sed tu bone nauta, veni,
Preme ventos, mare leni,
Fac, abscedant hi piratæ,
Duc ad portum, salva rate.
Mat. 11. Infœcunda mea ficus,
Cujus ramus, ramus siccus,
Incidetur, incendetur,
Si promulgas quæ meretur.
Sed hoc anno dimittatur,
Stercoretur, fodiatur.
Quod si nondum respondebit,
Flens hoc loquor, tunc ardebit.
Vetus hostis in me furit,
Aquis mersat, flammis urit,
Inde languens & afflictus,
Tibi soli sum relictus.
Ut hic hostis evanescat,
Ut infirmus convalescat,
Tu virtutem jejunandi
Des infirmo, des orandi.
Per hæc duo, Christo teste,
liberabor ab hac peste.
Ab hac peste solve mentem,
Fac devotum pœnitentem,

Da timorem, quo projecto
De salute nil conjecto:
Da spem, fidem, charitatem,
Da discretam pietatem;
Da contemptum terrenorum,
Appetitum supernorum.
Totum Deus in te spero,
Deus ex te totum quæro.
Tu laus mea, meum bonum,
Mea cuncta tuum donum:
Tu solamen in labore,
Medicamen in languore,
Tu in luctu mea lyra,
Tu lenimen es in ira,
Tu in arcto liberator,
Tu in lapsu relevator:
Mecum præstas in provectu,
Spem conservas in defectu.
Si quis lædit, tu rependis,
Si minetur, tu defendis:
Quod est anceps tu dissolvis,
Quod tegendum tu involuis.
Tu intrare me non sinas,
Infernales Officinas,
Ubi mœror, ubi metus,
Ubi fœtor, ubi fletus,
Ubi probra deteguntur,
Ubi rei confunduntur,
Ubi tortor sempe cedens,
Ubi vermis semper edens,
Ubi totum hoc perenne,
Quasi perpes mors gehennæ.
Me receptet Sion illa,
Sion David urbs tranquilla,

Cujus faber auctor lucis,
Cujus signum lignum crucis,
Cujus claves lingua Petri,
Cujus cives semper læti,
Cujus muri lapis vivus,
Cujus custos rex festivus:
In hac urbe lux solemnis,
Ver æternum, pax perennis:
In hac ordo implens cælos,
In hac semper festum melos,
Non est ibi corruptela,
Non defectus, non querela,
Non minuti, non deformes,
Omnes Christo sunt conformes.
Urbs cælestis, urbs beata,
Supra petram collocatá,
Urbs in portu satis tuto,
De longinquo te saluto,
Te saluto, te suspiro,
Te affecto, te requiro,
Quantùm tui gratulantur,
Quàm festivè convivantur,
Quis affectus eos stringat,
Aut quæ gemma muros pingat,
Qui Chalcedon, qui Hyacinthus,
Norunt illi qui sunt intus.
In plateis hujus urbis,
Sociatus piis turbis,
Cum Moyse & Elia,
Præsta cantem, Alleluya.

S. HILDEBERTI

De suo exilio.

LIBER UNUS.

NUper eram locuples, multisque beatus amicis,
Et risere diu fata secunda mihi.
Larga Ceres, Deus Arcadiæ, baccusque replebant
Horrea, tecta, penum, farre, bidente, mero.
Hortus, apes, famulæ, pulmento, melle, tapetis
Ditabunt largè, prandia, vasa, domum.
Dextra laborabat gemmis, pomeria fructu,
Prata redundabant gramine, lacte greges.
Agger opum, tranquilla quies, numerosus amicus,
Delicias, somnos, consiliumque dabant.
Cœtera quid referam, mœstos solantia vultus,
Omnia captatæ prosperitatis erant.
Jurares superos intra mea vota teneri,
Et res occasum jam dedicisse pati.
Mirabar sic te, te sic fortuna fidelem,
Mirabar stabilem quæ levis esse soles!
Sæpe mihi dixi: quorsum tam prospera rerum,
Quid sibi vult tantus, tam citus agger opum?
Hei mihi! nulla fides, nulla est constantia rebus,
Res ipsæ quid sint mobilitate docent.
Res hominum atque homines levis area versat in horas,
Et venit à summo summa ruina gradu.

Cuncta sub ancipiti pendent mortalia casu,
Et spondent propria mobilitate fugam,
Quidquid habes hodie, cras te fortasse relinquet,
Aut modo dum loqueris desinet esse tuum.
Has ludit fortuna vices, regesque superbos,
Et servos humiles non sinit esse diu.
Illa dolosa comes sola levitate fidelis,
Non impune favet, aut sine fine premit.
Illa mihi quondam risu blandita sereno,
Mutavit vultus nubila facta suos.
Et velut æternam misero conata ruinam,
Spem quoque lætitiæ detrahit illa mihi.
Illa professa dolum, submersit, diruit, ussit,
Culta, domos, vites, imbribus, igne, gelu.
Insuper exhausit, excussit, debilitavit,
Hoste, notho, morbis, horrea, poma, gregem
Accessit damnis gravis ille malusque tyrannus,
Quo Cœnomanorum Consule, jus periit.
Cujus avos puduit scelerum genuisse patronum,
Fortunæque parem, mobilitate, dolis,
Ille pudor patriæ, me non impune tuentem
Justitiæ leges, expulit à patria.
Inque ratem scando, vitam committo procellis,
Vela tument, duplici cimba juvatur ope.
Portus erat longè cum ventus fortior æstum
Impulit in tumulos, auster aravit aquas.
Crescit hyems, agit aura ratem, furit unda dehiscens,
Desperare jubent venti, mare, turbine, fluctu,
Occursu rupes, ignibus ipse polus.
In fragilem pinum totus prope digerit iras
Orbis, & est hostis quidquid obesse potest.
Dum sic sævit hyems, dum pallet & ipse magister,
Dum stupet, & fieri piscibus esca timet:

Ecce rapax turbo tollens ad sidera fluctus,
Impulit ad littus jam sine puppe ratem.
Sic misere foelix quassa rate, rebus ademptis,
Evasi ventos, æquora, saxa, Jovem.
Ecce quid est hominis, quid jure vocare paterno,
Quæ miser ipse sibi plaudere dote potest!
Hoc est, hoc hominis semper cum tempore labi,
Et semper quadam conditione mori.
Est hominis nudum nasci, nudumque reverti
Ad matrem, nec opes tollere posse suas,
Est hominis putrere solo, saniemque fateri,
Et miseris gradibus in cinerem redigi.
Istius est hæres homo prosperitatis, & illum
Certius his dominum prædia nulla manent.
Res & opes præstant ei, famulantur ad horam,
Et locuples manè, vespere pauper erit:
Nemo potest rebus jus assignare manendi,
Quæ nutus hominum non didicere pati.
Jus illis Deus ascribit, statuitque teneri
Legibus, & nutu stare vel ire suo:
Ille simul, semel & solus providit & egit
Cuncta, vel illa aliter vidit, agitque aliter.
Ut vidit facienda, facit, regit absque labore,
Distinguit formis, tempore, fine, loco.
Crescendi studium rebus metitur, & illas
Secretis versat legibus, ipse manens.
Ille manens dum cuncta movet, mortalibus ægris
Consulit, & quò sit spes statuenda docet.
Si fas est quicquam credi te posse, vel esse,
O fortuna quod es, quod potes, ipse dedit.
Pace tua, fortuna, loquar, blandire, minare,
Nil tamen unde querar, aut bene læter ages.
Ille potens, mitis tenor & concordia rerum,
Quidquid vult in me digerat, ejus ero.


FINIS.



S. HILDEBERTI
DE URBE ROMA
LIBER UNUS.

ROMA DIRUTA

Pars prima Poëmatis.



ARTI Roma nihil, Chrisippe, tota ruina,
Quam magni fueris integra fracta doces!
Longa tuos fastus ætas destruxit: & arces
Cæsaris, & superum templa palude jacent.
Ille labor, labor ille ruit, quem dirus Araxes,
Et stantem tremuit, & cecidisse dolet.
Quem gladij regum, quem provida jura senatus,
Quem superi rerum constituere caput.
Quem magis optavit cum crimine solus habere
Cæsar, quam socius, & pius esse socer.
Qui crescens studiis tribus, hostes, crimen, amicos
Vi domuit, secuit legibus, emit ope.
In quem dum fieret vigilavit cura priorum
Juvit opus, pietas hospitis, unda, locus.
Expendere duces thesauros, fata favorem,

Cod. *factus. estus*

Artifices studium, totus & orbis opes.
Proh dolor! urbs cecidit cujus dum specto ruinas,
Penso statum, solitus dicere: Roma fuit.
Non tamen annorum series, non flamma, non ensis,
Ad plenum potuit hoc abolere decus.
Tantum restat adhuc, tantũ ruit, ut neque præstans
Æquari possit, diruta nec refici.
Confer opes, ebur & marmor, superumque favorem,
Artificum vigilent in nova facta manus.
Non tamen aut fieri par tanto fabrica muro,
Aut restaurari sola ruina potest.
Cura hominum potuit tantam componere Romã,
Quantam non potuit solvere cura Deum,
Hic superum formas superi mirantur & ipsi,
Et cupiunt fictis vultibus esse pares.
Non potuit natura Deos hoc ore creare,
Quo miranda Deum signa creavit homo.
Vultus adest his nobilior, potiusque coluntur
Artificum studio, quàm deitate sua.
Urbs fœlix, si vel dominis urbs illa careret,
Vel dominis esset turpe carere fide.

Cod. *nubibus* repoposuimus, *nobilior*.

ROMA REPARATA
ATQUE EX CHRISTIANA RELIGIONE ILLUSTRIOR.

Poëmatis pars altera.

DUm simulachra mihi, dum numina multa placerent:
Militiâ, populo, mœnibus alta fui.

Et simul effigies, arasque superstitiosas
    Dejiciens, uni sum famulata Deo.
Cesserunt arces, cecidere palatia divum,
    Servivit populus, degeneravit Eques.
Vix scio quæ fuerim, vix Romæ Roma recordor,
    Vix sinit occasus, vel meminisse mei.
Gratior hæc jactura mihi successibus illis,
    Major sum pauper divite, stante jacens.
Plus aquilis vexilla crucis, plus Cæsare Petrus,
    Plus cunctis ducibus vulgus inerme dedit.
Stans domui terras, infernum diruta pulso,
    Corpora stans, animas fracta jacensque rego.
Tunc miseræ plebi, modò principibus tenebrarum
    Impero, tunc urbes, nunc mea regna polus.
Quæ nec Cæsaribus videar debere, vel armis,
    Ut species rerum meque meosque trahat.
Castrorum vis illa perit, ruit alta senatus
    Gloria, procumbunt templa, theatra jacent.
Rostra vacant, edicta silent, sua præmia desunt
    Emeritis, populo jura, colonus agris.
Durus eques, judex rigidus, plebs libera quondam,
    Quærit, amat, patitur, ocia, lucra, jugum.
Ista jacent nè forte meus spem ponat in illis
    Civis, & evacuet spemque bonumque crucis.
Crux ædes alias, alios promittit honores,
    Militibus tribuens regna superna suis.
Sub cruce rex servit, sed liber lege tenetur,
    Sed diadema gerens jussa tremit, sed amat.
Fundit avarus opes, sed abundat, fœnerat idem,
    Sed bene custodit, sed super astra locans.
Quis gladio Cæsar, quis sollicitudine Consul,
    Quis Rethor lingua, quæ mea castra manus
Tanta delere potest? studiis & legibus horum
    Obtinui terras, crux dedit una polum.



S. HILDEBERTI
MISCELLANEA METRICA.
I.
DE SACRAMENTIS.

Videntur pertinere ad librum supra *de concordia vet. & nov. Test.*

HOstia legalis transit, res tecta figuris
Ostentatur, ovem fugat agnus, gratia legem,
Sol oriens lunam, lux noctem, res premit umbram.
Gratia legis onus, posuit que jugum leve Christus.
Significata manent, cum significantia cessant:
Quidquid erat veteris exclusit homo novitatis.
Igne crucis coquitur, cruce crux, ignis perit igne,
Corpore nos satiat, lavat undâ, sanguine potat.
Jam non per Moïsen agnus populo datur assus,
Agnus adest Christus pro nobis in cruce passus.
Gratia successit, disparuit illa vetus lex,
Et mundo nova lex, nova lux, novus enituit rex:
Ergo legem lex, agnum novus agnus abegit,
Quodque figurabat vetus, hoc novus ille peregit.
Jam jam desistit pecudes mactare minister,
Postquam mactandus venit pius ille magister,

II.
Quid significet utraque pars altaris.

ESt ratio cur pars altaris dextera, Missæ
Principium finemque tenet, mediumque sinistra.
Dextera Judæos, Gentiles læva figurat.

Cœpit ab his, transfertur ad hos, refertur ad illos.
Nostra fides, & erunt sub mundi fine fideles.

III.

Quid significent tres Missæ in Natale Domini.

IN Natale sacrosanctæ solemnia Missæ
Quid signent, vel cur, sic celebrentur habe.
Nocte prior, sub luce sequens, in luce suprema:
Sub Noe, sub David, sub cruce sacra notant.
Sub Noe, sub David, sub Christo sacra fuere,
Nox, aurora, dies, umbra, figura, Deus.

IV.

Idem de Christallo.

SOl, Christallus, Aqua, dant qualemcumque figuram
Virginei partus, ædificantque fidem.
Si tingatur aquis & soli subjiciatur,
Scintillas præfert integer ille lapis.
Si bene cuncta notes, aqua, sol, Christallus, & ignis
Sunt Flamen, Verbum, Virgo, Deusque puer.
Flamen aquæ, Verbum soli, Virguncula gemmæ,
Stirps igni, quâdam conditione coit.
Flamen aqua est, quod lavit eam; Verbumque supernum
Sol; quia non violat, & tamen intrat eam.
Virgo lapis, * quod virgo parit, puer exprimit ignem,
Nam virtute micat, lumine corda replet.

* Fortè *quem*

Sic umbrâ flamen ingressu cœlibe Verbum
Virgo fide, soboles carne deoque simul
Conficiunt cataplasma novum, quo vita sepultis,
Virtuti merces, moribus ordo redit.
Hoc aperit tumulos, hoc agmina * sacra refundit,
Hoc supplet casum, terra, gehenna, polus.
Ad cœlos hinc subsilient crinis, ossa, medulla
Hoc animam carni reddet, utrique Deum.

* *Sacra*, pro *sacrilega agmina*, nempe, dæmones.

V.

Quid significent. 3. partes de corpore Domini.

SIgnant tres partes Christi de corpore; prima
Ipsius carnem; sanctosque secunda sepultos.
Aut defunctorum purgatos prima; secunda
Qui purgantur adhuc; viventes tertia. Sanguis
Martyrii pars est in sanguine tertia tincta.
Martyrii calicem gustant in carne fideles.

VI.


De tribus habitaculis.

TRina domus nobis, lar, tumba, polusque paratur.
Ligna larem, ligo sarcophagum, devotio cœlum.
Præparat occasus comes in lare, vermis in urna,
Angelus in cœlo. Lar pœnæ, tumba sopori,
Cœlum lætitiæ diversa sorte dicantur.
Culpa priora duo dat, gratia sola supremum.



NOMINA EORUM AD QUOS S. HILDEBERTUS EPISTOLAS DIREXIT EX BIBLIOTECÆ REGIÆ.

COD. NUM. 223. TRANSUMPTA. Varias lectiones suppeditarunt 5. MS. primus ex Bibliot. Reg. num. 223. Ex San-vict. 2. & 3. num. Dh. 18. & Ed. 2 quart. Exemplar quo olim usus Dominus Mauguin. 5. Ex *Bibliot. Caroli-Loci ad Silvanectum.*



EP. 1. Inc. *De conversione* : Guillelmo de Campellis.

Ep. 2. Inc. *Iustum est* : Roberto Archidiacono Nannetensi.

Ep. 3. Inc. *Virtuti gratulor* : Roberto Episcopo Salisberiæ.

Ep. 4. Inc. P*ro Guillelmo* ... An Girardo Engolismensi?

Ep. 5. Inc. *Commeantium raritas* ... An Rainaldo S. Augustini Monacho ?

Ep. 6. Inc. *Non potuit*: Priori Carnotensi ....

Ep. 7. Inc. *Iterare Clamorem* : *S.* ..... Serloni Episc. Sagiensi.

Ep. 8. Incip. *Flabellum* : Archiepiscopo A. ..... Anselmo Cantuariensi.

Punctorum interjectio, titulos deficiente Codice, nostro studio indicat impositos.

Ep. 9. Inc. *Petitio vestra* : Archiepiscopo ... Radulpho Turonensi.

Ep. 10. Inc. *Audita* : Reginæ Anglorum ... Mathildi.

Ep. 11. Inc. *Ex quo vestram* : Monachis S. Cutberti.

Ep. 12. Inc. *Pauca bone frater* ... Reginaldo Andegavensi Episcopo.

Ep. 13. Inc. *Fama est* : Eidem Reginaldo.

Ep. 14. Inc. *Fratrem illum.* .... Archidiacono.

Ep. 15. Inc. *Gratulor* : Reginæ Anglorum Mathildi.

Ep. 16. Inc. *Difficile* : Eidem Reginæ,

Ep. 17. Inc. *Si fides auctoritati* : G..... Archidiacono.

Ep. 18. Inc. *Non paucis* : Domino Papæ....

Ep. 19. *Sicut frequens* : Joanni, Benedicto.

Ep. 20. Inc. *Attrita frontis* : Adelæ Comitissæ.

Ep. 21. Inc. *Familiare* : Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo.

Ep. 22. Inc *Et dies latus* : Eidem,

Ep. 23. Inc. *Confrater & filius* : G.... an Goffrido Vindocinensi Abbati ?

Ep. 24. Inc. *Maximum duco* : Cluniacensi Abbati .... Pontio.

Ep. 25. *Absentia mariti* : A...Comitissæ Adelæ.

Ep. 26. Idem initium, eidem Comitissæ.

Ep. 27. *Præter officium* : F .... Decano.

Ep. 28. Inc. *Et vultus tuus* : Ad *S*... An Serlo Sagiensis Episcopus ?

Ep. 29. Inc. *Ad nos usque*: G.... Presbytero.
Ep. 30. Inc. *Reos tormentis*: R... An Reginaldo Andegavensi?
Ep. 31. Inc. *Confidimus*: Ad Viduam A... quæ contempto sæculo religioni se mancipaverat; Adela est.
Ep. 32. Inc. *Benedictus*: Regi Angliæ.... Henrico primo.
Ep. 33. Inc. *Doleo* .... Cuidam flagitiis intento.
Ep. 34. Inc. *Sicut sanctitatis*: Archiepiscopo Rothomagensi .. .. Gaufrido.
Ep. 35. Inc. *Andegavensem*: M... An Marbodo Redonensi Episcopo?
Ep. 36. Inc. *Consideranti*.... An Mathildi Abbatissæ Fontebraldensi, olim Vuillelmi Henrici Primi Anglorum Regis Sponsæ?
Ep. 37. Inc. *Usu pariter*: Guillelmo S. Vinc. Abb.
Ep. 38. Inc. *Dei gratia*: Girardo Engolismensi Episcopo, & S. R. E. Legato.
Ep. 39. Inc. *Omnibus Episcopis.*
Ep. 40 Inc. *Serloni Dei gratia Sagiensi Episcopo.*
Ep. 41. Inc. *Humilis Cœnomanorum Episc*: Adelæ Comitissæ.
Ep. 42. Inc. *Ne vel deesse*: Andegavensi Episcopo... Reginaldo.
Ep. 43. Inc. *Locorum, vel temporis*: M... Mathildi Reginæ Anglorum.
Ep. 44. Inc. *Sacerdos*: R... Andegavensi Episcopo Reginaldo.
Ep. 45. Inc. *Zelum legis*: Cononi Cardinali Episcopo Prænestino.
Ep. 46. Inc. *Sicut reprimenda* ... An Guillelmo Abbati S. Vincentii? *de eo Ep. 37.*
Ep. 47. Inc. *Sanctæ conversationis* .... An Cononi

noni, *ad quem ep.* 45.

Ep. 48. Inc. *Plerumque fit* : Memoriensi Episcopo...

Ep. 49. Inc. *Audivimus* : Serloni Sagiensi Episc.

Ep. 50. Inc. *Potestati* : Girardo Episcopo Engolismensi.

Ep. 51. Inc. *In regno quidem* : Ad Monachum M...

Ep. 52. Error hic, & deinceps in notis numeralibus. Edit. Ep. 54. Inc. *Dilectissimo fratri, atque venerando Oxoniensis Ecclesiæ Canonico Clarembaldo.*

Ep. 53. Inc. *Pascha Domini* : Abbati...

Ep. 54. Inc. *Reverendissimo &c. Claromontensis Ecclesiæ Episcopo ... Aimerico.*

Ep. 55. Inc. *Cum bene* : Regi Anglorum ... Henrico Primo.

Ep. 56. Inc. *Gaudii materia* : Moniali ... Adelæ, vel Mathildi fontebraldensi.

Ep. 57. Inc. *Ad votorum* : Belvacensi Episcopo.

Ep. 58. Inc. *Ad memoriam* : Comiti Andegavensi...

Ep. 59. Inc. *Sicut parvitatem* : Episcopo Carnotensi ... Ivoni. *Alius cod.* Claromontensi.

Ep. 60. Inc. *Iucunditas.* Nullo signo distinguitur à præced. in edit.

Ep. 61. Inc. *Apostolicis* : Monachis ... qui Carnotensem. Episc. hospitio excipere noluerunt.

Ep. 62. Inc. *Cum susceperis* : Reginæ Anglorum .... An Adelæ, seu Adelindæ, cui Henricus Primus secundò nupserat, defunctâ Mathilde?

Ep. 63. Inc. *Hildebertus, &c.* A ... Adelę Comitissæ.

Ep. 64. Inc. *Promissam*.... puto Pontio Abbati Cluniacensi.

Ep. 65. Inc. *Beatitudini*.

Ep. 66. Est Honorii. Inc. *Honorius*.

Ep. 67. *Honorio*.

Ep. 68. *Honorio*.

Ep. 69. *Honorio*.

Ep. 70. Inc. *Hildebertus*, &c. *Transfretare*..... Reginæ Anglorum.... Adelæ.

Ep. 71. Inc. *Quoties*: Comitissæ.... Adelæ. *Vide Ep.* 31.

Ep. 72. *Balsamum*: Bernardo Clarevallensi Abb.

Ep. 73. Inc. *Nota loquar*. Filiæ H.... Henrici Regis Anglorum... Mathildi Henrici. V. Imperatoris viduæ.

Ep. 74. Inc. *Semper fuit opus*... An Abbati de quo Ep. 38.

Ep. 75. Inc. *In adversis*....

Ep. 76. Inc. *Scimus quidem*: Sagiensi Episcopo... Serloni.

Ep. 77. Inc. *Fuere*: Arch... Subdecano.

Ep. 78. Inc. *Omnibus Archiepiscopis*, &c.

Ep. 79. Inc. *Quæ vivunt*... An Mathildi Fontebraldensi?

Ep. 80. Inc. *Narbodus*: leg. Marbodus Episcopus R... Redonensis.

Ep. 81. *Honorio*.





LECTORI.

Tria in S. Hildeberti Epistolis hactenus desiderabantur. Edita erant Acephalæ, depravatæ, obscuræ. Ecce Acephalis capita titulosque imponimus, nomina ad quos Eloquentissimus juxta ac sanctissimus Episcopus scripsit, appellantes: depravatis, mutilis, integras sincerasque lectiones restituimus: obscuris denique, novis præsertim inscriptionibus, diem facimus nostris quantiscunque observationibus & notis, usque pleniores exactioresque adhibeant, quibus animus erit hujus tanti viri hinc inde dispersa in unum corpus colligere opera: idque ut citius fiat, in nostris omniumque votis est.

Ep. 1. Inc. *De conversione.* Guillelmo de Capellis, ceu de Campellis. Scribitur circa an. 1110. Quo ordinem Sancti Victoris instituebat. Ex Annal. MS. ejusdem Ordinis Abbatiæ ad muros Parisienses. Is primum Archidiaconus Parisiensis, tum novi hujus insignisque Ordinis auctor, ac tandem in Episcopum Catalaunensem eligitur an. 1113. Obiit ex Alberico in Chron. an. 1121. Vide Ep. 3. D. Bernardi, & notas D. Mabillon. *ibid.* Du Breuil l. 2. Antiquit. Paris. Guillelmo respondet, consulitque Hildebertus, ne munus docendi abjiciat Monachus, quo laudabiliter fungebatur dum Archidiaconum ageret. Audivit amici preces teste ejus discipulo Abail-

Ep. 1. Guillelmus de Campellis.

lardo Ep. Calamitatum suarum. *Nec tamen, inquit, hic sua conversationis habitus, aut ab urbe Parisiaca, aut à consueto Philosophiæ studio eum revocavit, sed in ipso quoque Monasterio, ad quod se religionis causa contulerat, statim more solito publicas exercuit causas.* Quod vero ad Hildebertum attinet. De eo Petrus Blesensis Ep. 101. S. Bernardus Ep. 122. Goffridus Vindocin. Ep. 13. & seq. Chronicum Altissiodorense, Ordericus, Malmesburiensis, Platina in Honorio II. Dominus Maan Turonensis Ecclesiæ Canonic. & Præcentor in suâ Turonensi Metropoli: Omnes denique Historici qui de patribus aut scriptoribus Ecclesiasticis ediderunt. Quædam ejus gesta olim à V. P. Tuffiero Cœnobita S. Vincentii Cœnomanensis accepta D. Joannes Picard Canonicus S. Victoris vir Doctissimus, atque antiquarum elucubrationum pervestigator illustratorque diligentissimus, in notis suis ad Ep. 53. l. 3. S. Anselmi, publici fecerat juris, in quibus & multa perfunctoriè arguit indigna fide. Data occasione Carpemus & nos. Recens veriora evulgata sunt à D. Mabillonio tom. 3. Analec. quo vitas Episcoporum Cœnomanensium recensuit. Capite 33. de Hildeberto agitur. *Hildebertus*, inquit, *ex Lavarzinensi Castro, mediocribus quidem, sed honestis exortus parentibus, à domno Hoëllo venerabilis memoriæ Episcopo Cenomanensis Ecclesiæ, scholarum magister & Archidiaconus factus*, &c. *Ni fallor, nondum quadraginta annos ætatis excesserat, cum ad honorem Episcopatus electus est*, &c. & pag. 326. 327. *Rexit Cœnomanensem Ecclesiam a . 29. mens. 6.* &c. *Rexit quoque fœliciter Turonensem Ecclesiam 6. an. mens. 6. & fuit vita ejus*

quasi 80. annorum. Irrepsit error maximè in compoto ann. quibus, scribitur Turonensi præfuisse Ecclesiæ. Lege, 10 *an. & 6. mens.* Ipsummet Historicum meæ censuræ vadem habeo, qui in vitâ Guidonis Hildeberti Successoris in Cathed. Cœnoman. testatur, pag. 340. an. Dom. 1134. *Octavum esse ordinationis ejusdem Guidonis annum*, atque, p. 331. eumdem Hildebertum *an* 1125. *Ad Turonicam transiisse Metropolim*: quod quidem minimè staret verum, nisi eidem Ecclesiæ, 10. an. & supra, providisset, cum ex omnibus Historicis ad an. 1135. vel 36. minutioribus supputationibus additis, vitam protraxerit. Ita Epitaph. ejus, scheda D. I. Picardi, Juret. ad Ep. 106. Juon. Gesta Episc. Turon. apud Sammartanos in Galliæ Christ. tom. 1. Neque enim multo post tempore quo Gislebertus desiit, suffectus est. Cujus quidem obitus ab Orderico l. 12. recensetur, *eâ septimanâ qua Calixtus Papa hominem excessit*; an. scilicet 1124. Id. Decemb. ex Onuphrio, *quod audientes*, inquit, *Turonici Hildebertum Cœnomanensem probatum præsulem sibi asciverunt*. Scilicet an. 1125. à quo tempore undecim anni effluxere ad 1136. quo, ex cartâ Fontebraldensis Monasterii quæ continet concordiam inter Abbatissam Petronillam, & Mathæum S. Florentii Salmuriensis Abbatem, Hugoni de Stampis pedum reliquit Pastorale. Denique, idem scriptor Analect. tom. 3. pag. 304. refert Hildeb consecratum, cum ætat. 40. annor. necdum esset adeptus, & decessisse octogenarium. Debuit igitur quadraginta annis præsulem vixisse. Qui quidem numerus abest à supputatione regiminis Eccles. Cœ-

Epocha Hildeberti. Castiganturque plærique historici.

noman. an. 29. 6. mens. & Turon. 6. an. 6. m. perfectissimè verò completur in nostra. Namque 29. an. cum 6. m. Episc. Cœnom. & 10. an. & 6. m. Turon. Arch. 40. an. numerum reddunt absolutissimum. Ex iis emendandus Ordericus qui l. 10. sentit: *Hunc sacrum Heroëm* tantùm *ferè* 35. *an. præsulatum exercuisse*; Chronicon. Cluniac. infulas recepisse Cœnom, 1106. Juret. ad Ep. 206. Juon. qui migrationem ejus ad Metropolim Turon. *ad* an. 1129. remittit, sub fidem priorum actorum de quibus supra. Consentiebat & Horstius not. ad Ep. 122. D. Bern. Quibus & inseruit Ep. 24. Hildeb. ceu ad eundem Bernardum missam, ex codicis sui falsa epigraphe. Consule nos ad eam Ep. contendimus enim, Pontioque Cluniacensi fuisse inscriptam rationibus probamus invictissimis.

Pag. 311: D. sicut ex *lance* mellis. tres Cod. *favo*. Edit. errorem jam subodoraverat.

Ibid. hoc *verò* Philosophari. Vetus lectio, *verè*, quam & Cod. nostri confirmant.

Ibid. nulla hinc ad *superos* C. *cœlos*.

E. severius *retracta* C. Sanvict. *retractare*. leg. puto *retractata*.

Ibid. holocaustum *habeo* offerre C. *habes*.

F. *Aliquid Deo vovet, sacrificium est*. Restituimus ex ho. 20. D. Greg. in Ez. & ex Sanv. *Cum quis suum aliquid Deo vovet, & aliquid non vovet, sacrificium* est.

F. *durum*, melius leg. *Aurum*.

Ep. 2. Ep. 2. Inc. *Iustum est*. Roberto Archidiacono Nannetensi. De eo Robertus de Monte ad ann. 1170. *Ad Natale fuit Rex Henricus in Britannia. Apud Nannetes Robertus Archidiaconus Nan-*

netensis consensu regis factus est Episcopus. Et ad. an. 1184. *obiit Robertus Episcopus Nannetensis vir magna honestatis & amicus noster, cum rediret de Hyerosolyma.* Robertus in Gall. Christ Mendose suæ sententiæ fautorem attulit Robertum de Monte, ut ex ejus calculo assereret Robertum nostrum Archidiaconum electum an. 1171. denatumque an. 1183. Cæterum nescio quis de hujus tituli veritate me angit scrupulus. Vide fin. Epist.

P. 311. E. Qui prosperis *continentur*: C. *contuntur.* Vide infra. Ep. 38. *Claustrales*, &c. *Scurrilitatibus pro lectione coutuntur.*

Ibid. *Quod ladescit, non te unum persequitur*, sed alterum: sic. le. *Quo laderis, non unum persequitur te, sed alterum.*

F Forsitan: *ignorabas.* C. *ignorares.*

F. Poëtam *integrum* C. *in integrum.* Vox à jure deprompta. *Vid. Epist. 50. Per nos deprecatur sibi in integrum ignosci.*

Ibid. *Totidem pectus.* Cod. *Vt idem pectus.*

Ep. 3. Inc. *Virtuti gratulor*: Rogerio Episcopo Salisberiæ, scripta circa an. 1103. paulo post ejus ad summum Sacerdotium electionem, quæ circa an. 1102. incidit; adfuit namque investitus Concil. Londin. eo an. celebrato. Eadmerus l. 3. hist. *Concilio præsedit Anselmus Archiep. Dorobernensis considentibus secum, &c. duobus noviter investitis Rogerio Serberiensi, & Rogerio Herefordiensi.* Perperam igitur Harpfeldius 12. sæc. c. 28. Post Osmundi obitum ad an. Christ. 1107. Rogeriũ hac dignitate scripsit ornatum. Osmundi namque exitus fuit ex Math. Paris. an. 1109. Cujus Rogerius non tam

successor in Episcopatu fuit quam Regis Stephani, ex Rob. de Monte in accessionib. ad Sigebert. Consule not. ad Ep. 19. Porro singulari casu ad illud fastigium Roger. à Rege provehitur. *Incidit fortè in Rogerium in templo quodam Normanniæ.* Harpsfel, ibid. *Ruso fratre regnante. A quo cum Rogerius sacra mysteria celebrare rogaretur, celebravit ille quidem, & ita, ut aulicis brevis illius in tantis mysteriis actio valde placeret. Quibus eum principi commendantibus in famulitium illius ascribitur. Cumque nullis fere litteris, sed ingenio, rerumque humanarum dextrâ quadam prudentâ polleret, adeo cœpit tandem adlubescere Henrico, ut per eum potissimum sua majoris ponderis negotia expediret, &c. Enimverò regni supremus minister creatus, tantumque crevit opibus & potentiâ, ut arces munitissimas extrueret, thesaurosque reconderet immensos.* Quibus omnibus, libertateque privatus à Stephano Henrici successore, mœrore confectus periit, atque inde magnæ exortæ controversiæ inter Clerum & Regem, de quibus fuse Historici. Hujusce adversitatis eum submonet Hildebertus in Epistolæ fine: *Vale*, ait, *mortemque non pluribus stadiis ab aula, quàm à tuguria distare memineris.* Vir sanè adulationis nescius, noverat laudes & tempestivè profundere, & temperare. Effertur & ab aliis idem Rogerius, tanquam qui monasteria plurima extruxerit, invitusque tot sæcularia negotia pertractaverit. Quibus, ne obrueretur, impedireturque à recitatione officii Ecclesiastici, solitus erat summo mane illud persolvere, ex Malmesbur. l. 5. Vide Juret. ad not. Epist. 19. Juon. copiosissimus scientissimusque dissertator B. P.

Prima Rogerii Salisberiensis Episcopi fortuna.

Horarū Canonicarum pensum.

natalis Alexandre Ord. Prædicat. eam Epistolam, ceu EpiscopumGallicum respiceret laudavit Historiæ Ecclesiast tom. 17. c. 7. a. 5. pag. 637. qua jusregium statuit eo sæculo in Galliis usitatum, *electioni à clero factæ consentiendi, & bona Ecclesiastica conferendi.* At error venialis est, cum Epistola vacet titulo in edit. Hildebertusque Regem Anglorum regem suum appellitet. Jam tamen Sammartani in Gall. Christi. Ei nomen dederant. At expresse ejus Epistolæ meminit auctor gestorum Guidonis de Stampis (is est qui in fine hujus Epistol. commendatur) Hildeberti in Ecclesia Cœnoman. successoris. Analect. Mabill. tom. 3. p. 330. *Is* inquit, *diu apud nos* (Cœnomanenses, ut Hildeberti quantum assequor audiret sapientiam, scientiam imbiberet.) *commoratus*, &c. *sed parvo temporis dilapso curriculo ad alias partes transvolavit*, nempe in Angliam, *ut Anselmi discipulus fieret*, &c. *Illis etenim temporibus inter doctores Galliæ modò legendi meruit principatum* &c. *Omittimus de scholarum regimine, quo tantam famam atque laudem in Galliis, similemque in Angliâ adeptus est, ut per multa tempora eas ibi regeret*, &c. *Ad hujus itaque commendationem Hildebertus prædecessor ejus Rotgerio Salisberiensi Episcopo inter cætera talem destinavit epistolam*, &c. Et multis interjectis; fit Hildeberti, Guidonisque collatio, *qui schemate tractandi, prærogativa declamationis ad populum, plurimum postibat Hildebertum; sed plus uberiori fonte artium, earumque rivulis redundantibus præcesserat*, &c. *Multum sanè familiaris extitit eidem Salisberiæ*

Emendatus Ecclesiasticarumdissertationum author.

præsuli, &c. Hæc de doctrinâ. Omittoque quæ fuse disserit de morum ejus insignibus, ut, quæ improbo, afferam, offeramque omnibus de Ecclesiasticâ disciplinâ benè sentientibus sugillanda, conculcanda. Prosequitur ergo historicus, & quasi nigrâ densaque nube hujus solis sic retundit radios. *Vnâ etiam eodemque tempore novimus eum & vidimus Salisberiensis Ecclesiæ Magistrum Scholarum & Canonicum, Lincolniensis Canonicum, Rothomagensis Canonicum & Archidiaconum, Cenomanensis Canonicum, Archipresbyteratus, Magistri Scolæ & Præcentoris dignitate sublimatum. Nunquam eum sibi tanti honoris surripuit collectio.* Difficile adducor qui hoc credam. Quæ conventio humilitatis, abnegationisque christianæ cum tot dignitatum, opumque congerie. Excuset qui voluerit, laudet cui placuerit, in imitationem trahat qui concupierit: ego ad Canones Conciliorum, ad decreta Pontificum, ad exempla sanctiorum provocabo, atque super abusu, quò frequentiori eò damnabiliori, compatiens ac gemens, exitus aquarum deducent oculi mei pro sponsa, quæ constupratur, pro pauperibus qui defraudantur, pro anima beneficiarij quæ, ut mitius dicam, periclitatur. *Effeta*, ô clerice, & audi: ego ad alia festino; tu siste ut mediteris attentius quæ te pericula sequantur.

Nota de pluralitate beneficiorum.

G. Melius *potuit*. cod. *novit*. æquior lectio.

H. Unus ex nostrâ Ecclesiâ *excerptus*. Sanvic. cum edit. *excerptus*; at alij cod. & Sammarth. in Gall. Christ. catalo. Episcop. Cœnoman. *exceptus*.

P. 312. A. pauca *semper eo*. error typograph. *super eo*. *sic. leg*.

Ep. 4. Inc. *Pro Guillelmo.* cod. reg. hunc præfigit titulum. *G. Episcopo.* An Girardo Engolismensi, de quo Ep. 50. atque Guillelmus sit ille cujus ibi mentio? Ep. 4.

Ep. 5. Inc. *Commeantium raritas* .... forte *Rainaldo* Monacho S. Augustini ad quem Epistola edita à D. Mabillon. tom. 1. Analector. In utraque enim consimilia rogantur amicitiæ commercia, iisdemque penè verbis. ? An Rogerio Sarisberiensi? Ep. 5.

Ep. 6. Inc. *Non potuit* .... Priori Carnotensi. Ep. 6.

Ep. 7. Iterare *clamorem* .... Sagiensi Episcopo. Haud dubium quin Serloni: ex Abbate S. Ebrulfi Episcopus consecratur an. 1091. 10. Kal. Julij, Orderic. l. 8. 10. qui Sagiensem Episcopatum sæpè Salariensem nominat. l. 12. narrat mirabiles ejus obitus circumstantias, cujus prædixit diem, prævenit horam, consecravit formam parati benedictione tumuli. Vide Sammartan. Hujus vero Epistolæ causam quod spectat. In his matrimonialibus impedimentis scrupulosior fuit Hildebertus. Testantur id litteræ ad Summum Pontificem, ad peritiores suæ ætatis viros, consilij causa, quid facto opus, directæ. Ea de re ad unum Juonem extant Ep. 74. 148. 167. 206. 230. Quod Ep. 17. de Concil. Tiburiensi allegat, non mihi videtur ad rem. Ep. 34. severior est: si quidem futura pax, legitima in gradibus consanguinitatis dispensationis ratio, quod & in usu esse maximè probamus. Dispensationes, aiebat Cœvus Goffridus, Opusc. 5. ad Calixtum Papam, *Aliquando in Ecclesia facienda sunt, non quidem amore pecuniæ, vel*

Ep. 7. Serlonis Sagiensis Episcopi sacer obitus.

quolibet humano favore, sed pia & misericordi intentione, &c. Consuetudines immutentur, sed ubi postponitur minus bonum, ut quod est melius instituatur, &c. Annon melius sequitur bonum, ubi pax familiis acquiritur, caritas conjugatis, quæ est vinculum omnis perfectionis & apex? Morem igitur ex legitima causâ hujusmodi concedendæ dispensationis in Ecclesiâ jam longe ante receptum. (Vide D. Gregorium Magnum, l. 12. Ep. 31. & 32. Gratian, causa 35. q. 2. & 3, fusè S. Ambrosium Ep. 48. S. August. l. 1. de Civ. Dei c. 16.) Amamus ut benevolum, laudamus ut prudentem, consulimus ut Christianum, modo charitas mediatrix, aut necessitas intercedat advocata, abscedat carnis in petente cupiditas, in concedente auri aviditas, turpisque quæstus. Nemo eorum impedimentorum difficultates profundius attigit, devoluitque clarius, atque noster Basilius Pontius primus Salmaticensis Cathedraticus in egregio suo, modesto, ac casto, in materia alias satis proclivi, opere de matrimonio l. 6. 7. & seq.

Galterus *de Duncampo*, cod. *de Clincampo*. Est apud Cœnomanos familia illustris ejus nominis, *de Clinchamps*.

Et cœterum cod. *certum*.

Ep. 8. Ep. 8. A... Archiepiscopo. Anselmo Cantuariensi. *Flabellum misi*: Flabellum, muscarium, ventilabrum, cuius indigere fatetur Hildeb. Ep. 37. ad med. ususque frequens in liturgiis. Porro munus potuit fuisse exquisitissimum, quippe ejusmodi flabella ex auro atque argento conflata sæpe apud auctores occurrant leg. Harulfum l. 3. c. 3. & Testamentum S. Everardi

Flabelli usus in rebus sacris, cujusque exquisita materia.

apud Myræum, in cod. donationum piarum c. 21. *Petrus de Ango Canonicus, Galfredi Episcopi Ambianensis nepos (vivebat an. 1258.) dedit.* teste hujus Ecclesiæ tabulario, *Ecclesiæ Ambianensi ventilabrum factum de serico & auro ad repellendum muscas, & immunda*, &c. Sanctus Clemens l. 8. Constitut. Apostolicarum minoribus exigit impensis, Flabellaque, aut *ex tenuissimis membranis, aut ex pennis pavonis, aut linteo* vult fieri. S. Hieronymus Ep. 20. ad Marcellam Flabellorum elegantem significationem affert diversam ab Hildeb. *Docemur*, inquit *Luxuriam cito restinguere? quia muscæ moritura oleum suavitatis exterminant.* Et S. Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum. *Flabella typum referunt Cherubim.* Vide Durantum de rit. Eccles. Cathol. l. 1. c. 19. ubi & hujus Epistolæ mentionem habet. de *Anselmo* redibit sermo ad Ep. 21. 22.

Ep. 9. Incip. *Petitio vestra.* Archiepiscopo. Nomen silet, at causa clamat. Is est Radulphus 2. Turonensis Archiepiscopus, ad quem frequentes Ivonis Carnotensis, Goffridi Vindocinensis Epistolæ. Ex Aurelianensi Ecclesiæ Præposito & Archidiacono inauguratur an. 1081. favensque electioni Reginaldi de Martiniaco in Andegavensem præsulem, ad ejus unctionem vocat Hildebertum comprovincialem suum: qui quidem & ire recusat, & damnat fieri. Reginaldi Promotioni jam antè contradixerant Decanus Stephanus, Guillelmus Archidiaconus, &c. Uterque tamen eidem postea amici ex infestissimis facti, quo nomine taxantur in Epistola Marbodi. *Multiplex*, inquit, *est Andegavensis malitia, multos Stephanos habet, & multos Vuillelmos.* *Ep. 9.*

P. 313. A. inexcusabilis esset ille *subverso autoritatis assensu.* sic cod. *subversor autoritatis assensus.*

Ibid. b. *pareat* mihi pater, cod. *parcat.* lectio monitis præcedentibus atque modestiæ Hildeberti accomodatior. Subdubitans an huic consecrationi se præbere opportunum sit; non ut faveret quidem, sed impediret, aut ad Canones suaderet reformari, consuluit Goffridum Vindoc. qui itineris se renuit comitem, & consulem. *Turonum*, inquit Ep. 13. lib. 3. *nec possumus, nec debemus, & vos illuc tendere penitus dissaudamus. Ibi enim congregabuntur omnes factores* Reginaldi, *furore ac seditione potius quàm ratione vobiscum agere parati.* vide not. ad Ep. 12. & 13.

Ep. 10. Ep. 10. Inc. *Audita*: Reginæ Anglorum, nempè Mathildi. Scripta velut 15. & 16. circa an. 1101. postquam nupsit Henrico primo Anglorum Regi. De eâ plura infra ad Ep. 15. 16. 43. 48. Interim moneo perinde doctam fuisse, ut credere dignum sit, proprio stilo quas varijs misit, Anselmo, Iuoni, Hildeberto, scripsisse Epistolas. Gem. & l. 7. c. 10. Mathæus, Polydorus, Autor vitæ S. Margaretæ.

Ep. 11. Ep. 11. Inc. *Ex quo vestram.* Monachis sancti Cutberti, quorum Prior Algardus ad quem Ep. 25. edita a D. Luca d'Acheri in appendice ultimi tomi spicileg.

P. 313. *interspicere* Hierusalem. c. *introspicere.*

Ibid. pro vobis fratribus nostris *agimus* c. *agemus.* pro more fuit Hildeberto his verbis sæpè Epistolas concludere. vide Ep. 56.

Ep. 12. Ep. 12. Inc. *pauca bone frater.* Reginaldo Andegavensi. cod. Reg. G. Parisiensi, sed pessimè.

Neque enim verba Epistolæ in Gualonem, aut Gerberium cadere possunt. Scripta est circa an. 1102. Reginaldus enim prid. id. Ian. an. 1102. consecratur ex chronico S. Albini, Abdicante Gaufrido de Medauna pridem Episcopo, an. 1101. Geminatus est error in fundatione Abbatiæ de Rota. 1. præsens sistitur Reginaldus (leg. Gaufridus) an. 1099. nec dum infulatus erat. 2. ex familia Meduana originem traxisse dicitur: quod quam falsum sit: Genealogica hujus celeberrimæ apud Cœnomanos familiæ tessera, *De Maienne*, comprobabit. De eo adhuc Gaufrido Ep. 24. Cœterum hujusce Epistolæ, tum Hildeberti mentem, atque totius negotij historiam planè illustrabunt verba Goffridi Vindoc epist. in l. 3. ad eumdem Reginald. legere non pigeat. Quod vero Abbates attinet, de quibus in fine epist. & integri nominis Personas, qui adversus Reginald. stabant (numerato Goffrido inter insignes primo) ipse numerat alios. Bernardus Abbas S. Sergii in suburbio Andegavæ Civitatis, Bernerius Abbas Bonævallis, Guillelmus Abbas S. Florentii ad quem Goffrid. Ep. 9. l. 4. *Non est vobis timendum, quia multos post Deum bonos adjutores habetis, inter quos me & Abbatem S. Sergij veraciter reputare potestis, qui mallemus vivi excoriari, quam huic tantæ consentiremus abominationi*, &c. vide not. ad Ep. 9.

H. Infra quem fieri Episcopum *non licet*, facto cedit ad judicium; aberat, *non licet.*

Ep. 1.. *fama est.* Eidem Reginaldo, qui tandem pacificus sedet beneficio Paschalis Secundi, ex Goffrid. Vindoc. l. 3. Ep. 11., *Illa vero*, inquit, *sileo quæ dominus Papa novit, & indulsit; quia* Ep. 13.

meum non est retractare quod ipse fecit, &c. *pacem vobiscum feci, atque ut ipse ait*. Ep. 26. *præcordialem* Ep. 6. Amantem patrem eum vocat. Ep. 3. Episcopum Excellentissimum. Ep. 4. de dubia quæstione consulit, &c. Paciscitur & Hildebertus eo amicitiæ fœdere ut ad Ecclesiæ suæ dedicationem convocaverit ex gest. Hildeberti apud analect. p. 321. Transiit ad Remensem Metropolim. Ludovici VI. Regis ope subnixus an. 1124. obiitque ex Othone Frisingensi l. 7. c. 2 an. 1137.

Quia authoritate resistitur l. *cui*.

Ep. 14. Ep. 14. Inc. *Fratrem illum*. Archidiacono, quem suæ Diœceseos fuisse testantur verba, *submovendum cognovimus, submovemus*, &c. *agitur de periculo tuo*. Infra ubi dubitat an fuerit ordinatus, sic accipe: *Quem fortasse Diaconatus ordinem non accepit*: Non quidem simoniæ obice, sed intentionis absentia; sacramentum quippe recipit vel simoniacus, aut quivis reus mortalis; at involuntarius nusquam.

P. 314. c. *quo, vel nondum, vel malefactus Diaconus evolavit*. Sic legendum.

Ibid. *cum morbis hujusmodi nullum penitus inveniatur remedium*. Ita cod.

Ibid. f. quicunque hæc *menditaverit* cod. *meditatus fuerit*. Alter Sanvict. *meditaverit*.

Ep. 15. Ep. 15. Reginæ Anglorum ... Mathildi, cui Ep. 10. Incipit: *Gratulor honori tuo atque bonæ opinioni tuæ, quæ mihi melior in dies innotescit*, &c. *usque ad Regis delicias formosa facta es*, &c. Et quidem legitimas: quidquid contra obganniat Mathæus Paris. ad ann. 1102. *Invita*, inquit, *nupsit Henrico, sed parentum & amicorum con-*

silíis

filijs vix acquiescens, tandem tædio affecta acquievit, &c. usque, verum est; quod addit, mera calumnia ex rumore populari. *Videns igitur virgo clementissima, quod tot & tantorum consiliis adquiescere oportuit, quæ cum, &c. votum virginitatis Deo spoponderat, & ut multi*, (Plebs garrula) *perhibent, velum susceperat professæ religionis, irata in mentis dixit amaritudine. Ex quo sic oportet fieri, utcunque consentio, sed fructum ventris mei, quod est horribile dictu, diabolo commendo*, &c. *tanto ardentius exarsit rex in ipsius amorem, quanto scelestius adamavit* Hæc Mathæus. Quem sequuntur Polydorus, & Arnoldus Vuion l. 4. ligni vitæ c. 9. Si vocifraga, quando legitimo conjugio Regi copulata est? quod asserit Ansel. Ep. 57. *per me celsitudo vestra in conjugium legitimum desponsata est*, Et ipsamet Ep. 55. gratulatur se sacratam benedictione Anselmi *in legitimum matrimonium*. Idem testantur Eadmerus, cæterique coævi scriptores, Malmesburiensis l. 5. Reg. Angl. Itane vero juridicum erit in re tanti momenti suffragium & testimonium, plebeia fama, & usque ad centum viginti annos veterascens? An Mathæus, qui tantum sub Henrico Tertio scripsit, præstabit testibus sanctis, probatis, oculatis, personamque suam in negotio agentibus, Anselmo, Mathildi? &c. Tandem moneo consulenda adversaria ad histor. Math. Paris. pag. 40. quibus corrupta lectio integratur. Ad rem ex Petro Blesensi Epistola 11. & notis Budæi Ibid. adverto non omnes quos *solemniter votum religionis emisisse* referunt authores censendos fuisse monachos, aut moniales. Consu-

Vindiciæ pro legitimo matrimonio Mathildis Anglorum Reginæ Mathæus Paris, Polidorus & Notantur.

Nota de votis.

lendus locus quo nativum Petri sensum habeas. Ep. 48. de Mathildis morte agetur. Ep. 56. alteram eujusdem Reginæ dabimus apologiam. Eam summis laudibus patres celebrarunt Bernard. Ep. 344. Ivo Carnot Ep. 107. 142. 174. S. Ansel. l. 3. Ep. 89, 93. Vis testimonia ab iis qui foris sunt. Vuenerus in monumentis p. 454. Bakerus in Henrico primo. Hunglinton l. 7. p. 380. Bukanan. l. 7. Spedus l. 9. c. 4. omnes una voce Sanctam optimamque Reginam conclamant. Auctor vitæ S, Margaritæ Scotorum Reginæ inter alia hæc habet. *Matris*, Filia enim ejus erat, *vestigiis puro corda insistebat, & leprosorum pedes lavare, lotos extergere, & extersos utrisque manibus constringere & devotissime osculari solebat* Exemplum producit Math. in Henrico primo ad an. 1105. vide & Malmesburg. l. 5. reg. 164. Polidor. l. 11. *castissimis moribus, & uita sanctitate illustris.*

Ep. 16. Ep. 16. Inc, *Difficile* : eidem Reginæ. Abundasse muneribus à variis Principibus Eccles. Cœnom. & Turon. oblatis, tempore & merito Hildeberti testantur ejus acta apud. D. Mabillon. tom. 3. p. 310. 312, 321. 322. vide & Dom. Maan.

P. 315. col. 1. purus & integer animus eos *quocunque* vult, inclinat. cod. *quoscunque*.

D. *Nihil ita creatum est pro se.* sic cod.

Ep. 17. Ep 17. Inc, *si fides autoritati* G. Archidiacono, puto Sagiensi par enim est hujus Ep. argumentum. cum 7. de contactu ferri calidi, de quo in fine Ep. multa congessit Pithœus in suo Glossario ad Capitul. Caroli Magni secundæ editionis. Franciscus Ottomanus in disput de feudis c. 41. Cangius in glossario v. Manus; veteris

Ethnicorum superstitionis damnatæ tandem reliquiæ, ut & aliæ ejuscemodi subdolæ purgationes. Stephanus in c. consuluisti c. 2. q. 2. Alexander 3. Ep. 19. ex ijs quas Sirmondus edidit. Innocentius 3. c. ex litteris De excessib. Prælator. Honorius tertius in c. delicti. De purgat. vulgari. Concilium Palentinum an. 1322. c. 26. tandem Iuo Ep 74. qua respondet Hildeberto, consulitque; ne eam subeat experientiam qua compellebatur a Rege Anglorum ob causam ep. 17. relatam, vide not. Iuret. ibi. Certè potuit esse in eo probationis ritu multum illusionis, & artis, cum a tribus circiter annis viderimus hominem ferrum candens manu sua contrectare, carbones lingua apponere, nihil adustus. Nec absimile præstigium refert Strabo geogra. l. 5. Feroniam in monte Soracte fuisse olim Paganis cultam deam, mirifico sacri genere, cum scilicet afflati ejus numine nudis pedibus prunas inambularent, nullâ tamen læsione. Quibus autem ritibus fieret hæc purgatio longum esset edicere. Consulendi quos laudavimus authores. Interim ferulâ nostram non effugiet Editor Decretor. Calomanni Regis Ungariæ l. 1. qui *judicium ferri portare*; compedibus stringi, puniri, interpretatus est. Quod & pedale examen in Annal. Vuintoniensis Ecclesiæ appellatur; passim vero ab aliis historicis: igniti vomeres, judicium igniti ferri: candentis calibis examen.

Purgatio ex contactu ferri calidi.

Editor decretorum Calomanni Regis ungariæ emendatur.

Ep. 18. Inc. *non paucis*: cod. Reg. supplicatio ad Dominum Papam pro Canonicis S. Mauritij Andegavensis. Verùm de Canonicis S. Martini palam est fieri mentionem. *Neque*

Ep. 18.

enim, ait infra, *dignitatem minuit Apostoli, libertas impensa confessori*; qualis fuit S. Martinus, non S. Mauritius. De hujus Ecclesiæ Privilegiis nihil apud Autores Ecclesiasticos frequentius, nihil solemnius, quæ recens auxerat firmaveratque Urbanus II. Vide Epistolam ejus undecimam datam Turonis an. 1096. Notanda est hæc loquendi formula: *Nihil adversus Apostolicam præsumptum est majestatem*. Majestas nullo addito solius Dei nomen proprium est, ac titulus. Hinc vitæ Abbatum sancti Albani. p. 71. *Majestas cum quatuor Evangelistis elegantissimis cœlaturis insculpitur*. Et pag. 90. *In mediâ trabe majestas cum Ecclesiâ & Synagogâ figuratur*. Et Tertul. Apol. c. 13. *majestas*, Idola, *Quæstuaria efficitur*. Inde ad Imperatores. Inde ad summos Pontifices, Inter alios Iuo Epist. 201. *In oculis Apostolicæ majestatis*. Et Epist. 147. 157. 159. 201. 238. Joan. Salisber. in Policrat. c. 21. *Nec ego Apostolicæ majestati, & regiæ arbitror reluctandum*. Et S. Bern. ad Eugen. Epist. 268. *Alii vereantur majestatem in vobis*. Arnulph. Lexov. Ep. 8. 26. 27. At Epist. 21. *Majestatis Apostolicæ fastigium vocat*. Deinceps ad Archiepiscopos, Episcopos, vel etiam Abbates, Bernard. in Epist. ad Sugerium: & Archidiaconos descendit. Stephan. Tornacensis Ep. 231. Vide quæ de hac voce congessit Casaubonus ad Trebellium Pollionem. Cæterum Hildebert. rectè effatus est: Sicut grave, sacrilegum, sceleratissimum que Christianis Romam offendere; ita implacabile Romanis esse offensos.

Titulus *Majestatis* ad quos jam derivaverit.

Pareat pater filiis: *Parcat*. Idem error Ep 8.

Ep. 19.

Ep. 19. Inc. *Sicut frequens*. Joanni, Benedicto, Sic & inscribitur in MS. celebris Abbatiæ Ca-

roli loci Ordinis Cisterc. in Diœc. Silvanectensi, quem perfunctoriè tantùm licuit mihi consulere, aliis distractus. Ii Cardin. Legati à Paschali Papa in Gallias missi an. 1100. duo celebrarunt concilia; alterum. Valentinum. In quo Norigaudus Edvensis Episcopus suspenditur, & Hugo Flaviacensis Abbas, Insignisque Historicus, à Monachis suis pulsus, jussus est recipi. Alterum Pictaviense cui idem Hugo adfuit, scribitque fuisse *Episcoporum & Abbatum numero* 80. Gaufredrus Grossus in vita Bernardi Primi Tironiensis Abbatis. 140. P*atrum qui* P*hilippum Regem Francorum propter Fulconis Consulis Andegavensium uxorem quam in adulterio tenebat, anathematis vindictâ percusserunt.* 13. *Kal.* Nou. celebratum est concilium ex Chronic. Malleacensi, quod primò indictum fuerat 4. Kal. Aug. ex Epist. 84. Juon. Ad hunc cœtum vocatur Hildebertus, ire repulit multis calamitatibus quibus premebatur, compeditus, excusatque se præsenti epistolio eo anno misso, nec an. 1107. quod malè scripserunt omnes, Baronius, Juret. ad notas Juon. Dominus Maan in vita Archiepiscoporum Turonensium in Hildeberto, quem ad Concilium Trecense volunt appellatum, cui ipsemet Paschalis Secundus Præsidebat, non vero ii Legati. His adde epocham Vuillelmi Reg. Anglorum, de quo statim, & consule nos ad Ep. 24.

Auctorum communis error, præsertim vero Baron.

At vero ex iis omnibus authoribus incautius scripsit Baron. Malè affectus in Henricum Primum R. Anglorum eâ epistolâ usus, an abusus est, Annal. 1107. an. *Ecce*, inquit, *quem ex suis ipsius litteris audisti Regem maximè pium, mox auditurus eris in tyrannum conversum ipsum Henricum*

Qui malè in Henricum I. Anglorum Regem invehit.

Regem Anglorum. Nam audi Hildebertum Cenomanensem Episcopum, talia tantaque ab ipso patientem, ut ad dimittendum Episcopatus onus, intolerabilibus pressus angustiis Romam se ad Paschalem Pontificem conferre compulsus fuerit. Sic enim ipse epistolâ suâ .... Longum est enarrare quam constanti tyrannide Rex Anglicus in nos sævierit, &c. quid autem egerit? In Epistolâ aliâ qua agit de reditu, meminit. Quæ sic habet maximum duco; &c. Est Epist. infra 24. Et post, *Anhelans ad Monasterium, atque invitus jussu Paschalis Papæ rediens ad Episcopatum in quo adhuc acerbissima pati coactus est, quæ quidem magnâ animi constantiâ tulit. In carcerem enim aliquando detrusus causâ tuendæ libertatis Ecclesiæ, hæc ad Episcopos & Clericos, omnes*, Ep. 39. ... *Oro vos orare pro me, curam agere de me, compassione esse juxta me. Nam de redemptione nihil ago, semel Christi sanguine redemptus, &c.* hæc Baronius de Henrico, qui nec consentaneus fuit carceris, cujus mentio Ep. 39. nec tribulationum quas hîc conqueritur indigne se perpeti Hildebertus. In matrem Comitis Rotroci. Epist. 39. & Hubertum Capreolum Epist. 40. injuria carceris refundenda est: præsens vero hujus Epistolæ calamitas Anglorum Regi exprobanda, qui *dum quadam die in silvam venandi gratiâ perrexisset, ab uno ex* militibus qui secum erant, sagittâ percussus, *interiit*, ex gestis Hildebert. in Analect. pag. 309. At non Henricum, sed Stephanum eo casu subversum testantur scriptores peræque omnes. Mathæus Paris an. 1100. *Vuillelmus*, &c. *in crastino sancti Petri ad vincula perrexit venatum in novam forestam, ubi Vualterus*

Vuillelmi Anglorum regis, vita improba, misera mors.

Tirell cum sagittâ cervo intendens inscius regem percussit. Rex autem in corde percussus corruit in terram, nec verbum edidit; sed vitam crudelem fine misero terminavit. Similia habent Malmesburiensis, & Rob. de Monte in accessionibus ad Sigebert. qui addit. *In die qua obiit, in proprio habebat Archiepiscopatum Cantuariensem, & Episcopatum Vincestrensem, & Saleberiensem, & undecim Abbatias.* Hinc sacrorum ille Helluo dictitabat frequentius: *Pinguem Christi panem esse, & prabere delicias Regibus.* Adeo stupendum non est Episcopum nostrum tam indignè habuisse, Episcopii bona dilapidasse, combussisse, &c. Quę prolixiori stilo à pag. 305. ad 310. gesta Hildeberti inter Analecta retulerunt. Ea verò quæ D. Joan. Picard. edidit in notis ad Ansel. de quibus ad epist. Primam, nihil præ se ferunt veritatis. Confundunt enim tempora, gesta, personas; quæ melius Juretus præcidit ad not. Epist. 74. Juonis, quâ pari Epistolæ Hildeberti respondet. Vide ibi, & Annal. Sancti Albini apud Labbæum ad an. 1098. Cæterum apud Anglos, ii Consules qui Comites.

P. 316. gladiis & igne *curam* L. *curtam.*

Ibid. *Qui* superior ed. legit, *quia.*

Tantis. 6. *Igitur* his agitati. Cod. non habet, *tantis igitur.*

Ep. 20. Adelæ Comitissæ. Inc. *Attrita frontis.* Extra ordinem est hæc epistola, nec prima ex eis censenda est quas invicem transmiserunt. De Adela. Vide Ep. 25. 26. Planeta, casula est. Vide Liturgistas. Ep. 20.

Ep. 21. Inc. *Familiare est sapienti.* A. Archidiacono. Dicere voluit: A*nselmo Archiepiscopo.* Hujus Ep. 21.

epistolæ meminit Rober. de Monte in addit. ad Sigeb. monumenta Anselmi enumerans. *Duodecimus*, inquit, *qui*, *&* *ultimus illi tractatus*, *fuit de processione Spiritus sancti. Confutaverat enim Græcos, in Barensi Concilio, negantes Spiritum Sanctum à Filio procedere, unde sumpta materia, rogatu Hildeberti Cœnomanorum Episcopi, hunc librum composuit.* Barense Concilium celebratur 1098. ut rectè colligit Dom. Gerberonius O. B. operum Anselmi nuperus editor, & egregius illustrator, ex teste oculari Eadmero l. 11. novorum. Ad ea igitur tempora hujus epistolæ conscriptio referenda est. Sequens vero multò post, cum ex Roberto statim laudato, Tractatus de Processione Spiritus Sancti ultimus fuerit Excellentissimi hujus Ingenii partus, qui evolavit in cœlum an. 1109. Pontificat. sui an. 16. seu 17. ætat. 76. Vide Chronicum Cadomense, Harpfeld. 12. Sæc. Histor. Eccles. Anglic. c. 14. Eadm. Gemetic. Arturum du Monstier Ordin. Minorum Recollect. in Neustria Pia, ubi de Abbatibus Beccensibus c. 4. 5. Gerberon. &c.

Epocha S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi.

Epistola Vener. Guiberti Abb. ad Norbertum.

INter præcipuos Anselmi discipulos numeratur Guibertus Abbas de Novingento, cujus, occasione Magistri, Epistolam hic inserimus, quæ Supplementum, & Conclusio est Commentariorum ejus in Amos, &c. Prophetas, quæ Norberto nuncupaverat; edidit que cum aliis ejusdem patris operibus D. Lucas d'Acheri, in fol. quem consulas. Eamque Epistolam ad eorum commentariorum finem post hæc verba appendas: Terram ultimo eis jure præfixit. *Prodit ex Cod. Biblioth. Navarr. quo usus Cardinalis* Petrus *de* Alliaco.

QUoniam ergo hujus æstuantissimi freti qua- "
lemcumque, Deo ductore, portùm attigimus, "
ad te tandem in quo totius sinceritatis judicium "
præeminere non ambigo, quasi in solidissimo littore "
commercia nostra magnis cordis & corporis "
coempta sudoribus, Magister Reverende, deponi- "
mus. Nec enim te improvide eligimus hujus no- "
stræ supellectilis appretiatorem, immo vigilan- "
tissimum discussorem, cui prorsus insolitum scio "
sine omnimodæ æquitatis intuitu censoria quem- "
piam jaculari sententia, cujus nimirum operis "
gressus indesinenter percurrere consuevit intelle- "
ctualis consilii Palpebra. Non absurdè, inquam, "
præsens Opusculum tuis disquisitionibus appli- "
cuisse decreverim; præsertim cum indubitanter "
agnoverim, neminem super interioris hominis "
statu in cunctis nobis contiguis regionibus ma- "
jorem discretionis obtinuisse vim. Nec id injuria. "
Quid enim spirituale nescias, cum in hujus exa- "
minatione te indesinenter exerceas? In his tra- "
ctibus noctem diei continuas, in hujus contem- "
plationis radio totius interni habitus delectatio- "
ne conspiras. Quod si ad animales, quorum co- "
pia est infinita, Magistros, & qui suis dinoscun- "
tur sensualitatibus irretiti aliqua spiritualiter sen- "
sa proponerem, studium plane meum eorum len- "
titudine considerata gravissime examinarem. Ad "
te igitur qui spiritualiter cuncta examinas, & à "
nemine judicaris, securus intendo: quia ad li- "
quidum universa, & etiam iis majora non pene- "
trare non poteris, cum nihil sit aliud quàm divi- "
num & spirituale quod vivis. Si qua ergo istic "
corrigenda perpendis, consilio cum scripturis, qua- "
rum tibi non infrequens usus extat, communica- "

„ to, nequaquam corrigere dedigneris; sciens in-
„ dubiè quod non ingratum me ullo modo reperies,
„ si qua ibi oblitteranda, vel potius immutanda
„ notaveris. Cæterum ad litteram nihil me dixisse
„ nolo mireris: Quia quæ beatum Hyeronimum
„ satis superque satis elucidasse in promptu est, id-
„ ipsum repetendo schedulas implere supervaca-
„ neum proculdubiò mihi est. Quæ vero pro captu
„ meo, & Deo, ut credo, indigno peccatori as-
„ pirante bona intentione peregisse me memini, non
„ tam tua lectione, quàm oratione firmanda & au-
„ ctoranda transmisi.

D. Hinc est quod *scientiam* meam l. *inscitiam* meam. MS. habet, *inscientiam*.

Ep. 22. Ep. 22. Inc. *Et dies lætus*, *&c.* Eidem gratiarum actio. Hæc Epistola integra inseritur Epist. Anselm. l. 3. 53. in ordine.

Et dies *latus*, *&c.* Cod. *lati.* At verborum præposterum suspicor ordinem: diceretur quippe concinnius: *Et dies solemnes*, *&* *vultus læti.*

Ep. 23. Ep. 23. Inc. *Confrater & filius* G. Abbati. Esse Goffridum Abbatem Vindocinensem colligo ex ejus ad Hild. Ep. 24. 25. 29. 30. quibus supplicat, ut quemdam Monachum Joannem Cœmentarium Apostatam, non diutius retineat, sed quàm citius ad se remittat; cum pacto indulgentiæ, si *se minus perfectè egisse confiteatur*, qui peregrinationẽ Hierusalem susceperit sepositâ Abbatis benedictione & licentiâ. Audire dissimulavit Hildebertus. Replicat litteras precesque Goffridus, ac tandem in morosum & contumacem Monachum excommunicationis jaculatur sententiam. Goffrid. Epist. 30. *Omnibus Episcopis*, *Abbatibus*, & *universis sanctæ Ecclesiæ filiis*, *præcipuè tamen Domino Hildeberto*, *&c.* *Ioannem Cœmentarium*

Monachum quidem, sed non habentem charitatis Cæmentum, quoniam proprii loci deservit obedientiam, noveritis excommunicatum, &c. *Memorato autem honorabili viro Cœnomanensi Episcopo diligenter supplicamus, ut non solùm à communione nequam illius, quem ei pro Ecclesia suæ necessitate commendavimus, se abstineat, sed quod jam se facturum promisit, nobis reddere studeat commendatum.* Legerem *commodavimus* & *commodatum* q.d. aliquanto tempore vobiscum manere concessimus. Tandem Monachus eo ictus fulmine, Hildebertusque perterritus: alter redit, alter ut reversus misericordiæ excipiatur sinu deprecatoriam intromittit epistolam. Si meæ conjecturę locus est, in epistolæ contextu legendum confrater, & filius vester C. id est, *Cæmentarius*. Et littera G. Titulo rescribenda, quæ significet Goffridum. Hinc suspicionem doctissimi Sirmondi ad Ep. 30. Goffridi & reformamus, & confirmamus. Affinis literarũ C. & G. figura errori ansam dedit. Conjectura de hujus Epistolæ titulo. Cui dedit locum Sirmondus: discutitur.

Ep. 24. Inc. *Maximum duco*: Abbati Cluniacensi, nempè Pontio S. Hugonis successori, electo an. 1109. Cujus hortatu ejusdem S. Hugonis vitam literis consignavit Hildebertus. Vir ambiguæ famæ. Robertus de Monte in addit. ad Sigibert. Summis facinoribus laudes ejus aspergit. Petrus venerabilis perpetuo eum infamique multat elogio, inconstantiæ, ambitionis, pervicaciæ, crudelitatis, impietatis omnis. Vide c. 12. & 13. l. 2. miraculorum. Astipulantur Baronius & Spondanus in Ann. Verum de ejus pietate initio conversionis & promotionis suæ preter Hildebertum præclarissima testantur Hugo Monach. Cluniac. in vitâ S. Hugonis Abbatis. Orderic. Vitalis l. 11. Chronicon Cassinense l. 4. c. 62. & 78. *Ep. 24.* Pontius Cluniacensis Abbas, vir dubiæ famæ.

miram humilitatem profecturi Hyerosolymam commendat. Inter insignes sui temporis viros numeratur à Platina in Honorio 2. In Martyrologio Monastico Benedictino ad 4. Kal. Jan. Apoteosidonatur: *In Monasterio Cluniacensi depositio sancti Pontii Abbatis doctrinâ & sanctitate Clari, ut verum sit*, si intermediæ vitæ nævos dissimulem, perseveranti pietate cumulasse laudabilia sancti regiminis exordia; quo tempore eum ipsâ Epistolâ convenit Hildebertus, cum eâ laude; ut peregrinantis dux fuerit, periclitantis salus, abdicantis, si licuisset, magister futurus. Epistola recepta est an. 1102. quo Roma redierat. Horstius cui oculatissimus diligentissimusque Mabillonius pepercit, notis suis ad Epist. 122. D. Bernardi eam integram inseruit, Bernardoque applicuit, ceu ab Hildeberto sanctissimo Abbati fuisset missa. At quam veritati id repugnet, indicant, tum notæ ad Epist. 19. tum rationes in ipsiusmet epistolæ sinu formatæ 1. Hildeberti ad D. Bernardum epistola scripta est ipso sedente Turonis, quod docet inscriptio apud ipsummet Horstium, cujus sedis apicem tantum conscendit an. 1125. præsens vero destinatur ab ipso Ecclesiæ Cœnoman. Præsule ex epist. 19. cui ista respondet. 2. Insulam sancti Honorati iis temporibus devastatam fuisse ex omnibus constat historicis, non vero an. 1107. ut voluit Baronius. 3. Commendatio facta Episcopi Andegavensis. *Tironis*, inquit, *sancti Benedicti*, nempe Gaufridi de Meduana, *qui Vrbani Papæ monitu sedem suam deserens Monachus Cluniaco factus est*. Electus fuerat an. 1104. Rexit fermè an. 7. Ex Chronico S. Albini jam laudato ep. 12. Igitur an. 1102. *Tiro* S. Benedicti me-

Cui inscribatur hæc Epistola.

Horstius redarguitur.

vito dici potuit ab Hildeberto. Nec alius fingi potest Andegavensis Episcopus qui ad claustrum se receperit Tirocinium vitæ Monasticæ suscepturus. Atque illud quidẽ non Cistercii profitetur, aut Clarevallis, sed Cluniaci. Arnoldus l. 2. ligni vitæ c. 39. Sammartani in Episc. Cœnom. decepti à Chronol. Cluniacensi, Hildebertum antè monachum induunt, quàm consecrent Episcopum, cum ejus instituti non meminerint Acta D. Picard. de quibus ad ep. 1. Gesta in Analect. D. Mabil. Guillelmus Malmeburiensis, &c. Qui juvenilia Hildeb. studia, progressus, munia satis exactè prosequuntur. Enimverò qui fieri potuit ut Monachum egerit, & scolarchæ, Archidiaconi in Ecclesiâ Cœnomanensi objerit munus, cui non Monachi, sed Canonici inserviebant? Quasi promoveri licitum fuerit ad dignitates Ecclesiarum diversi habitus, & professionis. Ipse quidem in Episcopum unctus hujus religionis sinum, ceu *Aram* fuisset amplexus, *si consultus Papa Pontificis onus amoliri permisisset.* Quod quia nusquam summus Pontifex indulsit, nusquam vixit pro voto suo hujus ordinis cucullatus.

Dissertatiuncula de Monasteriorum familiaribus.

CUjus tamen Familiaritatem non inficior fuisse adeptum, quæ nihil aliud est, quàm in participationem precum, jejuniorum, meritorum fuisse admissum dum viveret; post mortem vero parium in societatem suffragiorum, quæ pro ani-

mâ ejus persolverent, ceu pro quovis ex familia. Insignem, obscurumque locum illustraturi, rem repetamus altius. Ii *familiares* olim Monasteriorum dicebantur, qui ex familiâ Monachorum haberentur, licet nec ex Monachis, nec ex conversis essent. In duplici fuere differentia; alii inserviebant Monasteriis, inhabitabant, victumque ac vestitum repetebant; vulgo, *oblati* dicti, *offerti*, *fratres exteriores*, *donati*, *condonati*, *fratres laici*, *in Christo*, *servi*, sæpè magno Cænobiorum fructu, & honore, at scandalo frequentius. De iis ultimis, ut exempla domestica afferam, ita statuta Cluniacensia S. Petri Venerabilis c. 48. *Statutum est, ne hi qui vocantur FAMILIARES, hoc est nec Monachi, nec Conversi, quorumdam Monasteriorum pessimi destructores, nec etiam pro maximo lucro alibi recipiantur. Causa hujus instituti fuit, familiarium illorum multis nota perversitas, qui nec Deo servientes, nec manibus operantes, nec aliud utile domibus providentes, ad garriendum, ad detrahendum, ad dissipandum quæ poterant, in quibusdam Monasteriis alebantur & fovebantur.* Familiarium mentio est in Nomastico Cisterciensi pag. 255. 316. 342. & in Legibus Alfonsi noni Regis Castellæ. 1. par. tit. 13. Ut diversas in classes distinguebantur, ita vario ritu suam *offertionem* celebrabant. Pars offerebatur à parentibus, pars à seipsâ; quorum plurimi, ut Ecclesiasticam servitutem profiterentur collum funibus campanarum innectebant. Chart. ex Tabulario Vindocin. 135. & 440. & Cæsarius l. 7. Mirac. c. 39. Cæteri aliquot *denarios*, ceu *nummos* persolvebant, *Hinc 4. nummorum servi*, in Chartâ Ranulfi Abbatis S. Mauri ex ejusdem

Ecclesiæ tabulario, & frequens usus hujus census Monasteriis inferendi à Vassallis & feudatariis. Forte an huc spectavit Concil. Lateran. 4. sub Innocentio III. c. 57. *Ne si de quibuslibet ipsorum fraternitatem assumentibus fuerit intellectum pro duobus, aut tribus denariis annuatim sibi collatis dissolvatur pariter & vilescat Ecclesiastica disciplina.* Multorum etiam ritus fuit, uti communione corporali & spiritali ex lib. Ordinis S. Victoris Paris. MS. c. 22. Vide Haeftenum.

Fuere & alterius generis *familiares* tàtùm aggregati Monasteriis, degentes interim in propria domo, pro sua cujusque vivendi forma, ad societatem communionemque orationum, suffragiorum, eleemosinarum &c. quam singulari voce, orationum *investituram* idem liber S. Victor. c. 33. appellat; ji non raro *fratres conscripti* Monasteriorum nuncupati. Eckeardus junior de Casib. S. Galli c. 1. de Augustensi Episcopo loquens. *Me*, inquit, *& meos decet ad proximum S. Galli diem viros Dei visitem, frater illorum conscriptus fiam.* *Fratres spiritales.* Charta an. 1214. in probat. historiæ Guinensis p. 270. *Et tam mihi, quam uxori meæ Spiritualem fraternitatem in Ecclesia sua, tanquam uni ex fratribus concesserunt.* Verùm & persæpè *familiares* dicti, sive quod in jura spiritalia eorum qui de domestica familia erant, transirent. Beda in Epistolâ ad Eadfridum Episcopum, & ad Congregationem Lindiffarnensium Monachorum prosaicæ S. Cutberti vitæ præfixa, ut indicant D. Mabillon tom. 3. Analect. p. 485. qua præmioli vice sibi viventi orationes deposcit, & suffragia mortuo, inter alia hæc habet: *Sed & me defuncto pro redemptione animæ meæ,*

quasi pro familiaris & vernaculi vestri orare, & missas facere, & nomen meum inter vestra scribere dignemini. Sive quod in Kalendario cum familiaribus scriberentur. Litteræ Communionis inter Monachos S. Remigij & S. Benigni apud eundem D. Mabillon. eodem Analect. tom. 3. pag. 484. *Talis est modus societatis quæ inter n s Monachos sancti Benigni Divionensis, & Monachos* S. *Remigij Remensis habetur. Cum aliquis illorum ad nos venerit, quamdiu apud nos manere voluerit, erit sicut unus ex nostris* &c. *& in Kalendario cum familiaribus scribentur.*

Spectat iterum eam societatem, *familiaritatis* nomine sancitam, exemplum, quo nullum dari potest solemnius, propositoque nostro aptius; cum sit viri ejusdem cum Hildeberto gradus, temporis, pietatis, ordinisque Cluniacensis æque familiaritatem ambiret. Ex bibliot. ejusdem ordinis pag. 535. in appendice ad S. Hugonis Cluniacensis vitam, his verbis. *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Burchardus Basiliensis Ecclesiæ Dei gratia Episcopus, antiquam cum Domino Hugone Cluniacensis Ecclesiæ Abbate retinens familiaritatem & amicitiam, Monasterium S. Albani in Suburbio Basiliensis civitatis, supra ripam Rheni constitutum cum omnibus ejus appendiciis, eidem Abbati Hugoni, omnibusque ejusque successoribus regendum & ordinandum sub regulari disciplina subjeci. Hac scilicet intentione & conditione, ut merita & orationes universæ Cluniacensis Ecclesiæ, mihi, omnibusque meis tam prædecessoribus, quam successoribus, omnique familiæ Beatæ Mariæ opitulentur in salutem æternam,* &c. Nota obiter

iis

iis qui familiaritatem alicujus congregationis erant consecuti, in more fuisse positum, ut beneficiis acceptam benevolentiam rependerent. Exempla passim obvia sunt in Monasteriorum fundationibus, donationibusque. Tandem Hildebertus parem precum communionem à Bernardo ambiens, quibus eâ Epistolâ, iisdem sese explicat verbis, Ep. 72. *Desiderio desideramus in sacrario familiaritatis tuæ recipi.* Solius amicitiæ commercium suspicaris, est & precum; lege quod sequitur: *ibique recordatione tecum esse, ubi teipsum furatus colloquiis mortalium, pro mortalibus loqueris cum Rege Angelorum.* Etiam quidem hujus vim vocis, codicis Regij exscriptor attenderat, Epistolam inscribens: *Bernardo Claravallensi Abbati, ut ejus FAMILIARITATEM adipisci mereatur.* Penè prolixitatis meæ tædiosus ritum oblitus fui; quem repetam ex libro S. Victor. supra c. 33. *Si aliquis orationibus nostris petierit commendari, finitis clamoribus,* plausu, *adducatur, & de ipsis orationibus per LIBRUM investiatur. Si Episcopus, vel Abbas, vel Religiosus aliquis de orationibus nostris investitur, postquam investitus fuerit, debet Abbas ab eo humiliter quærere, ut ipse similiter de orationibus ipsum & conventum investiat, & partem beneficii sui,* id est officij Ecclesiastici, *fratribus concedat. Quando Abbas aliquem de orationibus investit, debent fratres assurgere. Si Rex vel Episcopus, vel Abbas in capitulum adducitur, fratres assurgentes omnes ei inclinent, cum ante eos transierit.* Et lib. usuum Ordinis Cisterc. c. 70. de Episcopo agens: *Quod si societatem quæsierit, assurgentibus omnibus, concedatur ei per librum.*

Absentibus deferebantur litteræ, quas *breves* vocabant (Vide Haeftenum in Disquisitionibus Monasticis) nos vero *Littera affiliationis*. Exemplum appendo, quo fama sit vulgatior quibus grati animi reciprocis de nostro sacro Ordine bene meritos prosequamur.

De ijs etiam P. Mabill. in præf. ad tom. 3. Ss. Ordin. S. Bened.

Exemplar literarum aggregationis ad ordinem S.P. August.

NOS .... Vicarius generalis, *præsidens in Capitulo Provinciali Provinciæ .... ordinis Eremitarum S. Augustini in Conventu .... habito .... Cum continuo aquas gratiarum & benedictionum de fontibus hauriamus, justitiæ ac pietatis ordo postulat, ut illos præclaros ac salutiferos fontes in alios nobis, vel cognatione, vel charitate conjunctos effluere faciamus .... Igitur .... de Ordine nostro Augustiniano, & præsertim de Provinciâ nostrâ .... benè merit .... admittimus in participationem omnium missarum, jejuniorum, vigiliarum, disciplinarum, & omnium bonorum operum, quæ singulis diebus & horis in dicta nostra Provincia divinæ Majestati offeruntur. Ac insuper, quod ubi .... obitus ad aures nostras pervenerit, eadem suffragia quæ pro fratribus nostris fieri solent, & eadem commemorationes in comitijs provincialibus, pro .... etiam fient; enixè Deum precantes, ut nostris aspirans votis, de thesauro suo nova & vetera, ad .... salutem animæ .... & omnium abundantiam bonorum, tum spiritualium, cum temporalium proferat. Actum in Conventu .... tempore Provincialis Capituli anno reparatæ salutis .... die .... mensis .... L sigilli †*

F. Sanctissime pater *opposui* l. *apposui*.

Ep. 25. Inc. *Absentia mariti*: A ... comitissæ Adelæ scripta 1101. quo Comes Stephanus iterum Hierosolymam petiit, bis quippe illud iter aggressus est. an. 1096. & 1101. De primo legendi Fulcherius Carnot. de Gest. Pereg. Franc. c. 1. & Rober. S. Remig. Monac. histor Hierosolymit. l. 6. Ivo Ep. 86. De secundo. Albertus Aquensis lib. histor Hierosol. Octavo c. 6. & l. 9. c. 5. & 6. Guilell. Tyrius l. 10. c. 12. & 19. Mat. Paris in Henrico Primo tardiusculè tamen ad an. 1103. Order. Vit. lib. 10. quibus locis, Stephanum scribunt pœnitentia ductum, *Quod Christianis apud Antiochiam obsessis suppetias non tulisset; immò & maximum famæ suæ dedecus aufugisset, Hierosolymam rediisse* 1101. *& in Rama obsidione ab Azoparto Babyloniorum Satrapa captum Ioppe capite luisse.* Quo viduatâ Adela Monasterio se consecravit. Vide not. ad Ep. 31. Eam Comitissam Guillelmus Malmesbur. Math. Paris in *Adala:* vocant; at melius *Adela* quia id nominis proximè accedat ad dictionem Anglicam, *Adeling*, id est, Nobilis: quæ revera fuit. Ivo Ep. 5. *Regius in excellentiâ vestra sanguis ex utraque linea descendens, nobilitatem generis in oculis omnium manifeste commendat*, &c. ducebat quippe originem a Guillelmo Primo Anglorum Rege, & Mathilde Balduini Flandrensium Comitis Filia illius uxore, quæ Neptis erat ex Sorore Henrici Primi Gallorum Regis. Vide Orderic. Vitalem lib. 3. & 4. Eccles. historiæ, & l. 5. ita de eius matrimonio scribit: *Stephanus Blesensis Palatinus Comes cum Guillelmo Rege firmare* volens amicitiam, requisivit ab eo in conjugium, *Adelam eius filiam, quæ consulto*

Ep. 25.

Stephanus Comes Blesensis Hierosolymam iterato petiit.

Vxor ejus Adela: Adelæ nomen quid significet.

prudentum à patre illi concessa est. Idem habet Guillelmus Gemetensis monachus lib. 8. histor. Norman. c. 34. Adelam omnes huius temporis historici & patres celebrarunt, Paschalis secundus, Anselmus, Goffridus Vindocinensis: at Ivo Carnotensis frequentioribus, quas sæpe salutaribus gravibusque monitis condiebat, quibus fœminam regimine tumidam, iracundam indole, ad pacem, ad clementiam, non secus atque hic Hildebertus, revocabat. Vide Ep. 5. 101. 116. 187. 136. 179. nec cervical capiti ægrotantis supponit Ep. 91. de eius conversione Ep. 31.

P. 317. col. 2. E, cum sapientibus *divinam* pepigit mansionem l. cum sapientibus *Deum*.

F. compendiosa principibus *Capitula* vigilavit. Codices omnes deficiunt *Capitula seneca vigilant*, ita SanVict. Legendum censeo *jugulavi*, q. d. *præcidi*, ne prolixitate sua. lectores deterrerent. Sic igitur restituo: *compendiosa capitula Seneca jugulavi, in quibus adeò brevitatem dilexi non obscuram, &c.*

F. immisericordem se *confitetur* l. *profitetur*.

Ibid. *extra* punire quam liceat l. *citra* In fine Epist. leg. quantum *vel* credulitas, al. *hac*.

Ep. 26. Ep. 26. Inc. *Absentia mariti*, eidem Comitissæ Adelæ.

h. Vivunt *vita* f. *in te* boni sæculi reliquiæ

Ep. 27. Ep. 27. Inc. *Præter officium*. f .... Decano.

Ep. 28. Ep. 28. *Et vultus tuus* Ad. S .... Roma reversum. An Serlo Sagiensis Episcopus?

Et vultum, & diem tuus mihi reditus hilaravit. Tale est hujus epist. initium in MS. probabilior etiam mihi videtur hæc lectio vid. Ep. 22.

Circa med. Epist. omnia, facit eis unam rempublicam voluntas *tua* leg. voluntas *una*.

In fine quoniam & *tu*: abest, *tu*.

Ep. 29. Ad nos usque. G.... Presbytero in fin. *ostenderit*, litterarum: ed. *ostendit*. Ep. 29.

Ep. 30. Inc. R*eos tormentis* R.... Episcopo. An Reginaldo Andegavensi, quem satis immitem fuisse docent Marbodi gesta? Eam Ep. refert Iuret. in not. ad Ep. 53. Iuonis, ubi consimilem fere ventilans materiam nomen *curia* satis docte expendit. Hæc addimus. Videtur alludere Hildebertus ad ethimologiam qua curiam à cruore dictam veteres Patres censuerunt. sic enim in antiquissima Synodo Romana sub Pp. Silvestro c. 16. *Nemo clericus, vel Diaconus, aut* P*resbyter propter causam quamlibet intret in curia, quoniam omnis curia à cruore dicitur, & immolatio simulacrorum est.* Unde & Glossographus in Decret. Gratian. ex Laur. Iurisconsult. annotat, nomine *Curialium* Stricte intelligi tantum Officiales principum in causa sanguinis. Verum *Curiam* à cura dixerunt Festus, Pomponius &c. Sed ut recte monuit Pater Ærodius in rerum iudicatarum pandectis l. 1. c. 3. S. Patres olim ut Clericos arcerent à sæcularium principum aulis vel Curijs, *Curiam* à cruore dictam finxerunt. Nihil ego fingam novi ut Clericum moneam abhorrere, prudenter tamen, à Curia ceu à meretrice. *Curia* enim idem sæpè quod meretrix. Hinc versus. Ep. 30.

Curia jus curat, meretrix est Curia dicta.

Cæterum alienus erat hic Episcopus à moribus quibus optabat D. Paulus ornatum præsulem 2. Tim. 2.

Ep. 31. Ep. 31. Confidimus. Ad viduam, A.... quæ contempto sæculo Religioni se mancipaverat: Adela est de qua Ep. 25. & 26. quæ tandem calcata sæculi pompa Stephano Blesensi Comite & coniuge extremum diem functo, videns filios esse legitimæ ætatis ad res gerendas, Deo nupsit in Parthenone Marcinianensi, cum Petrus Venerabilis præesset Cluniac. cuius autoritatem respicit id Parthenonis, in quo Adela vita religiosè peracta excessit an. 1137. Stephani Anglorum Regis Filii sui an. 2. Gemmeticensis, Guillelmus Malmesburiensis, & Matheus Paris Relligiosam eius professionem memorant. Vide Joan. Picard in not. ad Anselm. Epist. ult. libri primi.

P. 319. col. 1.

A. *murmur* c. *Livor.*

B. *insolutis* l. *insolitis.*

In fine pag. in cod. Sanvict. altera inchoatur. Ep. ad hæc verba: *Actum fortasse putas* &c.

P. 319. col. 2. H. dum *corruunt*, alias, *corruit.*

Ep. 32. Ep. 32. Inc. *Benedictus* Regi. Angliæ. Videlicet Henrico primo, Guillelmi secundi successore, cui quam gratus charusque fuerit Hildeb. testantur, tum ea ipsa Epist. tum. 55. & 69. infra. Scripta paulopost eius inaugurationem an. 1100. unde, quidquid dicant Baronius, Joannes Maan, prudentissimum Episcopum contendo, nihil unquam cum Henrico habuisse simultatis. Cujus cum Hildeberto laudes consignarunt Malmesbur. l. 5. *Sapientiâ nulli unquam modernorum regum secundus, & penè dicam omnium antecessorum in Angliâ facile primus, pietatis in Deum profunda.* Huntington l. 7. *Dedit ei Dominus tria munera, sapientiam, victoriam, divitias.* Sugerius, *Rex pace*

& bello clarus. Simile quid legere est apud Eterodoxes Baleum cent 10. c. 47. Coperum an. 1101. Reusnerum Martinum in eius vita. De Henrico jam Ep. 19.

Ep. 33. Inc. *Doleo frater mi*.... Cuidam flagitiis intento, ut à flagitiis desistat. Ep. 33

G. quibus non solum hoc tribuit ex quo boni sint, *sed* per quod boni *fieri* possint deerat *non* &c. *sed* & *fieri* &c.

In fin. cod. sic leg. est inter utrumque vitæ quædam permixtio non adeo *purgatæ*, ut non egeat placato iudice post mortem, nec sic *obstricta* criminibus. Ed. *purgata* &c. *obstricta*.

Ep. 34. Inc. *Sicut sanctitatis*. Archiepiscopo Rothomagensi. Is Gaufridus ex Cœnomanorum Decano Rothomagensis Archiepiscopus. Eligitur an. 1111. ita Sammart. ex Orderic: At eodem anno quo Guillelmus decessit, electum fuisse testatur Robertus de Monte in append. ad Sigebert ann. 1110. Obiit an. 1128. de eo Ordericus lib. 11. & 12. Cœcutit tamen qui defunctum tradit 7. Kal. Decembris cum eius obitus legatur 4. Kal. Decemb. in Necrologiis, tum Ecclesiæ Rothomagensis, tum Prioratus Beatæ Mariæ de Salicosa apud Velocasses Normannos O. A. Sapientiam eius laudat Ivo Ep. 52. Vitæ Hildeberti Historicus in eo agnoscit eminentem literarum scientiam, morum maturitatem, discretam justitiam, ordinatam liberalitatem vide Not. ad Ep. 7. Codex quo usus D. Mauguin sanius mihi videtur eam Epistol. Ivoni Carnotens. inscribere. Ep. 34. Gaufridi Archiepis Rothomagen. mors.

D. Quid *idem* l. quid *inde*. Ibid. *compendia* pacis l. *compendio*.

Ep. 35. Inc. *Andegavensem*. Ad Episcopum Ep. 35.

M.... quem fuisse Marbodum Redonensem suadent. 1. primum nominis M.... elementum 2. inter ipsum & Reginaldum dissensio. 3. olim occupata in Ecclesia Andegavensi dignitas, quam vellet nepoti conferri.

Ep. 36. Ep. 36. Inc. *Consideranti* .... An Mathildi quæ sponso submerso, Guillelmo scilicet Henrici 1. Anglorum Regis filio, Fontebraldum ingressa virginitatem vovit. Eius Monasterii Abbatissa, obijt an. 1150. v. Ep. 79.

H. *vitioso* quippe progenies l, *vitiosa*.

P. 322. A. Sabbatum consilii, non *praeceptis* l. *praecepti* D. *solius istius* virtutis l. *solis istis*. ibid. restorationem *separare* l. *sperare*.

F. *Vt* dictat repudium; l. *vel* dictat.

Ep. 37. Ep. 37. Inc. *Vsu pariter* Ad Guillelmum S. Vincentii Abbatem Huius tanti viri metire meritum ex iis quæ hac ipsa Epist. & ad finem sequentis, Vir appellatur *consummatæ religionis*, &c. vid. & Ep. 46. & 62. Porro Abbatia S. Vincentii in Cœnoman. Suburbio fundatur à S. Domnolo magnisque dotatur redditibus an. 11. Chilperici, ut docet fundationis eius exemplar, gestis S. Domnoli appensum, inter Analecta D. Mabillon. tom 3. pag. 100. Iuret. in not ad Ep. 19. Ivonis, eam ex hac Epistolâ refert sententiam. *Occursant inimica spiritui meo negotia, quæ me totum sibi vendicant, quæ secretum furantur orationum, quæ suis temporibus Ecclesiastica defraudant officia*, &c. contenditque per *Ecclesiastica officia* pensum illud intelligi Ecclesiasticum, quod quisque clericus tenetur quotis diebus persolvere vulgo breviarium *cursus ab antiquis* appellatum. Hinc in vita S. Rade-

Guillelmus S. Vincentij ad Cœnomanos Abbas.

Cursus Ecclesiasticus

degendis c. 18. l. 2. depravationes factas improbat, ut in vitâ S. Goaris. Addo ex hac voce *cursus*, libros Ecclesiasticum eum continentes cursum, *Cursarios* & *Cursinarios* dictos. Acta Murensis Monasterii. pag. 10. *Lectionarius autem vetustus, & cursarius antiquorum, Et liber regulæ*, &c. Alibi. *Sunt & duo Cursinarii & tres benedictionales libri.* Adhuc adverto cursum sæpe fuisse nominatum, quotam partem officii horis statutis decantandam. Hinc Afferus de Aelfredi rebus gestis: *Post hæc cursum diurnum*, id est, *celebrationes horarum.*

P. 323. c. materia ad *glorias*. c. *gloriam*.

Ep. 38. Inc. *Dei gratia*. Girardo Engolismensi Episcopo, & sanctæ Romanæ Eccles. Legato. De eo Gerardo agunt omnes æquævi historici. Creatur Episcopus an. 1101. penè continuus in Aquitaniâ vices Sedis Apostolicæ egit. Primùm sub Paschali secundo, sequentibusque ad Innocentium Pontificibus; deinde sub Anacleto pseudo-Papa: cui adhæsit, ob denegatam sibi ab Innocentio legationem ex sancti Bernardi Ep. 126. Epistolas quibus id muneris Anacletus ei decernit, transumpsit Baron. in suis Annalibus. Ad eum Gofridus Vindocin. Ep. 19. 20. 21. lib. 1. Et Auctor vitæ sancti Bernardi l. 2. c. 6. qui mortem ejus schismatico dignam pluribus narrat. Sunt qui auctoritati hujus historici reponunt, contenduntque ex hujus Ecclesiæ diplomatibus, pacifico fine quievisse. Videndus D. Mabillon. in not. ad Ep. 126. Bernardi. Qui tamen sentit cum Orderico, excessisse an. 1136. cum gesta in codice Pontificum hujus sedis mortem referant an. 1135. 9. kal. Aug. Enimverò eo anno 1135. Lambertus ejus successor

Ep. 38.

Girardi Engolismens. Episcopi obitus.

eligitur circa 14. Jul. Vide Sammart. in Galliâ Christianâ de Episc. Engolismensibus, qui & hancce Epistolam nominant. Cæterùm eidem Abbati Ebron suspicor missam Epist. 74. infra, quæ commonitoria simul & comminatoria est. An Hildebertus surdo clamaverit, ignoro. Legi tantum Abbatiam dilapidatam, à Roberto Comite Blesarum restitutam, ejusque Basilicam consecratam an. 1252.

Ep. 39. Epist. 39. Inc. *Omnibus Episcop.* Hujus Epistolę meminit auctor gestorum Hildeb. inter Analect. D. Mabillon. pag. 311. His verbis. *Dum Comes Rotrodus Perticensis in turri Cœnomanicâ captus teneretur, & idem Episcopus ad eum trepidum mortis accessisset, delicta confitetur, flagitat veniam, sua largitur, disposita confirmat testamento. Rogat, ut ipse matrem ejus adiret, & de testamento testimonium perhiberet, ne alicujus ingenio posset annulari. Episcopus vero Comitis precibus permotus, cum Hugone Decano, & Fulchardo Cantore Novigentum progreditur, quibus primo à Matre Comitis osculum pacis porrigitur, & coram eis devote testamentum confirmatur. In crastinum Hubertus Capreolus Dapifer ejusdem Comitis, existimans Decanum captionis Comitis conscium extitisse, Episcopum cum omnibus suis cœpit, eosque carcere mancipavit. Qui vero hujus rei seriem certius voluerit cognoscere, in epistolis ejusdem Pontificis plenius inveniet, &c.* Capillos vero Rotrodus resecuit & misit, quibus testaretur Hubertum non sibi minorem intulisse injuriam Episcopum divexando, *quàm si reliquos abstulisset.* Cum enim Gallia comata foret, summi dedecoris erat capite tonderi. Nullus enim in Galliâ non comatus

Rotrodus Comes Perticensis: aliis Rotrocus.

ſine dedecore fuit, Monachis, Clericiſque exceptis, ad tempora Franciſci ejus nominis primi, qui in capite vulneratus medicis ſuadentibus comam depoſuit.

Regis ad exemplum totus componitur orbis. De tonſura Capillorum.

Venerunt in imitationem primò principes, tum nobiles, reliqui poſtremo populus, plebſque omnis. De his caluitiis vide Stellartium noſtrum tractatu ſuo de coronis & tonſuris paganorum, Judæorum, Chriſtianorum. Edit. Duaci an. 1625.

B. *Qua* reum. l. *quem reum.*

E. Si caput *humilis* ſub tributo. l. *humiles.* Ep. 40.

Epiſt. 40. Inc. *Serloni Dei gratiâ Sagienſi Epiſcopo.* Hubertus ab Jvone anathemati datus, Mauritaniam, Normanniæ Oppidum Sagienſis Diœceſeos, Hildebertum, Decanumque tranſtulit. Ea de cauſa illuſtris compeditus, rogat Serlonem ſibi junctiſſimum, gladio Sacerdotis manum admoveat, puniatque anathemate tortorem in Diœceſi ſuâ commorantem. Annuit Serlo, monet, minatur, vibrat, percutit; nec ſanat: donec pace inter Ludovicum Francorum, & Henricum Anglorum Reges conciliatâ, Epiſcopus, Hugo, & Comes pariter in libertatem aſſerti ſunt. Quod vero ad duplicem gladium, quem Hildebertus diſtinxit, vide Ivon Ep. 253. & notas Jureti, qui multa ex ea epiſtolâ retulit. Duplex gladius.

In fin. pag. 326. Obſeres *reliqnis* Cod. *reliquiis.*

Epiſt. 41. *humilis Cœnomanorum Adela.* Vi- Ep. 20. 25. 26. 31. & infra. Ep. 41.

E. leg. *Hanc à timore ſapientiam, à conſcientia timorem concepiſti. Rapinis....*

P. 327. Leg. invidiam *qua* cœpit. al. *quam*.

Ibid. Nesciens cum *jam* natis. Abest, *jam*.

Ibid. dummodò speret *aliquando* superare. l. *alium*.

Ibid. jam *educes quod*. l. educas *quos* peperisti.

Epist. 42. Ep. 42. Inc. *Ne vel deesse justitiæ*. Andegavensi Episcopo, Reginaldo sibi jam amico. Vide Not. ad epist. 9. 12. 13. nec sequentem narrationem pigeat perlustrare omni fide dignam, quippe ab historico sit ad nudam veritatem dicendam, scribendamque nato. Is, Nicolaus de Clamengis Doctor Sorbonicus scriptis suis metro & prosa elegantissimis, suo, nostroque ævo celebratissimus. Vivebat anno 1410.

Ejusdem argumenti est hæc historia cum epistola, etenim utrobique de raptu agitur, at non ejusdem innocentię.

HISTORIA

De Raptoris, Raptæque Virginis lamentabili exitu.

„ Rem quemadmodùm accipio recenti eventu gestam, quia memoratu digna visa est, literis ne intercideret mandare volui, quam etsi illustriorem reddere accuratiori eloquio non valeo; malui, vel ineleganti inornatoque stilo, quàm nullo omnino referri, nudam gestæ rei seriem uti mihi à fidis autoribus tradita est, aliis etiam tradidisse. Si qui tamen sunt alii qui hæc nostra le-

ctione non indigna putaverint, satis erit. Igitur " in Galliarum finibus miles fuit prisca majorum " nobilitate monimentisque illustris. Is filiam virgi- " nem speciosissimam nomine Eluidem, adultæ jam " ætatis, atque ad conjugalia sacra jucunda idoneã, " habebat. Quam, ut omnium ferè patrum in li- " berorum matrimoniis avaritia est, non tam stre- " nuo ad bonam frugem adolescenti, quàm majori " natu nobili cuidam, qui & ipse prædives erat, " despondere quærebat. Ardebat Virginis amore " juvenis quidam non improbus, quem Florida- " mum nuncupabant, grato decore, claro genere, " bellica virtute, & quod maxime cæteris præstat, " animi generositate spectabilis, cujus mutuo invi- " cem amore puella ipsa tot præclarissimis titulis " illecta tenebatur. Adibat, invisebatque juvenis " amatam, non quoties utrique placitum fuisset: " neque enim liber aditus, patre conatibus eorum " obnitente, dabatur; sed quoties locus, hora, paterna " absentia, cæterique submoti arbitri tutam secreto " adeundi potestatem fecerant. Inter dulcia eorum " colloquia id maxime agitabatur, quâ arte, quave " ratione (quod summis uterque eorum votis ex- " optabat) jungi inter se connubio possent. Nec tra- " hendi ad eam rem quocumque ingenio patris via " ulla aut spes inveniebatur, adeò obstinato propo- " sito illi grandævo diviti eam tradere in animum " induxerat. Instabat jam tempus quo illi inviso " seni desponsanda erat, quibus nuptiis ut obsiste- " retur, simul & cupitis thalamis inter se sociaren- " tur, consilium ejusmodi capiunt, ut juvenis certo " tempore ad id constituto, aliquot secum impigris " adolescentibus assumptis, ad illam è paternâ domo " abducendam adveniret; cætera quæ in votis essent "

Legãt patres, filiarum in nuptiis mercatores, ac deinde parricidæ.

Eluides, Floridamus, nomina ut opínor, fictitia.

„ libere tum, atque ex otio peragi posse, cùm re
„ in tutum perducta ex impendente sibi domi peri-
„ culo virgo ipsa liberata esset. Nec defuit in ama-
„ tore pacta fides. Ubi itaque ventum ad horam
„ est, loco quem ad id opportunum ex composito
„ delegerant, cum eo quo res egebat comitatu, ad-
„ est, virginemque in eo loco expectantem secum
„ voti compos avehit. Cæterùm quia tenero me-
„ tuens oneri equos in fugam concitatiorem cal-
„ caribus admotis urgere nolebat, veritusque ne ar-
„ mata manus à patre, dum rem comperisset, im-
„ missa, languidius gradientes impetu rapidiore op-
„ primeret, publica undique itinera, ne qua inde
„ repentina vis incurreret, per partitos ad hoc co-
„ mites explorari jubet; solus ipse cum virgine equi
„ sui tergo insidente in quamdam villam haud lon-
„ ge distantem à viatorum frequentia satis alienam
„ transversis itineribus contendit, jussis ad se illuc
„ venire comitibus, sibi in ea operienti, si quid
„ periculi adesset properantissimo cursu renuntiatu-
„ ris. Fortè loci illius dies festus erat: Inde, ut fit,
„ ex vicinis pagis juventus eò jocabunda plurima
„ confluxerat, prona solutum à curis animum à la-
„ bore in lasciviam deflectere. Igitur postquàm
„ in villam devenerat in tabernamque juxta mo-
„ rem deverterat. Ecce ferocissimi quatuor agrestes
„ juvenes, vino etiam tum atque libidine insitam
„ animis furiam magis efferantibus, ferro accincti
„ adveniunt; hospitemque qui primus eis occur-
„ rerat minaci vultu allocuti: jube, inquiunt, ex-
„ templò dedi scortum quod modo nescio quis gan-
„ nio intergrediens huc intulit, alioquin nisi dede-
„ ris, vi eripiemus: neque enim quisquis ille est
„ longius auferet. Ille, & jure hospitii, & quia ado-
„

lescentem famâ factis percelebrem agnoscebat, "
truces furentium animos mitigare, à vesanaque "
temeritate avertere tentans. Quænam, inquit, "
vos agitat dementia? Hic homo armiger est no- "
minatissimus, sanguine pariter & rebus gestis "
egregius; videte, obsecro, ne indignam aliquam "
injuriam in eum admittatis, quæ vestro acerbis- "
simo malo posterius expianda sit: neque enim im- "
pune abibit, si quid in eum temerè egeritis. De- "
nique ne erretis, & falsâ opinione ludamini, non "
meretrix ea est quam ducit, sed sui generis, aut "
affinitatis illustris adolescentula, quam à turpi "
abhorrere crimine, indoles, gestus, effigies, vere- "
cundę simplicitatis modestia, facile ostendunt. Sup- "
petunt abundè scorta quibus abutamini: in illis "
vestram explete libidinem, & nolite per exe- "
crandum hoc facinus capitale vobis discrimen ad- "
sciscere. Iis aliisque similibus conabatur fidelis "
hospes indomitam juvenum rabiem compescere! "
Sed quæ verba insanas mentes placatura pute- "
mus? Fremunt, tumultuantur, magis insaniunt, "
& nisi ocius exponatur quod quærunt, effractu- "
ros se se cubiculi fores minitantur. Quorum ut fi- "
xam immobilemque sententiam hospes animad- "
vertit; properat illicò armigerum accessere, sibi- "
que effrænatorum agrestium violentissimam nun- "
tiat importunitatem. Ille ubi hæc accepit con- "
stanti imperturbatoque vultu ad eos prodit, &, "
ut verbis placidus erat, quid velint, quidve "
illuc quæsituri venerint, blandè percontatur. Illi "
velut arreptitii, horrisonâ voce torvoque vultu "
meretriculam se velle aiunt quam secum in cu- "
biculo occultam teneat; proinde, si consultum si- "
bi velit, ipsam tradere ultro ne cunctetur, ante- "

„ quam, si id negaverit, cum suo fortassis incom„ modo vi abripiatur. Ille nihil à sua gravitate tur„ bidis eorum vocibus absterritus, benignè respon„ dit: non esse suum meretrices per patrium solum „ ducere, neque his à puero artibus aut moribus „ educatum; se antiquâ proavorum nobilitate pro„ genitum, inque iis ipsis partibus quibus non igno„ tus erret, oriundum. Quam primum sibi per æta„ tem licuerit semper arma & castra consectatum, „ non postremum militiæ decus inter unà militantes „ retulisse, nunc vero paululum vacationis, paululum„ que sibi laxamenti ab his laboribus sumentem, pe„ nates suos, parentes, patriam, cognatos, affines lon„ ga non visos absentia revisere; quam secum ducat „ adolescentulam consanguineā sibi esse nobilissimo „ loco ortam, intactam, inviolatamque virginem; „ neque id se æquis oculis spectaturum, ut in suo „ comitatu aliquid eidem contumeliæ fieret; servos „ suos non longè abesse, quos aliorsum justa de cau„ sa ablegatos brevissiméqueredituros illic expe„ ctet: Idcirco eos orare ne se dignum existiment „ cui tantum fieri debeat opprobrium, quod si im„ merenti facere persisterent, pro virili parte oc„ cursurum minimeque passurum. Addit his nomen, „ addit genus, ut amplior per ea fides dictis accres„ ceret, nec ficta locutum esse clarescceret.

„ Barbari & genus sæpius & nomen faten„ tur, sed eum esse quem se dictitet, id omnino „ pernegant; cujus rei pro argumento solitudi„ nem maximè objectant, nunquam illum absque „ comitatu equorumque frequentiâ, cujus falsum „ nomen usurpet, incedere solitum monent. Ita„ que ut a figmentis dolisque desistat, & tali„ bus eos commentis fallere posse spem deponat, frustra

frustra eum in ejusmodi coacervatis mendacijs " tempus detinere, non se ultra illis aures præbituros, sed facto, nisi obsequatur, non verbis acturos. Inclytus vero adolescens ubi nihil " reliqui esse prætervim conspiscit, eamque furibundos barbaros jam parare, tametsi iniqua " sors pugnæ soli adversus tot rusticos robustissimos subeunda erat, tamen hanc in anima " sententiam firmat, aut certæ occumbere morti, " aut a fœdissimo eorum conatu suum amorem " tueri. Illis ergo jam cubiculum quo relicta " virgo erat lymphatica debacchatione petentibus obvius intrepidusque se objicit, atque illam nunquam, se vivo, abducturos ait, ferro " iter per corpus suum, si ad eam venire velint, " aperiendum esse. Jamque non ulterius mutuo " verborum altercatu, sed strictis utrinque gladiis " res agitur; sed heu impar nimium dimicatio erat, " quatuor eodem impetu in unum irruebant; ille " pristinæ gloriæ virtutisque memor rerumque " quas cum alibi tum maximè in Sicilia præclaras gesserat, indecorum indignissimumque " præterea ratus se qui tot ex diris hostibus " bellisque asperrimis salvus evaserat quatuor " sordidissimorum nebulonum scelerata manu opprimi, simul innato animi ardore, simul irâ, " simul pudore inflammatus, fulmineum undique " ensem circumagit, modò punctim, modò cæsim, si quis propius accessisset, insultans. Quid " plura? universos à se eodem hærens vestigio " saucios aut membris mulctatos abegerat, nec " quisquam cominus aggredi jam audebat, cum " unus e furciferis intorto eminus jaculo, heu tibi " ô virgo superstes, inermem corpore incautum- "

" que transfigit. Quo ictu viribus illicò defectus
" moribundus ad terram labitur. Exultant de
" trucidàto nobili adolescente quasi de gloriosis-
" sima parta victoria crudelissimi carnifices, mox-
" que inde secreto elatum, morte hospiti nisi
" adjuvaret silentioque rem tegeret intentata, do-
" mestico in pomerio infodiunt. Poterat satis ea
" cæde fervor petulantissimæ libidinis ne ulterius
" grassari vellet inhiberi; sed de sævissimis ho-
" stibus negatus adolescenti triumphus Virgini
" servabatur. Ergo custode Virginis qui furen-
" tium voluptati solus obstare credebatur impia
" nece sublato, in conclave quo sola ipsa ignara
" omnium quæ acta erant serum amatoris redi-
" tum anxia præstolabatur cum immenso fragore
" irrumpunt; ad quorum conspectum pavida at-
" que exanguis effecta: heu me, inquit, infeli-
" cem! ubi ille est, aut quorsum abiit, quid me
" hic solam reliquit, quidnam hoc rerum est?
" Num periit, perituramque una secum miseram
" deseruit? Illi turbatam territamque primùm
" quidem consolari blanditijs & fraude circum-
" agere nituntur. Hortantur bono animo sit,
" nihil esse quod extimescat, salvum esse eum de
" quo sollicita sit, seque ad eam quærendam at-
" que in domum aliam ubi eam expectet deducen-
" dam misisse. Deindè ubi eam dolis circumvenire
" nequeunt, sed ægram animi oborta de nece ado-
" lescentis præsagia acrius exacerbant, tandem aper-
" tam vim professi. Quæ hæc, inquiunt, tergiversatio
" aut difficultas est? Quæ vana pudicitiæ, quasi te
" quæ sis non noverimus, simulatio? Scimus te pu-
" blicam esse meretricem, & nobis omnibus publicè
" hîc scortaberis. Cumque jam ad vim inferen-

dam res spectaret, multa prius oratione ne id agerent incassum consumpta. Ubi spem proficiendi ademptam videt, orat, obtestaturque impensius, quandoquidem in eas fortunæ angustias adducta sit, ut saltem suæ verecundiæ consulentes non in oculis omnium sibi illudant; sed aliis interim exclusis singuli post singulos ad eam accedant. Ægrè id concedi impetrat, impetrat tamen, datâ etiam ab illis optione ut quem primum ex omnibus ad se ingredi præoptaret, eligeret. Illa provectiorem ætate, tanquam ad id quod moliebatur suo judicio accommodatiorem, eligit. Quo secum, cæteris ultrò cedentibus, in conclavi recluso, pessuloque ne quis interveniret foribus obdito, iis hominem verbis alloquitur. Non sum nescia, charissime adolescens, omnem sortis meæ summam, omnes spes opesque meas in tua potestate sitas esse; in te vitæ necisque meæ arbitrium; in te pudica ne vivam, an ludibrio insolentium juvenum ad generis mei ignominiam prostituar, constare. Nam, ut nihil mearum rerum te lateat, virgo intemerata sum, clarissima ex prosapia, militari ex parente procreata, te primum potissimumque ex iis juvenibus eò legi, quòd mihi viderere, cum per ætatem aliquantò decliviorem ad maturitatem, tùm per mores, nisi fallor, mansuetiores, rationis prudentiæque capacior esse. Non quidem ut delibatæ meę virginitatis jus, quod absit, efflorator esses, sed ut patronus, & tutor conservandæ fieres. Vides horum adolescentulorum præcipites animos, qui minus ex lubricâ ætate quid liceat aut conducat perspicere possunt, in nefarium ruere flagitium: eos facile tua oratione ab incœpto revocare potes; quod

„ ut facere digneris, supplex atque ad pedes tuos „ advoluta precor & obsecro, nec gratuitò id te „ facturum existimes; magna, si hæc feceris, te præ- „ mia manent. Nam, ut solidam perpetuamque „ gloriam sileam quam inde comparaveris, te, tuos- „ que honoratissimos facere, & maxima opum exu- „ berantia ditare promitto. Quamobrem per tui „ tuorumque amorem, per virginis & genitricis „ immaculatissimæ misericordiam, tuam fidem im- „ ploro: Te iterum iterumque exoro, ut me ex hac „ procacissimorum juvenum injuria eripias, nec tan- „ tam honorum mercedem nullo tuo labore tibi ob- „ venturam, momentaneæ unius illecebræ suavitate „ tristiori postmodum pœnitudine compensanda, ve- „ lis amittere. His nequicquàm per virginem per- „ oratis, ille, non ut ipsa arbitrabatur, aliis exo- „ rabilior, sed nescio an perfidior subjicit: frustra „ eam in longis fucatisque sermonibus operam insum- „ psisse, meretricia se callere ingenia, & tritæ defri- „ catæque meretricis ea blandiloquia esse, quibus, „ si eum se decepturam esse confidat, ipsa se se, & „ non eum decipiat, nihil ultra verbis opus esse, „ suo oportere eum concubitu frui. Tandem illa „ postquam cum feralibus inhumanisque animis si- „ bi rem esse cognoscit, quos, non fides, non pie- „ tas, non jus, non fas, non honesti respectus, non „ supplex ulla flectat oratio, ab impurissimo le- „ none id demum exposcit, ut apertas saltem cubi- „ culi fenestras, ne alicunde conspicerentur, obse- „ raret. Quod cum vix obtinuisset, atque ille clau- „ dendarum ministerio intentus esset, epulari cul- „ tro, quem sub veste latentem ferebat, educto, ne „ à perditâ improborum luxuriâ stuprum pati co- „ geretur, jugulum reserat, cruentaque & semiani-

Triste spectaculum

mis collabitur. Tunc ille, & cæteri sodales horrendo spectaculo attoniti, & suis tandem ex sceleribus meritas exigi pœnas metuentes, quà quemque impetus agebat, quâque timor immoderatus impulerat, diffugiunt. Tollitur à Romanis scriptoribus supremis ad Cœlum laudibus Lucretia, quæ à Regio adolescente vi compressa post alienum in se commissum adulterium superesse non sustinuerit; sed suæ conscia innocentiæ, illatæque turpitudinis impatiens, ferro sese in testimonium eximiæ pudicitiæ peremerit. Non disputo quàm rectè inde laudata sit, cum sciam divinis legibus gravi interminatione vetitum, ne quisquam omnino qualibet ex causâ mortem sibi consciscat, poëtamque non injuriâ illos infernis tenebris inserentem audiam, qui sibi lethum insontes peperere manu; sed sive jure ex eo facto laudata Lucretia est, sive, quod magis existimo, non tam laudãda fuit, quàm a noxæ magnitudine propter ingentem pudicitiæ affectum piè excusanda. Audeo hanc virginem utráque in re non solùm sibi comparandam, sed multò anteferendam contendere. Illa enim post perpetratum in suo corpore ludibrium, ne crimini consensisse putaretur, sibi necem intulit. Ista ab omni suspicione illicitæ consensionis alienissima, ne fœdo pollueretur attactu morte anticipatâ providit. Illa ne erubesceret de admisso, ista ne quid pateretur quo erubescendum foret, vivere noluit: illa metu subacta adolescentis impudici voluntati morigerata est, ista nullis terroribus ut in stuprum perferendum acquiesceret evinci potuit: illa cum unico & ingenuo certamen habuit, hæc cum quatuor immanissimis agrestibus constantissimè depugnavit:

Lucretiæ factũ discutitur, an laude sit dignũ.

„ Illa postremò præcorrupta per expertas jam nup-
„ tias integritate certavit; ista pro conservando in-
„ fractæ virginitatis signaculo occubuit; quam, etsi
„ in piorum cætu collocatam nisi salutari pœniten-
„ tiæ subsidio præcurrente credere non licet, ta-
„ men non absonum à verò putandum est, & ipsam,
„ quæ non repente è vita excessit, conversâ eo mo-
„ mento ad Deum tota cordis intentione pœniten-
„ tiam egisse, & salvatorem indulgentissimum, qui
„ tantum pectori ejus castimoniæ ac puritatis amo-
„ rem infuderat, postulatam veniam nequicquam
„ abnuisse.

Epist. 43. Ep. 43. Inc. *Locorum, vel temporis:* M.... Reginæ Anglorum Mathildi cui ep. 15. & 16. Vid. ib. Notas.

Epist. 44. Ep. 44. R.... Andegavensi. Reginaldo de quo toties. Inc. *Sacerdos*, &c. Decretis Concilii Florentini par Ep. quæ consulas, dissertationemque R. P. Lupi, nostri sacri ordinis insigne decus.

Epist. 45. Ep. 45. Inc. *Zelum legis habes:* Cononi Cardinali Episcopo Prænestino, aliis Cuno script. an. 1114. V. infra, quem merito convocatorem Conciliorum diceremus, adeò coëgit multa. Hic Germanus, primum Eremita Trecemburgensis Ordinis Ambrosiani, deinde unus ex iis religiosis fuit, ut habet Robertus de Monte, qui Ereminicam vitam apud Truncum Berenger primò duxerunt, & Arroasiani Ordinis Canonic. Reg. S. A. auctores extiterunt, ad an. 1090. De quâ congregatione legendi Ferreolus Locrius in Chronico Belgico ad an. 1090. Molanus. 4. Maii, Gazæus in Catalog. Episcop. Attrebatensium. Massæus l. 16. Chronici. Jacobus de Vitriaco Historiæ suæ Occident. c. 23. Sammartani in Abbatiis

Cono Cardinalis Prænestin. Episcop. Legatus in Gall.

Gall. Erravit Ciacon. fœdiſſimè qui in Dairbatenſi pro Attrebatenſi Diœceſi ſub regulâ S. Benedicti Arroaſianum Monaſterium conſtituit. Tandem Epiſcopus Cardinalis Prænestinus in locum Chunradi creatur. Vide Vghellum in eorum Epiſcoporum ſerie, multas legationes, Hieroſolymis in Germaniam, in Gallias pro Sede Romanâ egregie obivit; Concilia ubique celebrans. Præcipuus auctor fuit ſententiæ excommunicationis in Henricum Imperat. Latæ, quam Abbas Vrſpergenſis ad an. Dom. 1116. & 119. refert dictaſſe Hieroſolymis, & poſtea in Græciâ Ungariâ, Saxoniâ, Lotharingiâ, Franciâ variis Conciliis confirmaſſe. Præfuit in Galliis ab an. 1114. ad an. 1115. Beluacenſi, Sueſſionenſi, Remenſi, Colonienſi, Catalaunenſi. Vide tom. 10. Concil. Collect. Labb. p. 797. cum iis temporibus omnium penè legatorum, ut principibus faverent, corda poſſederat ignava auri cupiditas. Monet Hildebertus Epiſcopali quidem libertate, zelantiſſimum Legatum, ne ſe ſinat qualibet ratione à juſtitiæ integritatiſque recto tramite diſtrahi, perſeveretque ad finem incorruptus. Ita ſe geſſit teſte Vuillelmo Malmesbur. l. 1. de Geſtis Pontif. Angl. *Legati*, inquit, *libenter refringebant impetum propter violentiam denariorum, quæ eis Reges, Henricus Angliæ*, &c. *profusè offerebant*. At *non ita facilis flecti* Cono *in Gallia*, &c. Mendû Ciaconii de Arroaſiano Monaſterio & inſtituto.

Ep. 46. *Sicut reprimenda* ... An Guillelmo Abbati S. Vincentii ad quem Ep. 37. Mirum eſt! damnat in alio Hildebertus abdicationem quam ipſe ſummis precibus obtinere feſtinarat Epiſt. 24. 48. Epiſt. 46.

Ep. 47. Inc. *Sancta converſationis* ... Vide Epiſt. 47.

quæ notavimus ad ep. 45

P. 328. f. *Balaam plenum maledictionis animum*, &c. *Antè hostes cecidit Israël.* Ita leg.

G. Sacerdotes, inquit, *in mercede docebant:* al. *in morte dedocebant.* Depravatam lect. docet præcedens sacræ scripturæ textus.

P. 329. C. his hominem *amittere* maleficiis. cod. *Admittere*; at lectio impress. omnino recipienda.

Ibid. Auram *odorari* MS. *odorare*.

P. 329. E. Ferrum *exors* ipsa secandi. al. *exoris*.

Epist. 48. Ep 48. Inc. *Plerumque fit.* Episcopo . . . de Mathilde Ep. 15. ejus obitus ex Roberto de Monte & Math. Paris. an. 1118. accidit, quem malè Harpfeldius sæc. 12. c. 3. ad an. 1119. retulit.

F. C*ui nihil ex opulentioribus deliciis, nihil ex potestatis.* Sic cod.

G. Non *solamur* à debito. MS. *soluimur*.

Ibid. *Episcopatus* fecit. l. *Episcopus*.

Epist. 49. Ep. 49. Inc. *Audivimus.* Serloni Sagiensi Episc. Vide not. ad Ep. 7. 28. 40.

P. 330. *Communionemque* tibi interdico. cod. *communicationemque*. De ea lectione vide 16. q. 4. c. miror.

Epist. 50. Engolismen- Concilium illustratur. Ep. 50. *Potestati.* Girardo Ep. Engolismensi scripta 1118. vel paulò post. Eo enim anno celebratum Engolismense Concil. docet Chronic. Malleacense. Cæterùm huic Concilio cujus apud nos vix devenit memoria, præsens epistola multum lucis afferet; fugerat Labbei oculos Conciliorum collect. p. 823. Vide & quæ notavimus ad epist. 38.

C. *Qui* remisit, &c. Cod. *Quam remisit offensam: remisistis autem, & hoc nobis signum eumdem* G. *de Longeia nobis in præfato.* ita cod.

Ibid. Si quid *igitur* apud amicum. MS. interserit, *igitur*.

Ep. 51. *In regno quidem.* Ad Monachum M.... qui malè sentiens de animabus sanctorum ociosas dicebat esse litanias. Ita cod. Quis sit hic Monachus, planè ignoro. Gesta Hildeberti multa referunt de quodam Henrico, at nec in eum, nec in quemquam ex ejus discipulis quem sciam, cadere potest titulus. Cæterùm multis scatet mendis, ex quibus quæ sequuntur emendamus. Epist. 51.

E. *Et gravius*, &c. l. *eo gravius* anima mea vulneratur.

Ibid. *Vel aliquando senserim, quod insentate sentitur, quod periculosè creditur, quod lethaliter docetur*, sic cod. *Nec habet carnaliter senserim*, &c. Additque, *lethaliter docetur*, cod. reg. *casualiter docetur*.

F. *Nondum implet Episcopum*, &c. *Quoties non arguit delinquentem.* sic leg.

Ibid. Sed *socius*. l. *sociis*.

H. *Praponenda est, sed cum veritas consuetudini suffragatur, nihil oportet firmius retinere.* al. *praponenda est, scilicet cum veritas consuetudini suffragatur; vel oportet firmius retinere*, &c. Sic autem cod. prosequitur. *Fortassis autem revelatum est tibi desuper*, &c. *Felix qui solus Ecclesiæ factus es cœlestium interpres secretorum. Credebam tantummodo Paulum*, &c.

Ibid. *Orare pro nobis, infirmum & debile est testimonium quisque sibi. Habeo mecum plenas auctoritatis animas*, &c. sic leg.

P. 3:1. A. qualiter *disponantur*. l. *disponatur*.

E. Charitatem *exemit* simul & carnem. cod. *exuunt* simul.

Epist. 52. Ep 52. Inc. *Dilectissimo Fratri, atque Venerando Oxoniensis Ecclesia Canonico Clarembaldo. Hildebertus humilis Cœnoman. Sacerdos.* In fin. *Clarembalde, immò & Clare valde.* Non est distorta allusio. B. namque & V. affines & vicariæ literæ sunt.

P. 532. A. *Quod quia non sic attendi*, &c. cod. *Quæ quia non sic attendi diversa, ut adversa sibi judicarem in his quæ juxta primum exemplar edideram.*

Nota in edit. irrepsisse errorem circa epistolarum numerum. Ea namque. 54. notatur, quæ est tantùm. 52. Deinde bis repetitur nota numeralis. 54.

Epist. 53. Ep 53. Inc. *Pascha Domini:* Abbati .....

C. *Doceat itaque vos præsens festivitas, ad fratres qui ad Monasticum respirant conventum misericordiæ passu transite*, &c. *Sed vincatis in bono malum.* sic leg.

Epist. 54. Ep. 54. *Reverendissimo*, &c. *Claromontensis Ecclesiæ Episcopo* ... Aimerico. Sammarthani in Gall. Christian. de Episcop. Claromontanis. *Aimerico scribit Hildebertus. ep. 55. reprehenditque consuetudinem, quâ præbendæ reddebantur hæreditariæ in suâ Ecclesiâ.* Aimerico sedente Concilium celebratur apud Claromont. an. 1130. ex Ottone Frisingensi l. 7 c. 18.

P. 532. col. 1. ad fin. vestræ *commodo* Ecclesiæ. l. *concedo.* col. 2. E. *petit* gratia. cod. *perit.*

Epist. 55. Ep. 55. Inc. Regi Anglorum ... Henrico Primo: Inc. *Cum Bene.* Finit in tribus MS ad hæc verba: *Nec immoti dura pertransennt.* Alia statim consequitur, cui titulus: *Ad amicum; de instabilitate vitæ;* his incœpta verbis: *Considerantì dili-*

gentius. In edit. fit ex duabus una. Et quidem fortaſſis optimè : Solâ] enim ſectione debere divelli, docet inſtitutum ſcribentis, argumentumque epiſtolæ, de quo ita Chron. ſancti Michaël. in Bibliot. MS. Labbæi tom. 1. pag. 349. *Subverſus eſt ante Barbeflutum Vuillelmus filius Henrici Regis Anglorum, & multi alii cum eo.* Chron. Rothomag. ibid. *Apud Barbarum Fluctum.* Sunt qui ingrediuntur profundum maris, cauſamque tanti infortunii perſcrutantur. Mathæus an. Domini 1120. *Rex Henricus omnibus in Galliâ domitis, & cunctis in Normania pacificatis cùm gaudio ad Angliam transfretavit. Sed filii ejus Vuillelmus, & Richardus, ac Filia Neptis, Richardus quoque* Conſul *Ceſtrenſis, Dapiferi*, Ca*merarii*, Pincern*æ* Regis *ac multi Proceres cum eis in mare naufragium pertulerunt ſeptimo Kal. Decembris, qui omnes, vel ferè omnes Sodomitanâ labe impliciti dicebantur. Ita igitur miſerabiliter cuncti perierunt, quod communi fidelium ſepulturâ caruerunt, atque mors improvida immundos abſorbuit, mari tranquillo exiſtente.* Alii in execrationem Matris retorquent quos confutat Harpfeldius Hiſt. Eccleſ. Anglic. 12. ſœc. c. 3. *Quidam*, inquit, *tradunt Mathildem virginitatem Deo prius dedicaſſe.* Vide quæ diximus ad ep. 15. *Atque ideo prolem, ſi qua ſibi naſceretur, horrendis diris execratam, ejuſque execrationis aculeos prolem Guillelmum ſenſiſſe, cum ex Normanniâ in Angliam tranſmittens, mirabili naufragio abſorpta fuerat*, &c. *Neque de illâ execratione authores qui proximius ad ea tempora acceſſerunt, meminere. De naufragio quidem meminere; ſed ita, ut execrandis ſubmerſos Regis filios, & alios penè omnes immer-*

Vuillelmus Henrici Regis filius, plerique cũ eo proceres ſubmerguntur.

Apologia Mathildis, cujus ſacrilegio commentitio. Naufragium illud imputabatur.

sos vitiis simul tradiderint. Et Guillelmum quidem natu majorem, regnique hæredem ferociter minas jactasse, quibus minabatur se, si aliquando rerum potiretur, Anglos instar boum ad aratrum circumducendum, sub jugum missurum. Quin & Richardum Cestrensem Comitem, qui eodem naufragio obrutus est, minaciter dixisse: se Monachos Cestrenses, quos pater ipsius induxerat, profligaturum. Vtcumque sit, &c. Veneremur altitudinem judiciorum Dei, cujus justissima, sapientissimaque providentia sic ordinante & permittente submersi sunt miseri, Filius Regis, &c. Ne pariter tristitiæ fluctibus absorberetur & pater, Hildebertus fecit ei viam consolationis in aquis multis, qua per siccum ambularet in medio maris. O pulchram epistolam, dignam quæ legatur, relegatur, diurna nocturnaque versetur manu! æque spirat eloquentiam ac sapientiam. Stilo Tulliana est, ingenio Philosophica, remedio Christiana. Consule not. ad ep. 36.

P. 333. *col.* 2. E. Doctrina *levis* est. l. *lenis.*

F. Celeberrimè *triumphari*, &c. *triumphasti.* Ea *nihil* in alium.

H. *Numquam satis, &c.* Lege divum Greg. in hæc verba Job. 13. 26. *Scribis enim contra me amaritudines.*

H. Projectum à *gratia* l. *gratia.*

Ibid. infra. *Quoniam unà* vicerat. l. *quem unà, &c. & personale.* Peccatum primi Parentis est, & privati hominis, & capitis. Ea secunda ratione participes ejus sumus; peccato quidem personali inquinati, sed ejus personæ quæ, & quia caput est. Utramque ergo probo lectionem, *particulare*, & *personale*. Ultimam habet cod.

P. 334. B. *Qua* pugnandi. l. *qua*.

C. Sapientiam *extorsit*. l. *sapientem*. Ita & antiqua lectio quæ male remissa est. Hildebert. usitata phrasis: *Episcopum exuit*, &c.

D. Et ejus quem circumferimus *aliquid*, &c. l. circumferimus, *nihil* ritè fit, *nihil* ordine, *nihil* unde doceamur, *quid* à cæteris animantibus hominem separet, &c.

P. 334. col. 2. E. Nec *posteris* utuntur. l. *prosperis*.

Ibid. *Hae* sane prærogativa l. *Hac*.

F. Nemo miser ex *animo* est. l. ex *alieno* est. Ex Seneca, quem totum hæc epistola spirat.

Ibid. *Incitatior* ad molam destinatur. C. *inertior*. Prior lectio arridet magis, cohęretque sequentibus.

Ibid. Nulla *gratia* ex ambitioso. l. *gloria*.

Aliter sentiendum. Sanè quò ornatior equus, eo fervidior. Animal esse gloriæ capax si ullum, docet experientia.

G. meųedemos.

G. *In conviviis*, adde, *disceptatur*, *&c.* Quos *ipsa* eliminet, tolle *ipsa*.

G. His invigilat acquirendis *quasi sero*. l. *qua si sero*.

Ep. 56. Inc. *Gaudii materia*. Ad monialem ... An Mathildis Guillelmi submersi sponsa? De quâ ep. 36. *Epist. 56.*

Ep. 57. Inc. Beluacensi Episcopo ... Circa finem, lege. *Facit* ut velis. al. faciat. *Epist. 57.*

Ep. 58. Inc. *Ad memoriam Beati Iacobi*: Comiti Andegavensi ... Facilis est dignosci. Is est qui Toartium expugnavit. De quo Chronic. S. *Epist. 58.*

Albini apud Labbæum in Biblioth. MS. *Fulco Rechin pace initâ cum filio suo Gaufredo quem exhæredare voluerat an.* 1103. *pariter & sequenti anno castellum carceris cœperunt, & Toarcium magnum, & nobilissimum Castellum concremaverunt.* Cæterum erratiles tantum peregrinationes eo loci damnat Hildebertus, & quæ à majori bono removerent.

Fulcho Rechin Andeg. Comes.

F. *Responde* suffragiis. Sic leg. *Sede in Palatio*; *dispone* de suffragiis. Vide ad fin. *Domi sedens, pauperum subsidiis insistens.*

In fin. *Circumferri per memorias lapidum, sed circumferre memoriam virtutum.* Sic leg. Enimvero plurima pars, quod deflendum, commendat se lapidi, muneribus suis, donationibus, &c. non altari, non Christo. Apage mihi has herbas parietarias: in templis nostris malè olent, vixque odore incensi perpurgantur.

Donationes parietariæ.

Ep. 59. Inc. *Sicut parvitatem.* Episcopo Carnotensi.... Quis dubitet, an Ivoni? Cum frequentes epistolæ quibus in gravioribus causis se interrogant, id testentur. Vide Ivo. Ep. 74. 148. 167. Qui quidem vir fuit, prudentiâ, pietate, religione longe nobilissimus. Passim de ejus laudibus apud Historicos, Sigebertus ad an. 1078. & 1092. Ejus continuator an. 1097. Mat. Paris. 1117. Ordericus. 1103. Bellarminus, Trithemius, noster Philippus Bergomas in supplemento, qui perperam eum S. Quintini præpositum facit. Ejus jam meminerat Hildebert. ep. 26. & 39. Philippus Abbas Bonæ Spei epitaphium ei conscripsit. Controversiam inter historicos circa ejus electionis in Episcopum & consecrationis tempus, doctè dirimit Sirmondus in not. ad ep. 1. l. 2. Goffri-

Epist. 59.

Ivonis Episcopi Carnot. laudes: quove anno in Episcopum sit Promotus.

di Vindocinensis, cujus sententiam sequuntur Sammartani, in Gall. Christ & propugnat scientissimus dissertator R. P. Alexandre tom. 17. Histor. Eccles. p. 463. cod. Sanvict. nobilior habet Claromontensi Episcopo Vid. ep. 54. De irregularitate Clerici; consulendi Summistæ, verb. Irregularitas, homicidium & D. T. 2. 2. q. 64. ar. 4. An liceat Clericis malefactores occidere? Noster P. Arragon difficultatem dilucidè pertractat, doctéque definit ibi, meminitque hujus irregularit. Vide & Canonistas de Clerico percussore.

Ep. 60. Inc. *Iucunditas*: Confunditur penè cum præcedenti, nec singulari argumento insignitur, titulo aut, numero. Congratulatoria est ad amicum dignitate auctum. *Epist. 60.*

Ep. 61. *Apostolicis*: Monachis qui Carnotensem Episcopum hospitio recipere noluerunt. Hujus Epistolæ argumentum mirum in modum illustrabunt, quæ habet S. Gregorius Magnus ep. 18. l. 7. Indict. 1 & ipsemet Jvo parte. 15. de Pœnit. c. 127. in Decreto. *Quicunque hospites non recipit in domo suâ, sicut Dominus præcepit*, &c. *tanto tempore pleniter in pane & aquâ, si non emendet, pœniteat.* Eadem multa legitur in pœnitential. Romano. At si pro merito & incommodo personæ repulsæ crescere debeant pœnæ: quantis plectendi erant Monachi, qui nocte premente eliminatum, qui Episcopum, qui sanctum qui denique Jvonem abjecerunt, vitæ religiosæ si quis alter, cultor, protector, instaurator, beneficiis, legibus, exemplis. *Epist. 61.* Hospitalitatis neglectæ inimitabile exemplum.

336. c. juxta *portam* dum vester. l. *juxta poëtam: principio clivi vester anhelat equus*; quid

velit dicere ſatis explicat in ſeq.

C. Et *inoffenſam* currere. l. *inoffenſè*.

D. Sed is *minime* cultor. l. *miſericordiæ*.

Ibid. *Manus ad munus quam promittat* cod. *Manus mittit ad munus, quam permittat advocatum*. Id omnino Clarius.

D. *Scilicet* quem tu eſurire, &c. lege ibi, & infra, ubique, *ſed*. 10 lin. infra. *Sed Phariſæi jactantia*, &c.

E. *Evadet* ad arcem Monaſtici refugii, &c. cod. ad arcem Monaſtici refugii *evadit*, *deoſculatur humilitatis indumenta*, *quod ad ea ſerius acceſſerit conqueritur*, univerſas, &c.

F. Ut in eo adoretur : Addit MS. *Oſſeus*, & exanguis vultus, ut *corde* circuncisum.

G. *Operati* litibus. l. *operario*.

Ibid. Non invitandus *tamen* fuit. Omninò peſſimè : lege *tantum fuit* : Locus deſumitur ex hom. 23. S. Greg. in Eu.

P. 337. col. 1. B. nonniſi : *Precibus & meritis*. cod. *præcedentibus meritis*. Ita legendum docet repetita eadem ſententia in fine ep. 70.

Epiſt. 62. *Adelinda altera Henrici Anglorum Regis uxor.*

Ep. 62. Inc. *Cum ſuſceperis* : Reginæ Anglorum Adelæ ut puto, Quam *Adelindam*, *Adheleidam*, *Adeliciam* ſcriptores vocant, Louaniæ ducis filia ex Roberto de Monte, & Math. Pariſ. ad an. 1121. Polidor. Virg. Lotharingiæ. Enimverò in genealogiâ Lotharingiæ principum ex Paradino, Trelæo, & Abizio nominatur Theodorici Marchionis Lotharingiæ Filia, ex Bertha Simonis Moſellaniæ ducis. *Theodoricus*, inquit, *filius Guillelmi Bononienſis Comitis Ionvellai ab Henrico Quinto Imperatore conſtitutus Marchio Lotharingiæ an.* Chr. 1119. *Vxor Bertha*, &c.

N. tri.

Nati, Simon, &c. Adelina uxor Henrici Regis Angliæ, &c. Cui nupsit defunctâ Mathilde, at infœcundo thoro, tametsi eam solius pulchritudinis & prolis causâ adamasset. Ejusdem penè est argumenti, cum Ep. 70. Quę pietatis hujus Reginę non vulgare præbet testimonium. Porro Filiam fieri, & orationum Ecclesiæ consortem, idem ferme est, ac Familiaritatis obtinere privilegium. De quo fusè ad epist. 24. Raro tamen legeris Monasteriorum *Filiam*, benè Cathedralium, principaliumque Ecclesiarum. Hinc Domnizo l. 2. Vitæ Mathildis Comitissæ, Bonifacii Ducis relictæ, eamdem, *Filiam S. R. Ecc. Filiam S. Petri* nuncupat

Pacem putat esse futuram
Filiola Petri, Christi famulaque fideli.

Filiæ Ecclesiarum.

Et Rangerius Episcopus Lucensis de eadem:

Filiola Petri viola post lilia dentur.

Post chartam ejusdem Mathildis, quæ describitur à Dominico in Assertore Gallico c. 9. habetur in originali, teste Cangio; P. *Episcopus servus servorum Dei Virdunensis Ecclesiæ dilectis fratribus, salutem & Apostolicam benedictionem*; verba notatu digna, *quod Comitissa Mathildis dilecta filia* B. Petri Virdunensi Ecclesiæ sponte dedit, &c. Porro *filiæ Christi* dictæ sunt Moniales. Vide init. ep. seq. *Adela Ancilla, & filia Christi*; hinc Filiæ S. Francisci, Augustini.

P. 337. col. 1. D. Desiderio *desideravi*. cod. *desiderasti*.

E. Illuc transferas *sanctitatem tuam*. leg. *substantiam tuam*.

G. *Sepeliri* mortuum. l. *sepeli*.

Ibid. Nulli desunt *extra* misericordiæ. l. *exempla* misericordiæ.

P. 538. A. fratres nostros *Manutenentis*. cod. *manutenentis*.

Epist. 63. Ep. 63. Inc. *Hildebertus*, &c. *Adelæ* Comitissæ. Ep. 10. 25. 26. 31. 41.

Epist. 64. Ep. 64. Inc. *Promissam* .... Pontium Abbatem Cluniacensem suspicarer; ut pagina diu expectata, sit vita Sancti Hugonis ejus rogatu descripta, cujus præfationi præsens mihi videtur epistola respondere. Accedit ritus panis intincti in Monasterio Cluniacensi usurpatus, atque à Paschali Secundo improbatus, Ep. 32. tom. 10. Concil. p.655. quæ ad eundem Pontium mittitur: Multa ad ejus mentem hic Hildebertus. De eo ritu vide not. Binii ad eam ep. Pasch. Petri de Marca ad Canon. 28. Concil. Claromontani, Micrologum c. 26. De Pontio ep. 24. quâ & probavimus Hildebertum nusquam Monachum Cluniacensem egisse; tametsi non negaverimus ejus monasterii fuisse familiarem, sanctique Hugonis, cujus gesta edidit, discipulum & auditorem. Cum luculenter id affirmet Petrus Pictaviensis in panegyrico ad ipsummet Hugonem.

Prodiit hinc etiam Iuliani dulcis alumnus
Qui benè Turonicæ præfuit Ecclesiæ.

F. Magistri proditorem *ostenderit*. l. *ostenderet*.

G. Ac deinde *ad hoc tamen*. l. *ad hoc ventum*.

Ep. 65. Inc. *Beatitudini*: Nullus ex codicibus mihi eam retulit. Scripta an. 1127. Ex Labbæo in Conciliis tom. 10. & Sammaranis in Gall. Chri-

stianâ de Vuallone Leonensi Episcopo agentibus. Britonibus tunc præerat Dux Conanus.

Ep. 66. Inc. *Honorius*, *&c.* Est honorii. *Epist. 66.*

Ep. 67. *Honorio*, &c. *Quantis tribulationum.* *Epist. 67.* Hujus epistolæ argumentum satis solidè pertractat R. P. Natalis Alexandre Histor. Ecclesiasticæ tom. 19. p. 195. atque ipse Hildebertus disertè ep. seq. & 75. & aliis in spicileg. & Dominus Maan. num. 17. & 18. quapropter subticemus, ut de purgationis formâ cujus in fine mentio, nonnihil utilius disseramus. *Atque*, inquit, *in septimâ manu ordinis sui, suam jejurando declarare innocentiam.* Facilis omnino erit intelligi ex verbis æquævi Arnulfi Lexoviensis Episcopi, Epist. 9. ad Papam Hadrian. I V. *Abbati est à nobis adjudicata purgatio, septimâ quidem manu trium scilicet Abbatum, & trium Monachorum, sacerdotum notæ opinionis & nominis, quorum juramentis vulneratæ famæ necessarium posset remedium comparare.* Ivo. Ep. 206. docet purgatoria sacramenta à presbyteris infamatis exigi cum. 3. aut. 5. aut. 7. collegis, qui *sacramentales, conjuratores, compurgatores* dicebantur. Subibant judicis examen, petebantur sæpè ejusdem cum accusato ordinis & conditionis. Leges Henrici Primi Anglorum Regis c. 64. Lex Frisionum tit. 1. §. 7. Interdum paritas sexus exigebatur. Leges Hoeli Boni Principis Vualliæ c. 17. *Si mulier negat adulterium, det juramentum 50. mulierum.* Non raro cognati & proximi admittebantur. Leges Hoeli sup. c. 26. Ritus ejus purgationis docet vetus lex Allemannica tit. 6. parag 7. *Iuratores manus suas supra capsam ponant, & ille solus cui causa requiritur, verba tantùm dicat, & super omnium manus ma-*

Purgatio in *septima*, &c. *manu*: quid testes *sacramentarii*, *advocati*, *electi*, *&c.* quæ purgatio, *Assath*, &c.

num suam ponat, ut sic illi Deus adjuvet, vel illa reliquia, ad illas manus quas comprehensas habet, ut de illâ causâ, unde interpellatus est culpabilis non sit. Manum autem symbolum fidei fuisse veteribus, constat ex Conci. Tyburiensi cujus verba relata c. Si quis. cau. 2. q. 5. Ubi de Presbyterorum juramento, & ex Capitular. Caroli Magni. l. 3. c. 4. & 10. Itemque. l. 5. c. 125. Jubetur perjurus manu secari. In his purgatoriis juramentis pro qualitate delicti; addebatur, vel minuebatur testium numerus. Centesimam manum legimus apud Rogerum Hovedenum an. 1194. *Eliensis*, inquit, *Episcopus ad summonitionem Eboracensis Archiepiscopi jurabit cum centesimâ manu sacerdotum, quod ipse nec præcepit, nec voluit, ut idem Archiepiscopus Eboracensis caperetur.* Vide Greg. Turonens. l. 8. c. 9. Quin & apud Vallos, ceu Cambro-britannos, fuit purgationis species, quam *Assath* dixerunt, 300. Sacramentalibus ceu compurgatoribus constituta, tandem prohibita ab Henrico V. Superest unum quod moneam: ubi apud auctores testes *electi*, *advocati* leguntur; non concipiendi sunt testes electissimi, juridici, aut ex Advocatorum ceu Patronorum ordine assumpti: verùm ii. Qui à reo *deligebantur*, ut in causâ sacramentum præstarent. Hinc in leg. Alemannorum tit. 24. 28. & 53. cum 12. sacramentalibus juret, cum. 5. nominatis & septem *advocatis*. Porro *nominati* dicebantur, vel *denominati* qui ab accusatore dabantur.

P. 339. F. in gravamen Ecclesiæ, odium personæ. Addit cod. *Quippe quamdam Beati Mauritii curtem præfata abstulit Ecclesia*, & quod constat.

Ep. 68. Inc. *Honorio*, &c. *Factum est*. Quam ægrè Hildeb. tulerit accusari, sed innocentis oppressionem ab injuste appellantibus docet Ep. 81. *Epist. 68.*

P. 340. col. 2. F. P*lacuit igitur tam legato quam Cœnomanensi & Redonensi Episcopis*, &c. *in accusatione decani, sive bidonis neminem illorum deinceps admitti; quia si qui adversus eos aliquid haberent, jussi proferre siluerunt.* Ita cod. Edit. omnino corruptè.

Ep. 69. *Honorio*, &c. *Et relatione*, quam Fontebraldense Monasterium charum fuerit Regibus Anglorum testantur fundationum, corporumque monumenta. Vide Sammartanos, Chron. S. Albini apud Labbæum, scriptoresque omnes qui de eo instituto scripserunt. Hildebertus vero jure supplicem agit apud Honorium, à quo hujus Cœnobii totiusque ordinis patronus & defensor datus fuerat, enixius id postulante Petronillâ prima Fontebraldensis partheniæ Antistita. Vide Dominum Maan. num. 19. *Epist. 69.* *Hildebertus ordinis Fontebraldensis institutus patronus & defensor.*

Ep. 70. Inc. *Hildebertus*, &c. *transfretare* R. Anglorum . . . Adelisæ vide Ep. 62. Hæc ep. in cod. Sanvict. ab his verbis incipit: *Audivimus te, ô regina illustris, de pauperibus curam gerere;* atque in illis desinit: P*arere quam sepulchro*. Forsan exscriptor neglexit finem repetere, quæ eadem concludebat, ep. 62. *Epist. 70.*

B. Si non est tibi *datum* desuper, ut Anglorum Regi parias, *in his absque damno pudicitiæ regi paries Angelorum.* Ita cod. Edit. vero sic Si non est *tibi* desuper ut Anglorum Regi parias, in his absque damno pudicitiæ regi *parias Anglorum.*

Ep. 71. Inc. *Quoties*: Comitissæ, A . . . Ade- *Ep. 71.*

læ vide ep. 31. eique præsentem appende.

F. *Quia igitur in* eis fortitudo, Aliàs, *Ergo in* eis *fortitudo*.

G. Et *clausuncula* virtutum. l. *clausula*.

P. 543. A. In illos autem quorum facies est spectantis *ad charitatem*, & quam ipse non rediturus eximit, tanta utitur. cod. In illos autem quorum facies est spectantis ad *civitatem de qua non rediturus exivit*; tanta &c. Esse veram lectionem docet tum sensus, tum vsitata Hildebert. phrasis, Ep. 62. initio: *Facies tua, facies spectantis ad civitatem*.

B. Hostiæ *eadem*. l. *eandem*.

Ibid. P*ugnavt*. l. *pugnat*.

In fine locum Bedæ sic restituas: *Consumptâ omni tentatione*, &c. *Vides ipsum diabolum non esse in studio pertinacem, vera virtuti solere cedere, & si invidere non desinat, tamen instare formidat, quia frequentius refugit triumphari*.

Epist. 72. Ep. 72. Inc. *Balsamum*, Bernardo Abbati Clarevallensi, ut ejus familiaritatem adipisci mereatur. De Bernardo quid plura? Cujus hortatu ab Anacleto Antipapa transivit Hildebertus ad Innocentium, quem legitimum Papam unà cum cæteris Galliæ præsulibus agnovit tum Stampensi in Concilio an. 1130. tum Remensi anno insequente. Bernardus Bonævallensis Abbas in vita S. Bernardi, Maan. num. 20. De familiaritate fusè dictum est ad ep. 24. De Gebuino, Bernard. in ep. 17. Petrus Blesensis ep. 34. l. 4. Ejus *sermones extant in Biblioth. Sanvictor*.

Porro nata ea opportunitate, qua conducunt ad novum Bernardi operum ornamentum hîc annexamus. Sitque in primis.

S. BERNARDI ABBATIS EPISTOLA.

Interſedebat eodem in Cod. Navarræo libros D. Bernardi de Præcepto & Diſpenſatione, & Librum Meditationum nomine ejus inſcriptum, ad cujus finem appendebatur pro coronide, ceu fuerit ejus concluſio. Ejuſdem auctoris eſſe atque meditationes non ambigo. An Bernardi? Hæreo. Ex circumjecturis indicium tuli, non judicium. Verùm de eo meditat. volumine jam ſæpe dictum eſt. Quod tandem eo qualicunque epiſtolio cumulamus.

PLeniſſima atque perfectiſſima juſtitia eſt Deum ex toto corde amare, illique tota adhærere voluntate, qui ſummum bonum eſt. Summum vero amare bonum, eſt ſumma beatitudo. Qui Deum amat, eſt bonus. Si bonus eſt, ergo beatus. Quare quanto quis ardentius amat, tanto melior efficitur. Quatenus abundare te faciat, CHARISSIME, ſupplica. Ipſe quidem eſt hoc bonum. Quotidianis precibus, integro cordis deſiderio eum, etſi indignus, deprecari ſtudeas. Tu vero CHARISSIME FRATER, intellige, quia conſilio ſanctæ Trinitatis & operæ divinæ majeſtatis creatus. Ex primo quoque

Videtur aliquid deeſſe, tũ ibi, tũ infra ſæpe.

„ conditionis honore intellige quantùm debeas conditori tuo; dum tantum in conditione mox Hiatus. dignitatis privilegium tibi præſtat conditor æternus, ut tanto eum ardentius amares, quanto mirabiliorem te ab eo conditum intelligeres. Nec hoc ſolum quod conſilio Sanctæ Trinitatis ſic excellenter à conditore es conditus, ſed etiam quod ad imaginem & ſimilitudinem ſuam ipſe creator omnium te creavit, quod nulli alii ex creaturis niſi ſoli homini conceſſit. Sed hæc eſt imago Unitatis & Trinitatis Dei omnipotentis quam anima habet in ſe; primùm, quod ſecundum donum Dei vivit & ſapit; ſecundum, quod ad imaginem conditoris ſui condita eſt. Item licet unus homo appelleris, tamen tres habes à Patre, & Filio, & Spiritu ſancto conceſſas dignitates; ſcilicet intellectum, voluntatem & memoriam; quod ſcilicet aliis verbis in Evangelio deſignatur, cum dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex to-* Deut. 6, 5. *to corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* In his autem tribus imaginem noſtri conditoris mirabiliter gerit in ſua natura noſter interior homo. Ex quibus, quaſi excellentioribus animæ dignitatibus, jubemur diligere conditorem, ut quantùm à nobis intelligitur, diligatur, & ſemper in memoria quæ præcipit, habeantur. Nec ſolùm ſufficit nobis Deum intelligere, niſi fiat in ejus amore voluntas noſtra: immò nec hoc ſufficit, niſi cum memoria & voluntate opus addatur. Tuo vero capiti, FRATER CHARISSIME, gratia ſpiritalis ſcientiæ ſit, quæ mentem tuam illuminet, & ad vitam æternam, ſicut deſidero & exopto, perducat. Toto enim cordis affectu opto, Deum precor, ut ſemper ad anteriora te

extendas, donec pervenias ad sublimem æternæ " beatitudinis coronam, & animi tui nobilitatem, " quam in te scio optimè, nullis amicorum consortiis, " nulla sæcularium desideriorum ambitione, ab " amore Christi immutare permittas. Noli tuam " bonitatem aliorum malignitate obscurare, sed " ubique quantùm vales, coram Deo & omni po- " pulo amabilis appareas. "

IN eod. MS. volumine ser. 85. ejusdem Melliflui Doctoris in Cantic. Cantic. aliud præ se fert initium quàm legatur in edit. ex variis tamen præcedentium sermonum verbis concinnatum. Illud exscribo, quia breve sit, & totus sim propensus ad opera S. Bernardi illustranda, quaqua interlucebit aditus.

In lectulo meo per noctes quæsivi quem diligit anima mea. Non est reversus sponsus ad vocem & votum revocantis. Quare? Ut desiderium cre- scat, ut probetur affectus, ut exerceatur amoris " negotium. Sanè ergo dissimulatio est, non indi- " gnatio. Sed superest ut quæratur, si forte reci- " piatur quæsitus qui vocatus non venit, dicente " Domino: *Omnis qui quærit, invenit.* Pulchre ve- " rò sponsa, non quem diligo ego, sed quem dili- " git anima mea, inquit: quia verè ad solam perti- " neat animam illa dilectio qua aliquid spiritaliter " diligit. Verbi gratia, Deum, Angelum, animam. " Sed & diligere justitiam, veritatem, pietatem, " sapientiam, virtutesque alias, ejusmodi est. Nam " cum secundum carnem quippiam diligit, vel po- " tius appetit anima v. g. cibum, vestimentum, do- " minium, & quæ ejusmodi sunt corporalia & ter- " rena, carnis potius quam animæ amor dicendus " est. Et bene *per noctes* eum se quæsisse ait. Nam "

Cant. 3. 1. serm. 85. Bern. in Cant.

1. Thess. 5. 7. si juxta Paulum: *Qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii sunt noctè ebrii sunt*: ita, ut opi-
„ nor, non obscurè dici potest: quod qui ignorant,
„ nocte ignorent, ac per hoc qui quærunt, nocte
„ quærant. Quærit anima verbum cui consentiat
„ ad correctionem, &c.

ADdo semel iterumque in Bibliote. Reg. & Navarræa reperiri tractatum ejusdem S. Bernardi nomine prænotatum, cujus scopus sit conscientiam scrupulis turbidam paci reddere. Verùm non esse S. Doctoris Germanum fœtum convincunt inter cætera scolastica dictio minusque pro more Bernardi nervosa & facilis. Quin & hujus S. Patris sententiis auctor exornavit, roboravitque suam. Ecce speculum operis exponimus quod intuearis, quo judices, cujus nec inutilis tibi futura est lectio & inspectio.

SPECIMEN OPUSCULI.

De scrupulositate & pusillanimitate.

„ QUi pusillanimis est, & pavidus cavere si-
„ bi debet à nimio timore; si enim cor suum
„ & naturalia sua sequatur, ad desperationem vel
„ nimiam mentis dejectionem perveniet. Timor uti-
„ lis est duris, dissolutis, atque remissis; quia ti-
„ mor terret, & custodit à peccato. Timoratis verò
„ & pavidis, si accedat timor ad peccatum eos ad-
„ ducet, unde convertere se debent magis ad con-
„ solatoria & dulcia: ita contraria contrariis cu-
„ rantur, & frigida calidis temperantur, & calida

Piè satis ac solidè.

frigidis. Stultus verò esset qui calorem calori & frigus frigori addiceret. Hortus irrigatur siccitatis tempore, sed satis complutus, non amplius irrigatur; sed sulcis aqua educitur. Qui verò scit excolere hortum suum, ineptum est si nescit excolere animam suam : quia anima plus est quàm hortus, immo quam corpus. In tentatione quoque cum de aliquo peccato impugnamur, semper contraria objicere debemus.

Hic conquesti sunt dæmones de quodam Monacho qui eos confunderet : Quia cum ipsi eum vellent extollere, ipse se deprimebat : Et cum eum in desperationem vellent mittere, ipse se ad spem erigebat. Aliqui per cordis pusillanimitatem putant se desperare cum non desperant. Sentiunt enim motus desperationis per pusillanimitatem cordis & hunc sensum putant consensum : sed quantumcumque sentiant, etiamsi quasi operiantur hac tempestate, quamdiu ratio contradicit, nec consentit, charitatem non amittit. Ignis qui in die ardet, in nocte operiri cineribus solet, à quibus ita extinguitur ut manè alterius diei tantùm scintilla aliqua inveniatur; quæ dum quæritur licet lateat, invenitur, & de eâdem ignis tam vehemens sicut prius reparatur. Hæc est scintilla charitatis quæ quantumcunque operiatur tentationibus, si intentio hæc maneat in ipsa ut adhæreat Deo, & nullatenus consentiat alicui mortali, vivus remanet ignis charitatis, qui postea ab hac scintillâ ad tam magnum ignem reparabitur, sicut prius. Simile dico de omni tentatione; non enim judicatur homo secundum sensum vel tentationem carnalis delectationis, sed secundum sensum rationis & voluntatis animæ, non carnis.

„ Duplex est enim voluntas in homine ; sive du-
„ plex lex, sicut dicit Apostolus : lex carnis scilicet
„ & lex spiritus ; & ipse Apostolus dicit se concu-
„ piscere secundùm legem carnis, & carnaliter de-
„ lectari contra voluntatem ; Et quia quod ita con-
„ cupiscebat, nolebat, & contra voluntatem suam
Rom. 7. 17. hoc faciebat, ideo dicebat : *Ego non operor il-*
„ *lud, sed quod habitat in me peccatum.* Ita si
„ tu tentaris carnali concupiscentiâ vel desperatio-
„ ne vel invidiâ vel aliquo peccato. Quamdiu ra-
„ tio non vult, non agis illud, nec judicabitur se-
„ cundum peccati consensum, sed secundum ratio-
„ nis & voluntatis consensum. Et quàm mirùm si
„ duplex voluntas sit in homine, & altera non re-
„ putetur, cum in redemptore nostro duplex vo-
„ luntas fuerit ; una quâ voluit passionis calicem à
„ se transferri, & alia quâ voluit pati. Sedeat ten-
„ tatus juxta viam, & mendicet lumen gratiæ, &
„ quamvis turba cogitationum dicat ut taceat, ta-
„ men magis ac magis clamet ; & sic lumen hoc à
„ Christo recipiet, & magis erit ei meritorium &
„ salubre sic gratiam accepisse, quàm sine laboris
„ certamine accepisse gratis. Oratio talis animæ
„ non est pura, sed dura, sed quamvis non sit dul-
„ cis tamen est fortis, dum apud Deum tantùm po-
„ test obtinere fortitudine & duritiâ, quàm dulcis
„ & devotus : quia sicut dicit Bernardus super hoc,
„ *delectare in Domino, & dabit tibi, &c.* Non est
„ hoc dictum de affectu, sed de exercitio. Ille enim
„ hoc bene implet, &c.
„ C. Arborem ex fructu, adde, *cognosci.*

Ibid. Quod *totus exhibeas.* Cod. Sanvict geminum continet egregiæ hujus epistolæ exemplar : alterum legit : *quod totus te exhibeas* : Alterum, quod totum.

C. *Minuetur* invidia. l. *minuitur*.

Ep. 73. Inc. *Nota loquar*: Filiæ H.... Henrici Regis Anglorum... Matildi Henrico V. Imperatori locata ex Math. Parif. an. 1110. & solemniter nupta an. 1114. quo defuncto data est Gaufrido Andegavensi Comiti, ex quâ suscepit Henricum Secundum Angliæ Regem. Desiit an. 1167. cui sequens Epitaphium inscribebatur: Ep. 73.

Ortu magna, viro major, sed maxima prole,
Hic jacet Henrici filia, sponsa, parens.

Ep. 74. Inc. *Semper fuit opus*. An ad eum Abbatem de quo ep. 33. Ep. 74.

343. B. Citra *perfectum*. l. *profectum*.

Ibid. *Ecclesia tua* graves sunt, leg. *Epistola*, error typographi.

C. *Dum blandis & senibus*, adde; *verbis*, quo capta est anima tua *feci*, abrade, *feci*.

Ibid. Clavis epistolæ præsentis *confortamur*. Cod. *conforteris*. Censeo legendum, confodiaris, quos in altum confixos elicere putredinem, pauci ignorent, &c.

D. *Misericordem fortiter judicem*. leg. *immisericordem sortitur judicem diu expectata*

Ep. 75. Inc. *In adversis*: R. P. Natalis Alexandre hujus epistolæ partem tom. 19. histor. Ecclesiast. p. 196. retulit, explicuitque, vide ibi, & not. ad ep. 67. 68 cæterùm placet admodum Hildeberti mansuetudo & prudentia, quâ apud serenissimum regem vult agi *potius exhortatione quàm increpatione*, &c. *doctrinâ quàm virgâ*. In eam sententiam jerunt omnes quos prudens zelus arsit, sancti Patres. Ivo æquævus. ep. 171. Epist. 75.

Quia dispensationes rerum temporalium regibus attributa sunt, & Basilei, id est, fundamentum populi & caput existunt, si aliquando potestate sibi concessâ abutuntur, non sunt à nobis graviter exasperandi, sed ubi sacerdotum admonitionibus non acquieverint, divino judicio sunt reservandi: ubi tanto districtius sunt puniendi, quanto minus fuerint divinis admonitionibus obnoxii. An igitur palpandi? Minimè: At ea utendum dexteritate qua usus Greg. Magn. ad Mauritium Augustum Lib. 6. Ep. 6. l. 11. Epist. 45. l. 2. indict. 11. Ep. 62. quæ incipit: *Omnipotenti Deo*, &c.

Zeli prudentia in increpatione principum commendatur.

Epist. 76. Inc. *Scimus quidem*. Sagiensi Episcopo... Serloni scripta circa an. 1122. quo Serlo defunctus est. Concilium vero de quo hîc auctor, primum generale Lateranense est; habitumque, ut observavit R. P. G. Cossartius. S. I. in suis ad hoc Concil. notis, an. 1123. Non inconcinnè hujus Concilii actis annecteretur præsens epistola, eamque subsequeretur, quâ Callixtus Ultramontanos ad cœtum convocat, tom. 10. collect. Concil. Labb. pag. 894. Sirmondus in not. ad ep. 44. Goffrid. Vindoc. laudat eam Hildeb. epistolam, erratque dum Concilium Rom. 2. sub Callixto à Lateranensi secernit, cui interfuisse Autumat nostrum præsulem. Quasi non ad illud perrexerit Concilium Hildebertus, ad quod cum cæteris Ultramontanis vocabatur. Illudque primum Generale Lateranense est.

Ep. 76. Addenda epistol. primo Concilio generali Lateranensi.

G. *Dilectione* minui beneficii. l. *dilatione*.

Ibid. Papa, *Calixtus* Citramontanis Episcopis, ita cod. at edit. Papa *Cardinalibus* Citramontanis Episcopis, supprimebat Callixti nomen.

Ep. 77. Inc. *Fuere* : Arch ... Subdecano. Subdecanatus dignitas in Ecclesiâ Carnotensi in charta Calixti Papæ in tabulariò ejusdem Ecclesiæ ch. 2. post Decanum & Præcentorem, & antè Succentorem recensetur. De ejus officio, vide statuta Ecclesiæ S. Pauli Londinensis in Monastico Anglicano tom. 3. *Epist. 77. Subdecanatus dignitas.*

B. *Sane dum Clerici tui.* Cod. *Collecti.* Favet lectioni supra: *Tres Christos Christi colligeres.*

Ibid. Recordari tamen non *potui* quid egerim tibi, *vel* alicui propter te. al. *potuit*, *&c.* sed.

In fin. *Ædificationis fraudem* perpetrat. Cod. quisquis laudis concupiscentias calcare non sufficit, *pœnaliter peccat*, si bona, &c. Præfero lect. edit.

Ep. 78. *Omnibus Archiepiscopis*, &c. *Præsentium latores*, *&c.* Is Henricus graphicè depingitur, atque in ejus personâ Hæretici omnes ab auctore gestorum Hildeb. in Analect. à pag. 312. usque 320. Malo nulla excerpere, quam pauca: dignus est locus qui adeatur, legatur totus. An fortè Cyprianus & Petrus, de quibus eâ epist. illi fuerint duo discipuli, quos *adinstar salvatoris ante faciem suam destinare consueverat*? Analect. Ibid. p. 313. *Epist. 78. Hericus hæreticus, & Henriciani.*

In fin. spiritum *Seditionis*. cod. *seductionis*: utrumque verum.

Ep. 79. *Quæ vivunt* ... Puto cuidam Moniali Font-Ebraldi. Sæpè vero querimonia mota est de frequentiori Monalium è monasterio secessu in rus, ad balnea, apud parentes, aëris natalis retrahendi specimine. Priorum inhærens vestigiis synodus Aquensis prudentissimè id cavebat an. 1585. *Duo*, inquit, *hæc sancta synodus maximoperè præcavenda esse decernit: Alterum, ne quavis causa* *Epist. 79.*

Frequentior monialium è monasterio secessus improbatur.

existimetur esse justa, ut Moniali liceat monasterii claustra exire; sed illa tantùm quæ sic ad ejus salutem corporalem pertineat, ut nisi cum maximo vitæ periculo, & contagio aliarum intra claustra manere nequeat; vel aliâ, quæ in constitutione Fœl. Rec. Pii Quinti comprehensa sit, de quâ Episcopus diligentissimo pravio examine judicabit. Alterum, ut non existimetur absque gravissimo animæ periculo posse quemquam sanctimonialium claustra ingredi, cum id, etiam de superioris licentiâ, nequaquàm liceat, nisi in casibus necessariis: extra quos, nec licentia dari potest, nec data cuiquam suffragari valet, maximè, viris, cujuscunque ætatis & conditionis sint. Quibus Prælati licentiam hujusmodi concedere non debent; etiam ut cum sanctimonialibus ipsis, etsi filiæ sint, alio in loco, quamvis ipsis claustris contiguo, quàm per cancellos loquantur. Eodem, nota, *siquidem jure quo quis claustra sanctimonialium ingredi prohibetur, & ipsæ sanctimoniales exire eadem interdicuntur, &c.* Deindè meminit sacrosanctæ synodi Tridentinæ, multaque sanxit ejusdem disciplinæ. Aliis itidem locis eo fere tempore Concilium Rothomagense 1581. & 1585. Bituricense 1584. & alia, quorum ad præsens institutum revocavit Canones Brochellus l. 7. decret. Eccles. Gallica. tit. 2. At verò *liber de virginitate* cujus Hildebertus mentionem hic egit, animum in diversos distrahit affectus; doleo usque delitescere; delectat plurimùm, quod labem capax sit eluere turpis famæ, quâ nomen ejus male apud Ivonem olescit Ep. 277. quasi solutioris vitæ fuisset antè Episcopum? Sanè castitatem coluisse, jam ab eo tempore, credere compellit studium colligendarum ex Patribus senten-

tiarum

tiarum, quibus deinde in ordinem redactis id voluminis confecit. Ivo auditione acceperat ab invidis ejus promotionis impatientibus, qui apud principes singularesque viros famam ejus calumniis aspergebant. Vide gesta ejus in Analec. pag. 308. Juretus contendit epistolam Ivonis ad quemdam *Aldebertum* missam, ex 2. apographis Bibliot. S. Victor. non ad Hildebertum: additque, extare *praecedentes epistolas ad Hildebertum jam Caenomanensem Episcopum, quae suo ordine restituta fide aliquot priscorum codicum*, subindicant hanc posteriorem vix posse eidem inscribi. At doctissimum virum rogarim. Quis aequaevus Ivoni Adelberti nomine ex Archidiacono Caenomanensi in Episcopum delectus? Non sequar quaerentem; sisto me epistolae, quae antidotum veneno comporrigit. Ab iis tantum lividis labefactata est sanctissimi Episcopi memoria, *quorum nec consilio electus fuit, nec consensu*. Falsi fratres, ait Apostolus, propriae Ecclesiae Clerici, atque ipsemet Rex Anglorum sequacesque ejus. Vide Analect. supra, atque ex iis emenda Ivonem, Juret. Baron. Sirmondi not. ad Goffridi Vindocin. l. 3. Ep. 13.

A foeda Labe Hildeberti nomen emaculatur, Ivo Carnot. Baron. Jur. Sirmondus, &c. emendantur.

Ep. 80. Inc. *Narbodus*. leg. Marbodus cujus est haec epistola, non vero Hildeberti. De eo jam diximus supra, atque opportunitate loci, alterum operum ejus, quantum nostra fert opinio, supplementum sumus hic appensuri.

Epist. 80.





MARBODI REDONENSIS EPISCOPI

DE TRIBUS INIMICIS HOMINIS LIBER.

LECTORI.

Elogium Hildeberti à Marbodo versibus celebratum, atque initio ejus supplementi à nobis præfixum, sequebatur in cod. MS. præsens, quod subnectimus, opusculum; indeque collegimus eidem Marbodo accensendum fore, quem principem ævi sui fuisse Poëtam, testantur alia quæ reliquit ingenii sui monumenta, (lib. de lapidibus, *cujus nos permulta tractavimus exemplaria MS. variis in bibliotecis: At editus est. Vide Gesnerum in bibliot. In* Cantic. Cantic. commentaria, *quæ quidem non desperamus ex certa bibliotheca recipere. De iis vide Sixtum Sen.*) *Testantur & coævi scriptores omnes, Hildebertus. Goffridus Vindocin. l.* 3. *Ep.* 14. *Sigebertus, Tritemius,* &c. *Analect. D. Mabill.tom.*3. *in Hildeb. Unde Ulgerius Episc. Andegav. in eius Epitaphio inter cætera audet asserere.*

Cessit ei Cicero, cessit Maro junctus Homero:
Ut dicam breviter, vicit eos pariter.

CAPUT PRIMUM.

De iisdem tribus inimicis in genere.

PLurima cum soleant sacros avertere mores,
Altius evertit fœmina, census, honos.
Fœmina, census, honos, fomenta facesq; malorum,
In scelus, in gladios, corda manusque trahunt.

CAPUT SECUNDUM.

De mulieribus, quàm ad malum pronæ.

FOelix expertus exemplo fœmina quid sit,
Qui suos aliqua suffugit arte dolos.
Fœmina res fragilis, numquam nisi crimine constans,
Nunquam sponte sua desinit esse nocens.
Fœmina flamma vorax, furor ultimus, intimus hostis:
Et docet, & discit quidquid obesse solet.
Fœmina, vile forum, respublica fallere nata:
Successisse putat, cùm licet esse ream.
Fœmina triste jugum, querimonia juris & æqui:
Turpe putat, quoties turpia nulla gerit.
Fœmina tam gravior, quantò privatior hostis,
Invitat crimen, munere, voce, manu.
Consumensque viros, vitio consumitur omni!
Et quos prædatur, præda fit ipsa viris.
Corpus, opes, animos, eneruat, diripit, angit,
Tela, manus, odium, suggerit, armat, alit.

Arces, regna, domos, evertit, commovet, urit:
Unaque tot Regum ſpem, caput, arma premit.
Fœmina ſuſtinuit jugulo damnare Joannem,
Hyppolitum letho, carcere ſpreta Joſeph.
Fœmina mente pari vita ſpoliavit Vriam,
Et pietate David, & Salomona fide.
Fœmina mente gerit, lingua probat, artibus implet,
Quo lex, quo populus, quo ſimul ipſa ruit.

CAPUT TERTIUM.

De Avaritia.

NEc minus internas vires effœminat aurum,
Nec minus illicitum currere monſtrat iter.
Vix eſt quem pudeat auro pervertere rectum,
Quem pigeat pretio quolibet eſſe reum.
Auro perficitur quidquid ſperatur inique,
Nemoque pro tenſo munere vana rogat.
Aurum corda movens, oculorum prædo ſacrorum,
In facinus puras armat, agitque manus.
Auro ſæpe labat virtus, & labor eorum
Quorum corda Deus, cætera laudat homo.
Et quem jurares cervicem impendere recto,
Spe modici fructus cuncta licere putat.
Hoſtis atrox, judexque gravis, tortorque cruentus,
Spe pretii laxant, prælia, jura manus.
Aurum caſtra locat, claſſem parat, exerit enſes,
Spernere vim, ventos, æquora, tela docet.
Soluit conjugium, perrumpit clauſtra pudoris,
Sacras cæde manus inquinat, ora dolis.
Auro perjurus Polimneſtor, adultera Dane,
Perfida Tarpeia, Trux Eriphile fuit.

Auro Crassus obit, auro ruit Amphiaraus,
Auro castra, duces, vis, populique cadunt.

CAPUT QUARTUM.

De Ambitione.

Quem verò nec res, nec fœmina frangere possunt,
Ambitus expugnat, conscoeleratque pium.
Ambitus in vetitum mores deflectit, & infra
Posse suum quemquam non sinit esse reum.
Hujus opus turbare duces, mutare coronas,
Innocuis lethum, sceptra parare reis.
Urbibus excidium, templisque parare ruinam,
Sternere Patricios ensibus, igne lares.
Naturam vitiis, superos offendere ritu,
Parcere tunc tantum cum nocuisse nequit.
Ludibrio Reges exponere, regna rapinis,
Flagitiis matres, exilioque senes.
Quem semel arripiunt tantæ contagia cladis,
Cuncta licere putat, dum sibi regna paret.
Sustinet hic gladios in patrem ferre, nec unquam
Fraude, cruore, dolis, mens, manus, ora vacant.

Leguntur ex eodem codice tria hæc epitaphia cum epigraphe: Versus Julii Cæsaris: *Forte eiusdem Marbodi.*

I.

TRax puer astricto gladio dum ludit in Ebro,
Frigore concretas pondere rupit aquas,

Dumque imæ partes rapido traherentur ab amne,
Persecuit tenerum lubrica testa caput.
Orba quod inventum mater dum conderet urna,
Hoc peperi flammis, cætera, dixit, aquis.

II.

Ille ego Pannoniis quondam notissimus oris,
Inter mille viros, primus fortisque Batavos.
Adriano potui qui judice vasta profundi
Æquora Danubii cunctis transnare sub armis,
Emissumque arcu dum pendet in aëre telum,
Hac redit ex alia fixi, fregique sagitta.
Quem neque Romanus potuit, nec Barbarus unquam,
Non jaculo miles, non arcu vincere Parthus.
Hic situs, hoc memori saxo mea facta sacravi.
Viderit anne aliquis posthac mea facta sequatur,
Exemplo mihi sum primus qui talia gessi.

III.

Cæsar tantus eras, quantus & orbis,
Et nunc exigua clauderis urna.
Posthac quisque sciat se ruiturum,
Et quod nulla mori gloria tollat.

Ep. 81. Epist. 81. Inc. *Honorio*, &c. *Philosophus*. Integram eam epistolam transumpsit Bochellus Collect. Decretorum Ecclesiæ Gallic. l. 8. tit. 25. scripta paulò duriori stilo quam difficilè curia Romana concoqueret; an veriori? Ivo epist. 172. 180. præsertim verò ep. 219. sub eâ pressurâ erat, quam & Bernardus ep. 237. 238. & aculeatius, l. 3. de consid. c. 2. gemebat, suadebatque Eugenio reformari. *Iniqua autem*, inquit, *appe-*

De appellationibus ad Rom. Curiā.

latio, ad quam justitia inopia non coegit. Appellare, non ut graves, sed si graveris, licet, &c. *Quousque murmur universæ terræ, aut dissimulas, aut non advertis? Quousque dormitas? Quousque non evigilat consideratio tua ad tantam appellationum confusionem atque abusionem? Præter jus & fas, præter morem & ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non causa discernitur aut persona*, &c. *Antidotum versum est in venenum, non mutatio dexteræ excelsi hæc.* Vide Ep. 68 sup. & sequentem. Prodit autem ea ipsa epist. ex Cod. Reg. in quo Hildeberti concludebat Epistol.

Reverendo in Christo Patri & Domino Alexandro Dei gratia summo Pontifici, Henricus Remensis dictus Archiepiscopus, salutem & obedientiæ sinceritatem.

APostolici gradus dignitas principalis, sicut « præeminet universis, sic debet omnibus « paternæ sedulitatis benigna subsidia. Novit ad « liquidum sublimitatis vestræ sancta sinceritas « quod non est laudabilis in Ecclesiastica dignitate « progressus, cujus est violentia comes, ambitio « pronuba, fraudulentia pædagogus, simonia præ- « cessor. Forma nova, immo enormitate deformi, « contra appellationem ad vos factam Robertus de « Aria in Ecclesiam Cameracensem novus possessor « ingreditur. Designatus est Imperatoriæ deman- « dationis apicibus, Comitis Flandriæ precibus « redempti favoris adeptus est emendicata suffragia, « & per machinationis clandestinæ cuniculos Ca- « thedræ Pontificalis eminentiam, non à Domino «

„ vocatus tanquàm Aaron, ſed favore principum
„ & temerariæ multitudinis arbitrio faſtuoſe, & ir-
„ reverenter irrupit. Novit celſitudinis veſtræ ſa-
„ cer intuitus quanta debeatur appellationibus re-
„ verentia, quanta ſit animadverſione digna præ-
„ ſumptio, quam diſtrictè conveniat cenſura perfi-
„ diæ, quid intorqueant Canones inverſori pacis,
„ & ſchiſmatis profeſſori. Alienum debet eſſe ab
„ Eccleſiaſtica ſinceritate, quod legum ſanctio non
„ admittit, quod ſanctorum patrum decreta reji-
„ ciunt, quod Apoſtolicæ conſtitutionis regula præ-
„ damnavit. Nunc autem ad vos univerſitatis ocu-
„ lus intenta ſedulitate dirigitur, & expectat à ſe-
„ de juſtitiæ juſtum ſine remoratione judicium, in
„ quo nec inveniat impunitas progreſſum, nec in
„ deſpectus caveam detrudantur appellationum
„ probata remedia. Vindicate communes injurias,
„ & culparum qualitatibus par pœna reſpondeat:
„ ut & honor veſter conſervetur in integrum, &
„ parvitatis noſtrę contemptus non tranſeat in ſe-
„ quaces. Libello repudii ſterilis & fœda rejicitur.
„ In matrimonium non cedit, ſi violentia ſpadonis
„ opprimit virginem. Exterminetur ergo ſemen ab
„ iniquo thoro, radices altas non ſpargant ſpuria
„ vitulamina, ſed Apoſtolicæ ſeveritatis ſarculo
„ reſcindantur, ut benè dicatur nobis: *Benè omnia* Marc. 7. 37.
fecit, & ſurdos fecit audire & mutos loqui.

De ea Epiſtola, Lector, quid ſentis? Annon ſale ſapientiæ optimè condita, & ſpiritu ſcientiæ, conſilii, pietatis fortitudiniſque vivida? Hujus Summi Viri *Henrici de France* Remenſis Archiep. virtutes late referunt Hiſtorici. Vide Sammart. Hiſtor. domus Francię l. 12. & in Gallia Chriſtiana: Bernardum, cujus monachus fuit, Ep.

178. & 355. Joan. Sarisberien. Nicolaum Claræval. Petrum Venerab.. Memoratur & ab Alexand. III. c. *Cum sit Romana, de appellationibus* in prima collectione, de quo consule Cujacium. Obiit. 1175. Quod verò ad Robertum de Aria, cujus hîc appellationem electionemque indignam lacessit egregie; Adeundi Meier, Albericus, Antonin. tit. 17. c. 9. atque ex recentioribus R. P. Joannes Buzelinus S. J. ejusdem Vrbis Cameracensis insigne decus, Annal. Galloflandr. l. 6. ad an. 1171. 1173. Comes Philippus. Enimverò Robertum D. Donatiani Brugis, ac S. Petri Ariæ præpositum & Flandriæ Cancellarium eligit, qui tantisper Tornacensem Atrebatensemque Episcopatus regeret. Maluissent quemlibet alium, utrique populi. Jam scilicet apud multos sinistrè fama vulgaverat malis Robertum artibus Philippi Comitis amicitiam sibi conciliasse incantationibus. Ad hæc ingentem simoniæ labem contraxerat insigni tumidus ambitione, nihilque à fœdis corporis voluptatibus abhorrebat: Cui tamen infulas Cameracenses idem princeps postea addixit. Verùm dum Cameracum proficiscitur ut sacris verbis in Episcopum ungatur, à satellitibus Jacobi Avesnensis, quem indigne verbis exceperat, miserum in modum vita exuitur. *Creditum fuit*, inquit, historicus, *divino numini electionem ejus gravem fuisse, quod maleficiis ad dignitates Ecclesiasticas sibi gradum struxisset.* Hinc graves ortæ inter Comitem & Jacobum discordiæ, & Henrici nostri in Flandriam accessus, qui in auctores tanti sceleris, cœdis scilicet Roberti, animadverteret. Quæ fusius narrare extra stadium currere est.

G. *Super quos evangelicum* illud implebitur. Cod. *Praeterea quis evangelicum illud implebit.*

Ibid. Suam quisque *defenderet offensam.* Cod. *defendet* offensam: Additque: *Non erit qui Saulum savientem percutiat, qui Matatiam imitetur, qui gestet gladium Phinées, qui misericordiam & judicium Domino cantare pravaleat: Exempla quidem censura semper vivent*, &c. *Sanè parva est mihi & exilis scientia, quasi juxta Iob inter aquilas in praruptis habitantes cum pullis earum sanguinem lambit, satis est*, &c.

Ibid. *Suscepit, &c.* renuit, & abjecit. cod. copulativam tacet. *Suscipit, &c.* renuit abjecit.

H. *Majoris authoritatis.* Cod. *Minoris utilitatis* verius, quam correctius.

Ibid. Et quidem *videri.* l. *videntur.*

P. 347. col. 1. A. *Perstrinxerit.* Cod. *perstrinxit*, quæ si plura sunt, & usque, &c. *Non transgrediendum quidem esse terminos.*

Ibid. Moratorias autem appellationes. Addit Cod. *& superfluas*, *&c.* afflictorum morietur, *Quo Pontificalis rigor elanguit, quo justitia parsimonia in nihilum revertetur*, incrementum suscipiet ubertas delictorum. Vale

Hildeberti conclusio æque mea erit. Vale Lector, & ora pro me.





Addenda ad supplem. S. Gregorii, pag. 389.

VIRIDARIUM GREGORIANUM SIVE BIBLIA GREGORIANA

JACOBO FOLQUERII EREMITA AUGUSTINIANO DOCTORE THOLOSANO COLLECTORE.

Scripsit, perfecitque præsens opus, seipso teste, an. Dom. 1345. in mense Aprili.

EPISTOLA DEDICATORIA.

SAnctissimo Patri ac Domino Clementissimo, Domino CLEMENTI supernæ vocationis clementia Papæ Sexto, FRATER JACOBUS FOLQUERII inter Lectores Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini Provinciæ Tholosanæ Minimus, ut potè sicut statura, sic sufficientia & litteratura exiguus & pusillus, eam Reverentiæ plenitudinem quan-

tum decet tantum Principem ac talem; nec non etiam cum omni subjectione & humili Pedum Osculo Vestrorum.


CLEMENTISSIME ac Beatissime Pater, attestante illo Patre Nostro & Doctore præcipuo Augustino, sicut multò longe melius sanctitas vestra novit, sacræ scripturæ profunditas tanta esse dignoscitur, ut si quis ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem in ea conetur addiscere, maximo otio, summoque studio, meliori ingenio; hoc ei contigit quod in quodam loco ipsa eadem scriptura continet: *Cum consummaverit homo, tunc incipiet*. Nec mirum, cum alibi scriptum sit: *Alta profunditas, quis investigabit eam?* Et ob hoc faciendi plures libros de ea & super ea nunquam erit finis. Quin immò Philosophorum studiosissimorum clamat sententia, ad illius scientiæ complementum aliquem pervenisse, nec pervenire posse, nisi per juvamentum prioris id sequentem. Sanè prout optimè nostis, PATER BEATISSIME, dudum quidam Reverendi Doctores, quorum etiam aliquos tanquam verè sanctos Ecclesia veneratur, novum Testamentum, quilibet pro sorte vel parte sua, glosa ordinaria & continua exponere & elucidare conati sunt, de dictis sparsim & purè Antiquorum Doctorum quamplurimi ipsos in præsenti vita præcedentium, & sanctorum. Ut potè primitus ille facūdus & fœcundus Doctor Beda Venerabilis omnes Epistolas S. Pauli de puris & solis dictis Patris nostri Sanctissimi Augustini, prout ipsemet Beda expresse testatur in fine libri sui de Temporibus ceu Gestis Angloru, ubi in

Eccl. 18. 6.

Eccl. 7. 25.

finali Capitulo omnium librorum suorum catalogum certum ponit. Quem etiam Bedam Venerabilem Haimo quodam loco commentarii sui super Apocalypsim Sanctum vocat. Et post dictum Bedam, si quidem longe diu, Reverendus Pater Magister Sententiarum Parisiensis Episcopus Epistolas Sancti Pauli de dictis multorum doctorum, tam sanctorum, quam etiam aliorum exposuit, quamquam summarie, ac glossavit, & utiliter multum certe. Et frater Thomas de Aquino Sanctus ac fructuosus in Ecclesia Dei Doctor, quatuor Evangelia. Actus verò Apostolorum, Epistolarum Canonicarum, ac Apocalypsis libros curiosus scripturarum sacrarum perscrutator, ac studiosus Doctor in Theologia Frater Augustinus de Ancona Prædicti nostri Ordinis Professor, modo consimili, sicut Beda & Magister Sententiarum exposuit de puris dictis Sanctorum Doctorum. At etiam Plurimorum reliquam partem Sancti Canonis Scilicet totum vetus Testamentum, tanquam partem prolixiorem, & longe amplius obscuriorem, immo certè obscurissimam maximè in libris Moïsi legalibus, Prophetalibus, ac Sapientialibus, theologis posterioribus, ac eorum ingeniis studiisque assiduis reliquerunt. Horum itaque Doctorum præcedentium Patrum cupiens utcunque pro modulo ingenioli mei sequi vestigia, à multis temporibus citra expositiones textuum sacri Canonis tàm veteris quam novi testamenti, ex puris dictis sanctorum Doctorum præcipuè quatuor principalium latinorum, scilicet, Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hyeronimi extrahere & ordinare concepi. Et quia in paucioribus & facilioribus via

Penes me habeo commentaria Augustini de Ancona in epist. Canonicas, quæ fortassis propediem evulgabimus.

magis, à libris & scripturis beatissimi Patris & Patroni Gregorii Magni, Papæque, incipiens expositionem (non quidem plenam, & perfectam, ac ordinatam omnium textuum sacri Canonis; quia nec ex dictis ejus talis haberi posset; nec ad eam texendam mea ruditas sufficeret) sed eorum qui præcise & solum in libris ejusdem sparsim exponuntur in unum recolligi: Videlicet auctoritates omnes & Historias sacri Canonis ab eodem expositas in omnibus libris suis, ordinem Librorum & Capitulorum usitatæ nobis Bibliæ cum suis expositionibus ordinando, semperque verba ejusdem Gregorii formaliter apponendo; nullamque Bibliæ Historiam, seu auctoritatem quantumcumque brevem & minimam, in libris prædicti Doctoris dicto modo positam, tactam, seu expositam omittendo; necnon duas tabulas in dictis expositionibus summè necessarias compilando. Ad prosequendum quoque reliquas tres portiones expositionis residuæ ex dictis trium Sanctorum Doctorum supra nominatorum hanelo spiritu & corde anxio agitor & suspiro, si tamen interim vita mihi superstes fuerit, & copiam habuerim librorum Doctorum Sanctorum, sicut habui, & Deo favente habeo sancti Gregorii sæpè dicti, quamdiu vacandi circa prædicta tempus & ocium dederit mihi Deus. Ad quæ quidem celerius & liberius peragenda, relictis aliis negociationibus religiosæ servitutis, & lecturis quantum ad me attinet. Jamdiu enim requisivi pro posse dictum otium, & requiro. Ad prædictum autem opus inchoandum, ac etiam indefessè prosequendum, me magno zelo animavit notabiliter ac direxit Venerabilis & Charissimus

Pater meus Frater Joannes Coti Sacræ Theologiæ & Religionis nostræ Professor, nunc autem vestræ SANCTITATIS ac sedis Apostolicæ Pœnitentiarius Filius, immo Servus, potissimè illo tempore quo exercebat in studio Tholosano officiũ Lectoriæ. VESTRÆ igitur SANCTITATI tam Excellentissimi judicii rectitudine per clavem sapientiæ præfulgenti, quàm & summę auctoritatis plenitudine per clavem potentiæ præpollenti, primitias laboris mei, vere valde diu assidui, in prima portione expositionis super sacrum Canonem, modo dicto, offerendas & pręsentandas dictum fore diutius mente proposui, & fixo corde concepi, ex consilio etiam vestri Pœnitentiarii jam præfati. Quapropter sicut nulli tutius & dignius possum, ita non ulli alii pręsens opusculum offero & destino, ut pote tanto Patri & Domino qui est, & fuit Magister & Doctor Parisiensis in Theologia, probatissimus præ cæteris vitæ nostræ consortibus, ac fama celebratissimus toti orbi, etiam longè diu satis antequam Romanæ Ecclesiæ Cardinalatum Papatumque ejusdem Romanæ, ac Universalis Ecclesiæ sortiretur. Recipiat igitur SANCTITAS VESTRA, PATER CLEMENTISSIME, hoc opus premitiarum prædicti laboris mei, juxta significatum Nominis Vestri Pii, Læto CLEMENTIQUE animo ac paterno; ut sicut in ipsa illius persona exprimitur, qui *alpha* & *omega* principium & finem in scripturis suis sanctis se commemorat; sic Vobis qui ejus vicem in terris geritis omnis boni operis, præsertim Theologici documenti, inchoatio, mediatio, & terminatio ascribatur. Si quid autem in hoc opere, seu po-

F. Joannes Coti Eremita Augustinian. Tholosan. Clementis Sexti pœnitentiarius.

tius opusculo corrigendum, addendum, vel diminuendum decreveritis, vestro discussivo judicio reservetur. Et si prędictum Vestræ Sanctitati fore gratum & acceptum didicero, ad prosequendum reliquas tres portiones sive partes expositionis prædicti Sacri Canonis, secundum libros & dicta trium sæpe dictorum Sanctorum Doctorum residuum peregrinationis præsentis vitæ meæ, vestra Apostolica & vere virtuosa Benedictio delectabilius incitabit. Oro Pater beatissime, Vestram Personam Sanctissimam Ecclesiæ Sanctæ Dei diutius & jugiter in Dei gratia conservari.

Prolog. auctoris ad seq. Præfat.

INcipit præfatio alia, seu prologus continens modum qui in hoc opere observatur, & quædam alia notabilia in communi summe necessaria omnibus dictis & expositionibus historiarum & auctoritatum Veteris ac Novi Testamenti sumptarum de dictis ex libris Doctoris Eloquentissimi Sancti Gregorii Magni Papæque Romani. Cujus quidem libri omnes statim hic inferius sub cæteris titulis per ordinem annotantur.

Primò, quidem, est liber Moralium super Iob, continens libros partiales XXXV.

Nulla ibi mentio commentariorũ nomine S. Gregorii evulgatorũ, *in lib. Reg. in Psam. Pœnit. in Cantica Cantic.*

Secundò, Est liber super Ezechielem, continens partes duas: quarum prima continet omelias XII. *Secunda vero omelias decem.*

Tertiò, Est liber Omeliarum super Evangelia continens partes duas; & pars qualibet continet Omelias viginti.

Quartò, Est liber Dialogorum, continens libros quatuor partiales; & liber quilibet continet capitula multa.

Quintò, Est liber Regulæ Pastoralis, *continens capitula* LXV.

Sextò,

Sexto est liber Registri, continens XIV. partes: & pars qualibet continet epistolas multas.

Consilium, methodusque operis.

OPeri itaque subsequenti historiarum & auctoritatum multarum sacri Canonis secundum ordinem librorum ac Capitulorum Bibliæ, expositiones multas & varias excerptas ex libris omnibus S. Papæ Gregorii sigillatim & partialiter continenti, præmittuntur quinque in genere quæ pro habenda omnium sequentium evidentia clariori, sunt valde memoriter retinenda.

PRimò quidem notandum est quod in libris Sancti Gregorii, potissimè in libro Moralium super Job, capitulorũ cotatio seu signatio non est certa; cujus signum est evidens, quod in diversis codicibus seu libris diversimodè sunt signata dicta capitula & cotata, secundum devotionem & arbitrium cotantium dictos libros. Et idcirco in assignando & cotando capitula specialiter dicti libri hoc adhibui studium; quod, ubi textus Bibliæ seu libri Job noviter exponitur, seu nova textus expositio ponitur, ibi novum commentum, seu capitulum assignatur, eo modo quo in libris Philosophi à commentatoribus expositis consuevit signari & cotari novitas seu numerus commentorum. Ubi autem idem textus Job à Sancto Gregorio diversimode exponitur, non solum commenti, sed expositionis numerus, & cotatio exprimitur. Et hæc commentorum seu capitulorum significatio & cotatio est penitus in-

fallibilis, & apud quoscumque libros sive codices uniformis, & ad majorem certitudinem dicta commentorum seu capitulorum ac variarum expositionum signatio & cotatio esset in volumine, ac libro quolibet Moralium in exteriori margine conscribenda. Consimilis quoque cotatio seu signatio posset, cui esset curæ, in libro super Ezechielem, & Omeliarum, Euangeliorum faciliter & satis congruè adaptari. In libro autem Dialogorum & pastoralis curæ, evidens est, & satis clara ac uniformis capitulorum cotatio & signatio apud omnes: quavis in libro Dialogorum in nonnullis capitulis continentur multæ narrationes ejusdem sancti, vel etiam diversorum sanctorum & ideo in illo libro, preter distinctionem capitulorum, posset distinctio narrationum seu cotatio designari. Liber vero registri distinctus est per indictiones: quia talis distinctio esset extranea, & satis apud aliquos peregrina. Ideo in hoc opere in historiis seu auctoritatibus sumptis de illo libro, fit cotatio per partes, & partium per numerum epistolarum. Unde divido memoratum librum in partes XIV. & distingo.

SEcundo est notandum quod beatus Gregorius plerumque eandem auctoritatem seu historiam sacri Canonis in diversis locis suorum librorum exponit pluries, & prosequitur diversimodè, secundum sensus diversos, & varios modos exponendi sacram scripturam, scilicet litteralem, mysticum, anagogicum, & moralem. Et ideò in hoc opere pono & prosequor expositiones predictas secundum modum usitatissimum dicti sancti. Quamquam & eandem auctoritatem seu histo-

riam quam idem Sanctus exponit pluries in diversis locis, secundum eundem sensum, puta litteralem, vel alium, pono pluries ubi in modo procedendi addendo vel minuendo, est diversitas aliqualis, quamvis in hoc opere auctoritates nonnullas seu historias interseram, quæ etsi directæ expositiones non habeantur, prosunt tamen & ædificant, vel propter materias quas continent, vel propter declarationem alicujus propositi, ad quos tales auctoritates seu historiæ adducuntur. Sunt quoque auctoritates nonnullæ quæ possent in diversis libris Bibliæ, & capitulis consignari, & in hoc opere sic quandoque aliquando, licet paucæ verbi gratia consignantur. Hoc enim decrevi prudentis lectoris judicio relinquendum.

Tertio est notandum quod quandoque præfatus Doctor Egregius ad unũ & idem propositum adducit plures auctoritates seu historias diversorum librorum sacri Canonis, & eas exponit. In hoc itaque opere tales sic connectuntur, & ordinantur: quia aliquando post expositionem unius suo loco, scilicet libro & capitulo congruo positæ, immediatè subsequitur alia cum sua expositione, sed signatur seu cotatur libro & capitulo proprio. Pro ejus tamen expositione fit remissio ad librum seu capitulum precedentis. Aliquando vero post expositionem unius solum tangitur alia quæ subsequitur, sed pro ejus expositione fit remissio ad locum proprium, scilicet librum & capitulum ubi debet secundum suum ordinem consignari. Et sic connexio unius cum altera, vel remissio ad alteram

fit diversimodè, prout exigit brevior vel prolixior expositio earumde. Quantumcumque tamen fiat dicta connexio, vel remissio, quia vario modo posset fieri secundum arbitrium diversorum, ut plurimum, & quasi semper haberi potest plena sententia illius propositi, seu materiæ, ad quod vel ad quam dictæ auctoritates, seu historiæ adducuntur.

QUarto, est notandum, quod modus procedendi in expositionibus historiarum & auctoritatum in hoc opere contentarum talis est. Quia ferè cuilibet præmittuntur verba aliqua ex dictis Doctoris Sanctissimi Gregorii, ut clarius innotescat, cur talis auctoritas, seu Historia ad propositum adducatur. Exinde sequitur ipsa auctoritas, seu historia cum expositione sua, & in fine expositionis ejusdem, ex quo libro dicti sancti, ex quo libri commento, seu capitulo excerpta sit & sumpta dicta expositio, describitur evidenter.

QUinto quoque & ultimo, est notandum, quod in nonnullis auctoritatibus & historiis dictus Sanctus Doctor Gregorius diversis translationibus utitur, & eas sic diversas translationes, ego & hic adduco. Insuper in expositionibus dictarum auctoritatum seu historiarum ut plurimùm prosequor verba sæpe dicti Doctoris formaliter, sic ea divino afflatus spiritu protulit, prout evidenter apparuit in miraculo de columba, nec de verbo ejus quicquam vel parum rescindere volui: motus potissimè hac de causa, ut textus sacri Canonis frequenter obscuri & involuti, per am-

plius & perfectius deuotis ac studiosis lectoribus hujus operis elucescant. Nec propter hoc presens opus prolixum videatur alicui obloquenti: Fieri enim non potuit, ut hæc omnia sine diminutione prosequerer, & tot, ac tantarum, tamque variarum expositionum sententias explicarem omnimoda brevitate attentius observata. Contra enim nimis breviloquos Beatus Augustinus ait in quadam epistola: homines prolixa fastidiunt, & brevia non intelligunt.

PRæsens autem potest VIRIDARIUM GREGORII non incongruè nuncupari, pro eo maxime: Quia hic sunt velut redolentes flores & fructus in amænissimo viridario, cum fere dicta electissima sparsim posita, & tacta in omnibus libris sanctissimi Doctoris Gregorii recollecta, & instar arborum diversi generis ordine congruo transplantata. Hic & devotus lector potest carpere viridissimarum sententiarum herbas, flores redolentes morum & virtutum legere fructus honoris & honestatis copiosius invenire ut enim verbis utátur ejusdem Sanctissimi Gregorii differentis ac loquentis de sacro eloquio super Ezechielem, parte prima, omelia sexta circa principium exponentisque ac prosequentis diffuse & pulchre illud Geneseos. 27.27. *Ecce odor filii mei, &c.* In hoc opere, veluti in amenissimo viridario: redolet flos vuæ, magna scilicet virtus predicatorum qui debriant mentes audientium: redolet flos olivæ, suave scilicet opus misericordiæ, quod more olei refovet & lucet: redolet flos rosæ, mira scilicet fragrantia quæ rutilat ex cruore martyrum: redolet lilii flos, candida scilicet

Gen. 27. 27.

vita carnis de incorruptione virginitatis: redolet flos violæ, magna scilicet virtus humilium, qui ex desiderio loca ultima tenentes se per humilitatem à terra in altum sublevant, & cœlestis regni purpuram in mente servant: redolet spica cum ad maturitatem perducitur: quia hic operum bonorum perfectio ad facietatem eorum qui justiciam esuriunt, preparatur.

PRo munitione autem hujus viridarii confeci & ordinavi duplicem tabulam: unam quæ continet titulos auctoritatum omnium & historiarum hic expolitarum, quam decrevi totali operi permittendam, tanquam murum ac sepem seu clausuram totum viridarium circumdantem: Aliam alphabeticam materias omnes saltem communiores & potiores hujus operis, veluti flores & fructus infra viridarium continentem, quam postpono totali operi, tanquam clavem ostia hujus viridarii reserantem.

ET ut structura totalis ædificii sit fortior, & in altum tutius & rectius erigatur ad fundamentum, curam diligentiorem adhibui quæ est fides mediatoris Dei & hominis Jesu Christi. Unde pro fundamento totalis hujus operis solidiori præmitto symbolum fidei dictatum à sæpe dicto sanctissimo Patre Gregorio, prout ponitur in sui registri principio, & cum eodem, corde credo ad justiciam, & his verbis ore confiteor ad salutem.

CRedo in unum Deum omnipotentem Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, tres

perſonas, unam ſubſtantiam; Patrem ingenitum, Filium genitum, Spiritum ſanctum nec genitum nec ingenitum, ſed coæternum de Patre & Filio procedentem. Confiteor genitum Filium, conſubſtantialem, & ſine tempore de Patre natum, omnium viſibilium & inviſibilium conditorem, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero, ſplendorem gloriæ & figuram ſubſtantiæ, qui manens Verbum ante ſæcula, perfectus homo creatus eſt juxta finem ſæculorum, conceptus, & natus ex Spiritu ſancto & Maria Virgine, qui naturam noſtram ſuſcepit abſque peccato, & ſub Poncio Pilato crucifixus eſt & ſepultus; tertia die reſurrexit à mortuis: Die autem quadrageſimo aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Dei Patris. Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos, poſiturus ante oculos omnium omnia occulta ſingulorum. Daturus ſanctis perpetua præmia regni cœleſtis, iniquis autem ſupplicia ignis æterni, innovaturus ſæculum per ignem. Confiteor unam fidem, unum baptiſma, unam Apoſtolicam & univerſalem Eccleſiam, in qua ſola poſſunt laxari peccata. In nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti, Amen.

“ Non deſũt tamen viri docti qui exiſtiment hocce Symbolum non eſſe S. Doctoris.

TU itaque, Lector, propter rudem & ineptum ordinatoris ſtilum ſeu modum, viridarium non contemnas, nec redolentes flores ac fructus ſapidiſſimos qui intus ſunt faſtidias, ſeu poſtponas: immo magis ejus laboribus compatiens, ut ſuorum laborum glorioſus ſit fructus, pro eo, quæſo, apud Dominum intercedas.

Deinde ſubnectit in tabula auctoritatum quas ex

plicuiti, catalogum, ea forma. De libro Genesis: In principio creavit Deus cœlum & terram: hac exponitur sententia ter, &c. Earumque numerum in fine his verbis consignavit: Expliciunt tituli auctoritatum & historiarum omnium sacri Canonis in hoc opere collectarum numero 1850. *vel circa.*





VITA S. P. AUGUSTINI HIPPONENSIS EPISCOPI

Florebat Iordanus an. 1370.

B. JORDANO DE SAXONIA EREMITA AUGUSTINIANO SCRIPTORE.

PROLOGUS.



IVI Patris ac Doctoris Eximii Hypponensis Episcopi ortum, percursumque, ac finem vitæ, auxiliante eo qui laudatur in sanctis suis fideliter descripturus, nihil huic operi inserendum censui, quod non in suis propriis dictis, aut aliorum autenticis scripturis continetur. Secutus præcipuè vestigium illius Venerandi Viri Sancti Possidonii Calamensis Episcopi, ejusdem Sancti Patris Discipuli, & in suo Monasterio olim Canonici, qui ejus gesta prout viderat, & per experientiam didicerat diffusè conscripsit: ad ea maxime se re-

De hujus vitæ historico, consule nos ad eius fidē.

Hujus historiæ quanta debeatur fides.

ferens tempora, quibus ipse cum eo præsentialiter fuerat conversatus. Neque enim tantus doctor veritatis honorari se gratum duceret laudibus falsitatis. Ipse etenim dicit in primo libro de Trinitate: Malim, inquit, me reprehendi à reprehensore falsitatis, quàm ab ejus laudatore laudari, porro hoc unum obsecro, eum qui hæc legerit ut, si quæ hic scripta repererit, quæ in vulgatis Legendis non habentur, non prius dentem mordacem exerceat, quàm signatarum remissionum loca studiosè requirat; nec temeritati meæ quisquam ascribat, quod post tam magnorum virorum studia qui legendas ejusdem sancti Doctoris conscripserunt, ausus sum manum ponere: quia profecto sæpe spicæ quæ majorum metentium manus effugiunt à parvulis colliguntur.

L. 11. de trin.



VITA S. AUGUSTINI EPISCOPI.

Ejus parentes, patria, juvenilis educatio.

AUGUSTINUS Doctor Egregius ex Provinciâ Affricanâ, civitate Tagastensi honestâ prosapia de numero Curialium: Patre quidem adhuc gentili, Patricio nomine: Matre vero dictâ Monica, Christianissima, progenitus fuit. Qui divino, nescientes, ducti consilio, hunc summâ eorum cura, ac diligentiâ enutri-

tum literali imbuendum traduxerunt studio; quem præscitia futuri divina clementia, tanti ingenii ditavit perspicacia, ut non solum coævorum, verum etiam grandævorum discendi agilitate prævolaret studia. Parentes vero ejus tanto profectui congaudentes, quæ illi erant necessaria magnâ præparabant diligentiâ. Mirantibus cunctis eorum vicinis, cum attenderent, quantam illi filio impenderent curam non considerantes quid expenderent, dum pro voto proficeret.

Ingenii præstantia atque capacitas.

Unâ autem dierum Puer nimio stomachi dolore vexatus, anxius valdè laborabat: Hortante igitur Matre, ut baptisaretur; sed renuente Patre, baptisma dilatum est. Interim miserante Dei gratiâ, dolore quiescente, sanatus est. Cujus mundatio adhuc dilata fuit; quasi necesse esset, ut adhuc sordidaretur, si viveret: quia majus peccatum esset, si post baptismum peccaret.

Vexatur dolore stomachi.
L. 1. Confess. c. 11.

Græcas sanè litteras quibus docebatur, oderat: latinas vero satis diligebat, ut ipse hæc memoratur in primo libro confessionum: parvo igitur tempore, in eo in quo natus est municipio, & in Madauris civitate vicina, quò à parentibus missus fuit, doctus est Grammaticam. Inde reversus, cum decimum sextum ætatis suæ ageret annum, disposuit longiùs proficisci, doceri rethoricam. Sed anno illo cum parentibus demoratus, & interposito otio, ex necessitate domesticâ interim ab omni scholâ feriatus, cum ageret annos ferventis adolescentiæ per devexa lasciviâ vagabundus ruebat. Patre quidem adhuc Cathecumeno, non multùm curante; Matre verò, prout poterat, revocante. At ille Matris monita, quasi anicularia reputans, coævos & consi-

Varia ejus studia Tagaste, Carthagine.
L. 1. Conf. c. 12. 13. & 14.
An. 16. ætat.
Torpens otio indulget lasciviæ.

L. 2. Conf. c. 8.

An. 19. ætat. Mors patris.

Incidit in librum Ciceronis, cui nomen Hortensius, ex ejusque lectione ad amorem sapientiæ exarsit.

L. 3. Conf. c. 4. Displicet nomine Iesu sẽtentias ejus non intermisceri.

Eodem lib. c. 5. Sacras scripturas evolvit, cum fastidio.

Eod. lib. c. 6. Tentat Manichæorum dogmata, iisque implicatur.

miles malebat audire, quam Matri obedire, ut ipse in secundo libro confessionum humiliter confitetur. Tandem vale facto parentibus, Carthaginem profectus, ibi in scola cujusdam Rethoris incredibili celeritate doctus est. Cum igitur decem & novem esset annorum, defuncto jam Patre ante biennium, quem in extremo vitæ suæ mater quoque Deo lucrata fuerat, discendi ordine, pervenit in librum quemdam Ciceronis, cui nomen Hortensius, qui exhortationem continet ad Philosophiam, in quo etiam vanitas mundi contemnenda docetur. Et ex hoc quidem liber ei plurimum placuit, displicebat tamen quod nomen Christi non erat ibi: hoc enim nomen Salvatoris in ipso lacte Matris tenerum cor ejus biberat, & altè retinebat; & quidquid sine eo nomine invenisset, quamvis altum, expolitum, & veridicum non eum totum rapiebat, prout ipse tertio libro confessionum refert.

Itaque instituit animum suum intendere in scripturas sanctas, ut videret quales essent. Sed quia scientia sine charitate non ædificat, sed inflat, ipseque tumens erat inani Philosophia, reverberatus aciem in eas figere non valebat. Divinæ ergo valefaciens scripturæ, in Manichæorum errorem incidit, qui Dei filium, non verum corpus, sed phantasticum assumpsisse asseverant, & carnis resurrectionem negant. Ponunt etiam duo rerum principia, unum bonorum, & aliud malorum. Ad has etiam nugas perductus est, ut arborem fici plorare crederet, cùm ab ea ficus, vel folium decerperetur, ut ipse in eodem libro tertio confessionum refert. In prædicto autem errore permansit ferè novem annis, ut in princi-

pio quarti libri confessionum humiliter confitetur. L. 4. Conf. c. 1.

Mater autem ejus pro eo multum flebat, amplius quàm flere solent Matres corporea filiorum funera; & ipsum ad unitatem fidei ducere satagebat. Cui præ dolore perditionis filii penè deficienti, data est divinitus hujuscemodi consolatio. Quadam die vidit se stare quasi in quadam regula lignea; & ecce Juvenis quidam pulcherrimus, cultu splendido, vultu hilari adveniens, arrisit flenti: Quæ, inquiens, tibi causa est doloris & luctus continui? At illa ait: perditio filii mei. Cui Juvenis: Esto, inquit, secura quia ubi tu, ibi ille. Et ecce continuò juxta se filium suum stare vidit. Quòd cum evigilans memoriter retineret, ut prudens, & magnæ fidei mulier interpretata est veraciter; planè cognoscens, & asserens apud se quod quandoque in eadem regula veritatis Catholicæ fidei videret Augustinum, in qua videbat & se. Non enim reputabat hoc tamquam somnium, sed tanquam divinum responsum, dicens: *O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Quo circa dum idem visum Augustino recenseret, & ille perversè interpretari conaretur. Falleris inquiebat, mater: non tibi sic dictum est: sed, ubi ego, ibi tu. Contra illa dicebat: non, fili mi, dictum est, ubi ille ibi tu sed, ubi tu: ibi ille.

S. Monicæ pro salute filii pia anxietas.

Visione quæ conversionē ejus portenderet, recreatur.

L. 3. Conf. c. 11.

Matth. 5.

Accepit illa ad consolationem sui, & aliud divinitus responsum, per quemdum Episcopum Virum Catholicum, & sacris literis eruditum, ad quem cum supplex veniret plorans, & devotè postulans, ut Augustinum conveniret, eumque ab errore suo revocans, ad fidem Catholicam invitaret. Ille respondit: Filius profecto tuus indo-

Aliud pro ejusdem futura conversione oraculum.

cilis adhuc est, superbe tumens novitate illius hæresis, paratus magis quæstiunculas tenere, quàm docenti acquiescere. Sustine igitur paulisper, & incessanter ora: legendo enim reperiet, quantùm sit secta illa quam diligit, execranda. Nam & ego ipse cum essem Adolescentulus in eodem errore desipui, & legendo, & intelligendo, quam fugienda esset, cognovi, & fugi. Quæ responsio, cum illi non sufficeret, sed importunitate fœminea cum nimia lachrymarum effusione instaret, ut cum filio suo loqui dignaretur, & eum ad meliora hortaretur: ille, quasi tædio percussus. *Vade*, inquit, *secura: Impossibile enim est, ut filius tantarum lachrymarum pereat*. Quod responsum in tantum sibi placuit, ac si de cœlo ei Prophetia sonuisset. Hæc ipse in tertio lib. confess.

Eod. lib. c. 11. Aug. æt. 20. an. Aristotelem &c. per se intelligit.

Cum autem vigesimum ætatis suæ annum ageret, & Magister Carthaginensis decem Cathegorias Aristotelis lectitaret. Illis vix intelligentibus; iste libellum accepit, & solus domi legens, quidquid in eo latebat, per se intellexit. Omnes denique libros artium liberalium quoscumque invenit, legit; quoscunque legere potuit, per scipsum intellexit, ut ipse fatetur in quarto libro confess.

L. 4. Conf. c. 16. Docet Grãmaticam, & Rethoricam. *Eod. l. c. 2.*

Demum cum jam summus Philosophus, & Rethor luculentissimus haberetur, prius in sua Civitate Tagastensi scolas regens docuit Grammaticam, & indè regressus Carthaginem pluribus annis inibi docuit Rethoricam.

Eo tempore (*ad marg. sic habet; scilicet anno ætatis suæ 26. aut. 27.*) Scripsit tres libros de Pulchro & Apto ad Hyerium Romanæ Urbis Oratorem, quem non noverat facie; sed amabat

hominem ex Doctrinæ famà, ut ipse hoc testatur l. 4. confess. L. 4. Conf. c. 14.

Anno autem unde tricesimo ætatis suæ, venit Carthaginem quidam Manichæorum Episcopus Faustus nomine, intricatissimus diaboli laqueus, nominatus maximè apud eos, quod esset honestarum omnium doctrinarum peritissimus. Tantæque famæ & auctoritatis erat apud illos, ut qui eum sequerentur, non quemlibet hominem, sed Spiritum Sanctum se sequi arbitrarentur. Ad quem, cum Augustinus gratia discendi venisset, expertus est hominem gratum & jucundum verbis, sed veræ scientiæ expertem. Quapropter, cum quæstiones quas super dubiis in lege Manichæorum Augustinus sibi collegerat, per illum talem ac tantum Doctorem, Auctorem, Ducem & Principem illius sectæ, ut diu speraverat, enodandæ, solutæ non fuerint (nec enim ausus fuit cum Augustino sarcinam disputationis subire, nec eum puduit confiteri se illa nescire) Augustinus igitur omnem conatum quo proficere in illa secta statuerat exinde pertæsus post posuit, contentus sic interim manere, donec aliud melius eligendum eluceret. Hæc ipse lib. 5. confess. Æt. 31.

Adit Faustum manichæum qui tandem eivilluit.

L. 5. c. 9.

Demum quibusdam amicis suadentibus Romam pergere statuit, ut ibi eadem doceret, quæ Carthagini. Ea vero præsertim de causa, quod audierat quietius ibi adolescentes studere, quam Carthagine. At hæc illius cogitatio, Dei fuit dispensatio. Iter aggreditur, Mater secuta est eum usque ad mare, quam tamen Augustinus fefellit. Finxit ergo se nolle eam deserere, donec facto vento navigaret, & mentitus est Matri. Nolente autem Matre absque eo redire domum,

Romam pergit.

Noctu abscedit matre inscia.

eidem suasit, ut in loco qui proximus erat, in memoriam Beati Cypriani Martyris ea nocte permaneret. Cumque illa paululum divertisset, ascendens ille nocte navim, clanculùm profectus est. Illa autem mansit tota nocte flens jugiter, & orans, ut impediretur navigium. Flavit continuo ventus, & implevit vela navis, & littus substraxit aspectibus eorum. Reversa ergo illa manè ad littus ubi filium dimiserat, prospiciens rem gestam, intolerabili dolore ingemuit; nesciens, quæ illi Deus gaudia facturus erat de absentia ejus; ideo flebat: & ejulabat. Post multum verò luctum, conversa rursùm ad deprecandum pro eo dominum, abiit ad solita. Ille autem pervenit Romam. Hæc ipsè libro 5. Confess. Cum ergo Romæ esset, incurrit ægritudinem validam, & hoc mater nesciebat, sed pro illo orabat absens, & majore sollicitudine eum parturiebat spiritu, quam carne pepererat, quotidiè eleemosinas faciens, & obsequia sanctis exhibens, nulloque die prætermittens oblationem; Bis in die, manê, & vespere ad Ecclesiam sine ulla intermissione veniens, non ad vanas fabulas, sed ut Dominum audiret in suis orationibus pro salute Filij sui. Sanatus ergo ex illa ægritudine cœpit sedulò agere id propter quod venerat, & docere Romæ artem Rethoricam, & congregabantur ad ejus hospitium multi.

L. 5. conf. c. 8.

Ægrotat.

Matris iterata pro salute filij sui sollicitudo.

Post hæc missum est à Mediolano Romam ad Symmachum præfectum, ut provideret Magistrum Rethoricæ Artis, quem Mediolanum dirigeret. Tunc ergo Symmachus præfectus misit eis Augustinum probatum Magistrum; & venit Mediolanum ad Ambrosium Episcopum; in

Mittitur mediolanum.

in optimis notum orbi terræ, & ſuſcepit eum paternè, Cæpit autem Auguſtinus viro Dei adhærere, & ejus prædicationes frequenter audire. Primò quidem, non ut veritatem audiret, quam in Eccleſia Chriſti prorſus deſperabat; ſed explorans, utrum famæ illius facundia conveniret, & delectabatur ſuavitate ſermonis, non ſatagens diſcere quæ dicebat. Demum cœpit paulatim animum rebus, magis quàm verbis applicare. Hæc ipſe 5. Confeſſ. Cum autem quadam die beatus Ambroſius in Prædicatione de Incarnatione Domini tractaret; Auguſtinus aſtans in populo metu Dei correptus eſt, & oblitus ſui, ſuarumque omnium cogitationum, pallens & tremens omnibus qui aderant videntibus, obriguit. Finita ergo admonitione, quam ad populum beatus Ambroſius miniſtrabat, Auguſtinus ad eum pervenit, patefaciens ei ſuam tam ſubitam mutationem. Quod audiens beatus Ambroſius; cognitoque quod in Manichæorum ſecta jam fluctuans pene diffideret, & per Spiritum Sanctum cognoſcens, qualiter fidelis & Catholicus futurus eſſet, gaviſus valde, placidiſſimé & multum charitativè eum ſuſcepit. Itaque lætabatur beatus Ambroſius ſuper eum; ſicut in Evangelio de quodam patre legitur, qui cadens ſuper collum filij ſui quem perdiderat, & imponens annulum digito ejus plorans deoſculabatur eum. Hæc ſanctus datius mediolanenſis Epiſcopus in Chronica ſua. Auguſtinus autem ex tunc illuceſcente veritate pauliſper ſectam manichœorum quam diu tenuerat, relinquendam eſſe decrevit, & tamdiu in Eccleſia Catholica Cathecumenus eſſe conſtituit, donec ple-

D. Ambroſij delectatur concionibus.

L. 5. Confeſſ. c. 13.

Iis movetur & fluctuat.

Datius in chron.

L. 5. c. 14. nius eluceret veritas, quam teneret, ut ipse quinto lib. confess. humiliter confitetur.

S. Monica convertit Augustinum, lætaturque super commotione ejus

Inter hæc venit ad eum Mater pietate fortis, terra marique eum sequens, & in periculis omnibus de Deo secura. Nam & per marina discrimina ipsos nautas consolabatur, pollicens eis perventionem cum salute; quia ei Deus hoc per visum promiserat. Invenit ergo filium, à quo didicit, quod manichæus jam non esset, sed Catholicus. Tunc illa exilivit lætitia inenarrabili, cum audivit eum licet veritatem nondum adeptum, à falsitate tamen ereptum, & pectore pleno fiduciæ, ait: credo in Christo, quod priusquam migrem de hac vita, visura sum meum Filium fidelem Christianum. Et fundebat ad Deum preces, & lachrymas densiores, ut acceleraret adjutorium suum, & illuminaret tenebras eius. Diligebat enim & ipsa Ambrosium, sicut Angelum Dei: quia per illum cognoverat filium suum ad illam fluctuationem jam esse perductum. Itaque cum ad memorias Sanctorum, sicut in Affrica solebat, panem & pultes, & merum attulisset, ab Ostiario prohibebatur. At ubi hoc Episcopum vetuisse cognovit, obedienter amplexa est. Hoc enim egentibus tribuendum ferebat, & pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus, ad memoriam Martyrum offerre didicerat.

Agapum mores ex præcepto Ambrosij jam deveseebat.

Igitur omni Dei dominico audiebat Augustinus Ambrosium verbum veritatis coram populo disserentem, sæpiusque in suis sermonibus dicentem: *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.* Et conferebat Augustinus cum charissimis

2. Cor. 3.

amicis suis Alipio & Nebridio multas quæstiones. Quorum alter, Alipius scilicet, ex eodem quo ipse erat ortus municipio; Nebridius autem relicta patria vicina Carthagini, atque ipsa Carthagine, relicto etiam paterno rure optimo, venerat Mediolanum, quærens Augustinum, ut secum conveniret in flagrantissimo studio veritatis. Erant ergo hi tres pariter nutantes in consilio, quisnam esset modus vitæ tenendæ. Et ecce jam tricenarius erat, ut ipse L. 6. Confess. refert.

Flagrant pariter Augustinus, Alipius, Nebridius studio veritatis.

At an. 39.

Cum autem jam via Christi sibi placeret, sed per ipsam adhuc ire pigeret, misit dominus in mentem ejus, visumque est ei bonum pergere ad Simplicianum Eremitam servum Dei. Audierat enim quod à juventute sua devotissimè deo servierat, & vere sic erat. Jam vero senuerat, & multa expertus, multa edoctus erat. Et beatus Ambrosius verè eum ut patrem diligebat; cui æstus cordis, & errorum circuitus manifestans, devote postulavit, ut vir sanctus proferret ei, quis esset aptus modus vivendi, sic affecto ut ipse erat, ad ambulandum in via Dei: videbat enim plenam Ecclesiam; & alius sic ibat, alius autem sic: displicebat quippe ei quidquid agebat in sæculo præ dulcedine Dei, & decore domus ejus quam dilexit. Simplicianus autem eum hortari cœpit, & ad humilitatem Christi præcipuè invitavit; & interim Victorini Romani quondam Rethoris conversionem in medium recitavit. Romæ siquidem multis annis Victorinus ille magister fuerat, & ob insignè præclari Magisterij, Statuam in Romano foro habere meruerat: qui tandem con-

L. 6. Conf. c. 10.

S. Simplicianus Eremita ab Augustino consulitur.

Lib. 8. Conf. c. 1. 2. 3.

Augustinus audita Victorini conversione, meditatur suam.

versus loquacem scolam suam deserens, in scola Christi humilis discipulus effectus est: hoc exemplo commonitus Augustinus ad imitandum exarsit, & soli Deo servire proposuit.

Interea cum quadam die essent Augustinus & Alipius pariter in domo, & absens esset Nebridius, venit ad eos Pontianus quidam civis Africanus, præclare in palatio militans, & consederunt, ut colloquerentur. Et videns Pontianus forte super mensam lusoriam quæ ante eos rat, codicem, tulit & aperuit: invenitque sanè inopinate Paulum Apostolum: (putaverat enim aliquem esse de libris, quorum professio eos detinebat.) Tunc arridens, Augustinumque intuens gratulatoriè miratus est, quod eas, & solas præ ejus oculis litteras comperisset (Christianus quippe fidelis erat ille) cui, cum indicasset Augustinus illis scripturis se maxime curam impendere; ortus est sermo ipso narrante Pontiano de Antonio Ægiptio Monacho, cujus nomen excellenter clarebat apud servos Dei, ipsos autem usque ad illam horam latebat. Inde sermo ejus devolutus est ad Monachorum Greges, & incolas deserti, & Eremi, Spiritu pauperes, qualium est regnum cœlorum. Et erat monasterium Mediolani plenum fratribus bonis extra urbis mœnia sub Ambrosio nutritore. Augustinus autem, nec horum noverat, & ideo attente cuncta tacitus audiebat.

Ad quam & accenditur magis, recitata S. Antonij & aulicorum historia, a Pontiano.

L. 8. Confess. c. 5.

Addidit quoque Pontianus quodam die cum ipse apud Treveros cum Imperatore fuisset, se, & tres alios contubernales exisse deambulatum in hortos muris contiguos, unum secum deorsum, & alios duos seorsum pariter digressos:

sed alios illos duos vagabundos irruisse in quandam casam in qua Eremitæ quidam habitabant, & invenisse ibi codicem, in quo scripta erat vita Antonii Eremitæ, quam legere cœpit unus eorum, & mirari, & accendi; qui ait ad socium suum: Ego jam servire Deo statui in hoc loco, & hac ipsa hora aggredior; si te piget imitari, noli adversari. Respondit ille; se velle adhærere socio; & sic ambo relictis omnibus secuti sunt dominum. Tunc pontianus, & qui cum eo in alea deambulabant, quærentes eos devenerunt in eundem locum, invenientes monuerunt ut redirent, quia declinasset dies. At illi narraverunt propositum suum. Isti autem illis pie congratulati fuerunt, seque eorum orationibus commendantes ad palatium abierunt, illi vero in casa manserunt; Quod audientes sponsæ eorum dicaverunt & ipsæ virginitatem Deo.

L. 8. Confess. c. 7.

Istis itaque exemplis Augustinus compunctus rodebatur intus & confundebatur pudore horribili vehementer; Nam exempla servorum Dei, quos de nigris lucidos, de mortuis vivos fecerat, congesta in sinum cogitationis suæ urebant & accendebant eum valde. Cumque Pontianus abiisset, Augustinus in illa grandi rixa interioris domus suæ, tam vultu quam mente turbatus invasit Alipium, & exclamavit: quid patimur? quid audimus? surgunt indocti, & rapiunt cœlum, & nos cum doctrinis nostris; ecce ubi volutamur, in carne, & sanguine. An quia præcesserunt, pudet sequi? Et cum hæc diceret, attendebat etiam eum Alipius attonitus, non enim solita sonabat verba, plusque loquebatur anima ejus, frons, genæ, oculi, color, modus vocis,

L. 8. Confess. c. 8.

Rixa Augustini sui ipsius contra seipsum.

quam verba quæ premebat.

Cum autem tali rixa intrinsecus discerperetur, hortulum hospicio suo contiguum ingressus est, & Aliptius pededentim secutus est eum; sederuntque quantum potuerunt remoti ab ædibus. Augustinus itaque fremebat spiriu, & erat turbulentissimus, & accusabat seipsum. Alipius vero affixus lateri ejus tacitus eum dolens considerabat, & inter verba accusantis, everso fundo cordis sui, & congesta ante oculos mentis universa massà miseriarum suarum, oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lachrymarum: ad quam libentius effundendam relicto Alipio in eo quo consederant loco, paulo remotius secessit; solitudo quippe illi ad negotium flendi aptior videbatur, Alipius vero mansit in eo quo sederant loco nimium stupens. Augustinus autem doloris incontinens sub quadam ficu se projecit & lamentabiles voces dabat, dicens: Et tu Domine usquequo? quandiu? quandiu? cras, cras: quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Dum hæc, & his similia amarissima contritione cordis sui diceret, jactans voces miserabiles, repente audivit vocem quandam de domo vicina cum repetitione crebro modulante: TOLLE, LEGE: TOLLE, LEGE. Statimque vultu mutato intentissimus, Cogitare Cœpit, utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi tale aliquid cantitare, nec occurrebat. Intellexit igitur divinitus se moneri, ut accepro Codice legeret primum Capitulum quod Inveniret, & quod ab illo doceretur, ageret. Itaque repressis lachrymis, concitus ad locum ubi sedebat Alipius

Vox corvina Augustini.

Cessit tandem divinæ voci, & convertitur.

redit, & arrepto codice, quem juxta illum cum non surgeret, dimiserat, aperuit, & legit in silentio capitulum quò primùm conjecti sunt oculi ejus: *Non in commessationibus, & ebreitatibus; non in cubilibus, & impudicitiis; non in contentione & æmulatione, sed induimini Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.* Nec ultra voluit legere, nec opus erat. Statimque cum fine hujus sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi ejus omnes dubietatis tenebræ diffugerunt. Tunc interjecto digito, aut nescio quo alio signo, codicem clausit, & tranquillo jam vultu indicavit Alipio quæ legisset: At ille petiit videre. Et accepto codice vidit. Et perspiciens quid ultra quæ iste legerat (haberetur, ignorabat enim Augustinus quid sequeretur) invenit ille, & legit: *Infirmum autem in fide, suscipite.* Quod Alpius ad se retulit, & Augustino hilariter aperuit; & mox tali admonitione proposito bono ei conjunctus est. Inde ad matrem Augustini pariter ingrediuntur, indicantes ei ordinem rei: ut quæ præ filio dolebat, cum eo consolationem acciperet. At illa gaudens, gratias egit Deo, qui ei plusquam petiisset, concesserat; videbat enim non solum illum ad amorem fidei, verùmetiam ad contemptum sæculi omnino accensum. Unde luctus ejus in gaudium, planctus versus est in tripudium, stante jam filio in ea regula fidei, in qua ante tot annos ei fuerat revelatus. Hæc ipse octavo libro confessionum.

Rom. 13.

Convertitur & Alipius.

Ibid.

Quanto ex iis Monica perfusa gaudio. *L.* 8. *Conf. c.* 8. 9. 10. 11, 12.

Jam liber erat animus ejus pulsis anxietatibus curarum & suavitatibus nugarum, quibus carere suave sibi subito factum est; & quas prius amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Et

placuit ei non tumultuosè, sed leviter se subtrahere à scholarum regimine (jam enim paucissimi dies supererant ad vindemiales ferias) & statuit tolerare eos, ut solemniter abscederet. Evolutis autem diebus viginti, qui ei longi, & multi videbantur præ amore libertatis, à professione Rethorica solutus est. Et quoniam soli Deo vacandi, orandi, & in lege Domini meditandi toto mentis desiderio æstuabat; ut locus proposito conveniret, tumultum civitatis deserens, in rure Cassiaco prope Mediolanum per Honoratum Virum, Verecundum nomine, sibi concesso, manere decrevit, donec ad baptismum aptaretur. In quo rure ab æstu seculi requiescens, & divinis lectionibus vacans cum Alipio, & aliis amicis suis eodem desiderio flagrantibus, aliquandiu commoratus est, matre sua eis semper adhærente muliebri habitu, virili fide, anili securitate, materna charitate, christiana pietate, ut ipse refert nono libro conf. Ibi etiam plures cõscripsit libros adhuc Catechumenus: Videlicet, *Librũ de Academicis, Librum de Ordine, Librum Soliloquiorum, & Librũ de Beata Vita*; quẽ librum ipse occasione tali scripsit. Olim enim multi diem natalis sui consueverant celebrare, & ipse Augustinus ante conversionem suam hoc consuevit. Accidit autem illis diebus, quibus Augustinus erat in rure, ut dies natalis sui eveniret. Nolens autem ipse diem illum natalis sui de mortali vita amplius celebrare, per tres dies cum sociis, quæ esset beata vita sollicite disputavit. Et tandem definitum est inter eos, quod beata vita nonnisi in Dei cognitione consistit; & hanc disputationem continet liber iste, ut hæc ipse recitat in libro retractationum, circa

Secedit in Rus Cassiacum.

L. 9. Conf. c. 4. 5.

Quæ scripserit Cathecumenus.

Lib. retr. c. 1.

principium. Item scripsit ibidem Epistolas ad Nebridium, & nonulla opuscula alia, cum ibi presentibus disputata, ut ipse refert nono libro confessionum. Cum ergo scripturas divinas legeret, earum valde afficiebatur dulcedine, & accendebatur vehementer. Legebat, & ardebat, & dolebat quod latrasset adversus litteras de melle cœli melleas, & de lumine Dei luminosas. Et cum legeret Psalmos David, quartum assumens Psalmum, & ejus singulos versus attente legens, & attentius relegens, à gemitu cordis sui rugiebat, & cum flere non sufficeret, voces dolori congruas proferebat. Perveniens autem ad illum versum: *In pace in idipsum dormiam & requiescam*, ut totus in devotione ardebat, præ gaudio exclamabat: O in pace, ô in idipsum! ô qui dixit: *Dormiam & requiescam*: tu ès, Domine, idipsum valdè, qui non mutaris, & in te solo requies.

L. 9. Conf. ca. 4.

Psal. 4.

Lectione quarti Psalmi vehementer compungitur, & inflammatur.

Inter hæc, & multa alia divinæ consolationis beneficia, non defuerunt ei acerbæ pocula tentationis. Contigit enim, ut gravi dentium dolore vexaretur, in tantùm ut præ dolore loqui non posset. Recolens itaque fideliter illum versiculum: *Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum*. Ascendit in cor ejus admonere eos qui secum aderant, ut orarent Dominum pro eo. Et cum non posset loqui, scripsit hæc in terra, & dedit eis legere. Ut autem suppliciter cum illis ad orandum genua flecteret, dolor ille tam velociter fugit, ut ipse admirans, expaverit, cum nihil tale ab ineunte ætate in se expertus fuerit. Et nunc insinuati sunt ei in profundo nutus divini, & gaudens in fide laudavit nomen Domini.

Dolore dentium sanatur orationis virtute.

Ibid.

L. 9. Conf. c. 4. in fin.

Demum insinuat sancto viro Ambrosio per litteras pristinos errores suos, & præsens votum

suum, ut ipse moneret, quem de libris sanctis legere deberet, quò percipiendæ Christianæ gratiæ aptior fieret, atque paratior. At ille jussit Esaïam Prophetam, eo quòd præ cæteris Evangelii, vocationisque gentium sit prænuntiator apertior. Cujus principium, cum Augustinus non intelligeret, totumque aliud tale esse arbitrans, distulit, ut illud relegeret, cum in divinis scripturis magis exercitatus esset.

Esaïam deponit, quod lectio eius paulo videretur obscurior.

1. *Conf. c. 5.* Votum suum de suscipiendo baptismo aperit Ambrosio, quæ tunc scripserit.

Inde ubi tempus advenit, quo nomen eum dare oportebat, relicto rure Mediolanum remeavit, ut ipse commemorat nono lib. confess. Reversus itaque de rure in Mediolanum baptismum percepturus, scripsit ibidem *librum de immortalitate animæ, & libros disciplinarum*, ut ipse ait in primo retractationum.

Baptisatur. ætat. an. 32.

Baptisatus est igitur Augustinus à Beato Ambrosio, anno ætatis suæ trigesimo secundo tempore Paschali, ut ait Possidonius, in fontibus qui beati Joannis ascribuntur, cunctis fidelibus ejusdem urbis astantibus, & videntibus, deumque laudantibus; in quibus fontibus Ambrosius & Augustinus prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, hymnum TE DEUM LAUDAMUS, decantantes, cunctis qui aderant, audientibus, & mirantibus ediderunt. Qui etiam Hymnus ab universa Ecclesia Catholica, usque hodie tenetur, & religiosè decantatur, ut testatur sanctus Datius Mediolanensis Episcopus in primo libro, capite decimo Chronicæ suæ. Denique in eisdem fontibus simul cum ipso Augustino Alipius & puer Adeodatus de ipso naturaliter natus, spiritualiter renati sunt. Quindecim quippe annorum erat puer ille, cùm in gratia baptismi factus est bea-

Hymnus, *Te Deum.*

Datius lib. 1. c. 10. Chron.

to Augustino coævus, tam velocis & ipse ingenii, ut multos grandevæ ætatis, & magnæ eruditionis agilitate intelligendi præveniret viros. Mirabatur profectò Augustinus, & horrebat ob tale ingenium, cum audiret illum annorum sedecim, subtiliter interrogantem, interrogando arguentem; itaut illius magis interrogationi, quàm suæ intentus esset responsioni. Erat enim puer ille ardentissimus veritatis amator, & occultorum diligens investigator. Verùm cum puer ipse flagraret tam desiderio bene vivendi, quàm studio, citò de medio sublatus est, ut ipse refert libro nono confessionum. Accepto igitur baptismi salutaris munere, quasi ditati multis divitiis, & inæstimabilibus margaritis, mutuò in Deo lætantes, cum gratiarum actione cibum sumentes, sicut erant magno gaudio gavisi, confortati sunt. Hæc sanctus Datius Mediolanensis Episcopus, ubi suprà.

Pueri Adeodati baptismus, encomium, epitaphium.

L. 9. Conf. c. 6.

Datius, ibid.

Protinus autem in fide Catholica mirabiliter roboratus, spem omnem quam habebat in sæculo dereliquit. Nec satiabatur dulcedine mirabili considerare altitudinem consilii divini super salutem generis humani. Frequentans igitur limina Ecclesiæ, & intentus modulationi hymnorum, & melodiæ psalmorum, reficiebatur delectabiliter, flebat hilariter. Hoc quippe genus consolationis, recens tunc frequentare inchoaverat Mediolanensis Ecclesia quadam temporis impellente angustia. Cum enim Justina Imperatrix Arrianorum errore seducta beatum Ambrosium atrociter persequeretur, fideles cum Episcopo suo mori parati in Ecclesia excubabant. Tunc idem Antistes, aliorum magis quam suæ afflictioni com-

Mos psallendi in Ecclesia Occidentali introductus, ad formam Orientalis Ecclesiæ.

Augustinus psalmodiæ mirifice delectabatur.

patiens, instituit, ut secundum morem Orientalium partium Psalmi & Hymni in Ecclesia cantarentur, ut canticis spiritalibus fideles intenti, mœroris & tædii præsentis oblivìscerentur. Cessante autem persecutione nihilominus consuetudo psallendi in Ecclesia remansit, & usque in hodiernum diem per totum orbem diffusa est. His itaque Psalmorum & Hymnorum cantibus Augustinus vehementer affectus, illis hymnidicis Angelorum choris interesse sitiens, ardebat, & uberrimè flebat.

Qui autem in gratia baptismi secum renati fuerant cum eo simul vivebant, consociato eis & Evodio Juvene de eodem municipio nato, & prius se baptisato. Simul erant isti, simul habitaturi placito sancto pariter servientes Domino, qui habitare facit unanimes in domo. Hæc ipse nono lib. confess. Et quoniam exhortatione sancti senis Simpliciani, & exemplis Eremitarum ad fidem conversus fuerat, ad quorum etiam imitationem toto mentis desiderio æstuabat, ab ipso sancto Simpliciano sanctæ conversationis habitum formamque vivendi accepit, quâ postmodum in Africa exuberans redolevit. Unde ipse in quodam sermone suo ad Presbyteros Hyponenses, qui incipit. *In omnibus operibus vestris sacerdotes Dei charissimi*, sic dicit: Cur murmurastis, si in iis Paschalibus diebus præsentialiter vobiscum non fui: placuit enim mihi segregare me à vobis, & pergere ad fratres meos in solitudine, quos, ut frequenter dixi, tales inveni, quales invenire desideravi. Cur ergo turbamini? Nunquid non ipsi verè pauperes? Nunquid non obedientes? Nunquid non mundum, & pompas ejus conculcave-

L. 9. Conf. c. 8.

Aug. Monachismus.

Ser. ad Presb. Hyppon.

Sanctæ conversationis habitum induit.

runt? Nunquid non in forma vivendi vos multo tempore præcesserunt? Nunquid non vere fratres nostri, & patres sunt? Nunquid non per eorum exempla ad viam veritatis perveni? Nunquid non eos semper dilexi, & eorum sanctam conversationem semper desideravi? Nunquid non etiam per Simplicianum Liguriensem in fide instructus fui? Cur ergo murmuratis? Cur de mea absentia dolorem habere ostenditis? Facite quæ placita sunt mihi, & tunc ubicunque fuero, vobiscum ero, usque ad consummationem sæculi. Hæc ipse ibi.

Post hæc autem cum instigante ejus pia matre de Mediolano recedere, & ad Affricam remeare disponeret, adivit sanctum Simplicianum petens, ut sibi aliquos de Fratribus suis Eremitis servos Dei donaret, quos secum in Affricam assumeret, & cum eis ibi ordinem plantaret. Cujus piis precibus pius ille Pater Simplicianus annuens, dedit ei duodecim Fratres Viros Religiosos; cum quibus adjunctis sibi charissimis amicis suis, qui diu secum fuerant, Nebridio, Evodio Alipio, & Pontiano, cum Matre & Filio Adeodato ad Affricam proficiscendi iter arripuit. De hoc ipse in sermone de tribus generibus Monachorum qui incipit: *Vt nobis per litteras declaravit sanctus Pater Hyeronymus loquens de genere & ordine Eremitarum*, sic ait: Isti sunt illi viri perfecti quibus frequenter adhæsi tempore errorum meorum, per quos etiam illuminari merui, quorum etiam sanctitatis fama ad aures meas perveniens baptisari non diu distuli. Et pia matre me instigante apud Mediolanum ut ad patriam remearem, cupiens etiam eos

Soluit Augustinus in Affricam.

Ser. de trib. gen. Monach. qui & 11. ad frat. in Eremo.

habere in visceribus charitatis, & cum eis pariter vivere ad virum illum Simplicianum qui à juventute sua Deo devotissimè vixerat in omni charitate perrexi, depræcans cum fletu & gemitu, ut mihi quosdam de suis servis Dei donaret, & donavit eos mihi paternè; quia sciebat me velle Monasterium in Affrica ædificare. Et assumptis mecum Anastasio, Fabiano, Severo, Nicolao, Dorotheo, Isaac, Nicostrato Paulo, Cyrillo, Stephano, Jacobo, & Vitali Pauperculo. Et infra: His mecum assumptis imitari cupiebam, cum charissimis meis amicis Evodio, Alipio, & Pontiano, qui diu mecum fuerant, & cum cæteris duodecim quos nuper assumpseram, illos, quorum famam etiam sanctus Pater Hyeronimus mihi descripserat, & sic perveni in Affricam. Hæc ipse ibi. Prædictis autem omnibus fratribus, & amicis sancto Augustino consociatis, illa pia mater ita curam gessit, quasi omnes genuisset, ut ipse dicit nono lib. confess.

Nomina Monachorum quos secum Augustinus in Affricam advexit.

L. 9. Conf.

Transiens autem & iter faciens per Thusciam, ubi, ut fertur, plura erant loca Eremitica, ubicunque fratres sui propositi invenit, ipsos charitativè visitavit, & eos suis collationibus, salutis pabulo dulciter recreavit. Perveniens autem Romam & audiens quod Manichæi qui ibi erant multos Catholicos decipiebant, ipse eorum jactantiam tacitus ferre non valens, contra eos ibidem disputavit, & duos libros contra eos scripsit, quorum unum *de moribus Ecclesiæ Catholicæ: altorum, de moribus Manichæorum* intitulavit. Scripsit etiam ibidem *librum de quantitate animæ*, in quo, per modum dialogi inter se & Filium Adeodatum multa subtilia de anima quæ-

Pervadit, thusciam monachosq; inibi commorantes. invisit.

runtur, ac differuntur. Scripsit etiam in eadem urbe *librum de libero arbitrio* causam sumens ex disputationibus habitis contra Manichæos, in quo quæstiones incidentes soluuntur, & ostenditur malum non esse exortum nisi ex libero arbitrio. Hæc ipse primo lib. retractat.

Plurima scribit volumina, præsertim contra Manichæos.

L. 1. retr. c. 7. 8. 9.

Deinde egressi de Urbe, cum essent apud Ostiam Tyberinam, post longi itineris laborem instaurantes se navigationi, Augustinus & Mater stabant soli incumbentes ad quamdam fenestram, unde hortus intra domum quæ eos habebat prospectabatur, remoti à turbis, & colloquebantur soli valde dulciter de vita æterna sanctorum, & inhiabant ore cordis in superna fluenta fontis vitæ, erigentes se ardentiore affectu in idipsum, & gradatim transcendentes cuncta corporalia attigerunt raptim toto ictu cordis regionem ubertatis indeficientis; fontem vitæ æternę, cui suspirantes, & ibidem religatas primitias spiritus relinquentes, ad oris colloquium redierunt. Vilescebatque eis mundus iste inter verba cum omnibus delectationibus suis. Tunc ait illa: fili mi, quantum ad me attinet nulla re jam delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, & cur hîc sim nescio, jam consumpta spe hujus sæculi. Unum erat propter quod in hac vita aliquantulum immorari cupiebam, ut te Christianum Catholicum viderem priusquam morerer: cumulatius hoc mihi Deus meus præstitit, ut te etiam contempta fœlicitate terrena servum ejus videam.

Roma secedunt Augustinus, & mater eius.

Asceticum utriusque de cœlesti gloria colloquium.

L. 9. Conf. c. 10.

Factum est autem vix infra quinque dies ut ipsa decumberet febribus. Et cum ægrotaret quadam die defectum mentis passa, paululum subtracta est à præsentibus. Ut autem reddita est

Ecstasis, mors & sepultura matris.

sensui, intuens Augustinum, & fratrem suum; ait: Ubi eram? Illis vero attonitis, subjunxit: ponite, inquit, hoc corpus ubicunque; nihil vos ejus cura conturbet. Tantum illud vos rogo, ut ad Domini altare memineritis mei, ubicunque fueritis. Omnem quippe jam reliquerat curam quâ prius æstuaverat de sepulchro quod sibi domi juxta corpus viri sui sumptuosè præparaverat. Nam cum paulò antè, ipsa cum quibusdam amicis Augustini de contemptu vitæ hujus, & de bono mortis loqueretur, illisque stupentibus virtutem fœminæ, quærentibusque; annon formidaret tam longè à sua civitate sepeliri. Nil, inquit, longe est Deo, neque timendum est, ne ille non agnoscat in fine sæculi unde me resuscitet. Die ergo nono ægritudinis suæ, anima illa religiosa & pia, corpore soluta est, anno ætatis suæ quinquagesimo sexto. Ætatis vero Augustini anno trigesimo tertio. Et convenerunt multi fratres, & religiosæ fœminæ ejus exequias de more celebrantes. Hæc ipse lib. 9. confess. Quibus peractis Augustinus cum suis in Affricam reversus est.

Decessus S. Monicæ quinquagesimo sexto ætatis suæ anno accidit Augustini vero 36.

L. 9. Conf. c. 11. & seq.

Veniens Carthaginem à quodam Honorato Viro, Innocentius nomine, hospitio receptus est. qui cum ob gravem corporis infirmitatem à Medico incidi deberet. Augustinus suo hospiti piè compatiens sua oratione ipsum curavit, cunctis stupentibus, quod ille de tam gravi infirmitate sic subito curatus fuerit. Hæc ipse lib. de civitate Dei. Inde perfectus ad agros proprios, propriamque domum, ibi cum amicis & fratribus quos secum de Italiâ assumpserat, ac aliis eodem desiderio flagrantibus, qui eidem adhærebant, jejuniis & orationibus vacans, venditis propriis, & secundum

Reversus in Affricâ hospitem sanat.

L. 22. de civi.

secundum modum, & Regulam Sanctorum Apostolorum pauperibus erogatis, pauper cum pauperibus in ordine adhuc laicali fermè per triennium conversatus est, in lege Domini meditans die ac nocte, & de iis quæ sibi Deus cogitanti atque oranti intellecta revelabat, & præsentes, & absentes sermonibus, ac libris docebat. Hæc in Legenda possidii, & in alia Legenda Famosa. Scripsit enim ibi *libros duos de Genesi contra Manichaeos*. Item, *librum de Musica*, sex libros continentem, quos apud Mediolanum inchoaverat, in quibus, præsertim in sexto, ostendit quomodo à corporalibus & spiritalibus, seu mutabilibus numeris ad immutabiles numeros perveniretur, qui jam in ipsa sunt immutabilitate. Et sic, invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Et qui ista nunc conspicere non possunt, & tamen ex fide Christi vivunt post hanc vitam ipsa certitudinaliter atque fœliciter conspicient: qui autem ea conspicere possunt, & tamen ex fide Christi non vivunt, cum tota sapientia sua in fine peribunt. Per idem etiam tempus ibidem scripsit *librum de Magistro*, continentem dialogum inter se & Filium Adeodatum, qui eodem anno quo venit in Affricam de medio sublatus est. In quo libro ostendit non esse Magistrum aliũ qui docet hominem, nisi Deum. Eodem etiam tempore & loco scripsit *librum de Vera Religione*, in quo ostendit, quod sola religio Christiana, & nulla alia religio est vera. Hæc ipse in libro retractationum.

Reversus ad agros proprios tres annos vixit laicus: multaque ibi edidit volumina.

Possid. c. 3.

L. 1. retract. cap. 11.

L. 1. retract. c. 12. & l. 9. conf. c. 6.

Ibid. c. 13.

Verùm cum lumen tantæ sanctitatis & doctrinæ latere non posset, fama quippe ejus ubique diffundebatur, & in omnibus libris suis, & acti-

Pp

bus admirabilis habebatur. Apud Hypponem Regium erat quidam Vir Christianus magnarum opum, qui ad eum misit, pollicens, quod si illum videre, & verbum ex ore suo audire mereretur, juxta consilium suum relicto sæculo totus ad Dominum converteretur. Quod Augustinus ubi comperit, volens Deo lucrari animam, & nihilominus intendens quærere locum aptum ubi constitueret monasterium, in quo secretus cum fratribus suis posset Deo servire, Hypponem profectus est, & virum prædictum ad contemptum mundi, & amorem Dei, quantum Deus donabat, exhortatus est. Cujus ille præsentia gaudens exhortationem ejus gratanter accepit; sed tamen quod promiserat occulto Dei consilio ad præsens implere distulit. Inane tamen esse non potuit quod per tale vas mundum divina sapientia profudit. Hæc in legenda possidii. Quod autem intentione constituendi monasterium Hypponem perrexerit, expresse ipse idem testatur sermone primo, de communi vita Clericorum, ubi sic dicit: Ego quem, Deo propitio videtis Episcopum vestrum, juvenis veni ad istam civitatem, ut multi vestrum noverunt. Quærebam ubi constituerem monasterium, & viverem cum Fratribus meis: Spem quippe sæculi omnem reliqueram. Et infra: Veni ad istam civitatem propter videndum amicum, quem putabam me posse lucrari Deo, ut vobiscum essem in monasterio. Hæc ipse ibi.

Apud Hypponem Regium de cõversione magnatis sollicitus.

Locum aptũ in Eremo perquirit, ubi Monasterium construat.

Possid. c. 3.

Ser. de commun. vita Cleric.

Itaque apud Hypponem, in Eremo segregata a gentibus, locum aptum ad serviendum Deo inveniens; cum favore & subsidio sancti Valerii Hypponensis Episcopi monasterium ibidem ædificavit, & ibidem fratres Eremitas, quos un-

Opitulante, Valerio Hyppon. Episcopo primum ædificat Monasrium.

dique per nemora conquisivit, una cum amicis & fratribus prius eidem adhærentibus collocavit, & cum eis vivere cœpit secundum Regulam sub Sanctis Apostolis constitutam. Unde ipse in sermone supra allegato ad Presbyteros Hypponenses, sic dicit : Ego, sacerdotes Dei altissimi, ut multi vestrum viderunt & audire potuerunt, veni ad hanc civitatem cum Charissimis meis amicis Evodio, Simplicio, Alipio, Nebridio & Anastasio. Securus denique veni: quia sciebam præsulari Sanctum Senem Valerium, propterea securus accessi, non ut haberem in vos potestatem, sed ut abjectus essem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ; non ut ministrari deberem, sed ministrare. Et pacificè vivere optabam in solitudine, nihilque deliciarum mecum attuli; sed Dei gratia me coadjuvante, favoratus etiam à sancto Sene Episcopo Valerio, Monasterium in Eremo à gentibus segregatum, multo labore fatigatus ædificavi, & cum longiore anxietate Servos Dei per nemora habitantes in unum congregavi, & cum eis pariter vivere cœpi, secundum modum & Regulam sub Sanctis Apostolis constitutam, omnia communiter habentes, & possidentes, viventes in vigiliis & orationibus, ultra id quod explicare possumus. Hæc ipse [illegible]i. Quod autem sanctus Valerius non solum favorem, sed etiam subsidium ad structuram monasterii sibi præstiterit, testatur ipse in alio sermone præallegato. *Vt nobis per litteras*, ubi loquens ad suos in eodem monasterio, sic ait: Vos, inquit, vinea mea electa estis, in medio ecclesiæ paradisi plantata. Ad hanc vineam ego solus Dei virtute vos congregavi, & operarios meos feci, ut laborantes

Eodem ser.

Ser. 11. ad fra. in Erem.

in ea usque in finem fructum recipiatis in tempore suo. Ad hanc vineam vos elegi: ad hanc hæreditatem vos convocavi; licet favoratus a sancto Episcopo Valerio, qui de bonis Episcopatus, ut Monasterium in eremo ædificarem, multa mihi donavit. Non enim satis fuit patrimonium meum vendere, nisi etiam ipse me coadjuvasset. Hæc ipse ibi.

In præfato autem Monasterio ipse Augustinus copiosum numerum Fratrum congregavit, quibus & modum vivendi secundum formam vitæ Apostolorum tradidit, & sic ordinem Eremitarum ipse instituit. Prius enim Eremitæ per diversa nemora disjuncti singulariter, alii sic, alii sic vivebāt, sed nunc per Augustinum ad communem observantiam Regulæ Apostolicæ reducti, sub tanto patre in communi vivere incœperunt. De hoc ipse in eodem sermone jam allegato, sic dicit: Perveni in Affricam pia Matre defuncta, & ædificavi ut videtis, Monasterium in quo nunc sumus in solitudine, à gentibus segregatum. Et placuit Deo centenarium numerum fratrum mihi donare, illuminans corda nostra, non solum sanctissimos patres solitarios imitari, sed etiam in hac solitudine more Apostolorum omnia communiter possidere. Nos servare, & postea docere; & per me vobis præcipere voluit. Sic enim videtis, quod ante me multi fuerunt patres quos sequi, & imitari debemus, non tamen, sicut ego, secundum Apostolicam vitam alios vivere docuerunt. Caput igitur, & principium omnium vestrum me dicere non erubesco. Hæc ipse ibi.

Ordinemque Eremitarum instituit.

Ibid.

Hujus itaque Ordinis Fratrum habitus erat Cuculla nigra cincta Zona Pellicea, id est cor-

nigia, ut ipse refert in præallegato sermone ad Presbyteros Hypponenses. Ubi comparationem faciens inter ipsos Presbyteros Canonicos suos, & Fratres istos in Eremo, sic ait. Etsi vobis grave est & molestum, egredimini foras, pergite ad Fratres meos, & discite ab eis quia mites sunt & humiles corde, pauperes spiritu & filii obedientiæ. Egredimini foras, & qui estis, & qui ipsi sunt considerare vos volo. Nunquid enim & vos tales, sicut & ipsi sunt. O utinam tales essetis, sicut ipsi sunt. Et infra: Vos discursores civitatis, & ipsi visus hominum fugiunt. Vos pellibus cuniculorum, & variorum ornati jam estis, & ipsi ovino habitu, colore nigerrimo, asperrimoque induti sunt. Vos balteis militum mundo apparere desideratis, & ipsi zonis camelorum succincti more Heliæ & Joannis decorati sunt. Hæc ipse ibi. Porro iisdem fratribus idem prior dedit primo scriptas traditiones secundum formam vitæ Apostolicæ compendiosè comprehensas, quas *Margaritas Paradisi* appellat in sermone primo ad fratres eosdem, qui incipit: *Fratres mei, & lætitia cordis mei, & gaudium meum qui estis.* Demum regulam conscripsit, quam ipse *Speculum* appellat, quam & iisdem Fratribus tradidit, ut habetur ex præallegato sermone: *Ut nobis per litteras.*

Ser. ad Presbyt. Hyppon.

Quali veste Augustinus sequacesque eius fuerint induti.

De Augustini regula.

Ser. 1. ad fra. in er.

Ser. 21. ad fra. in er.

Post hæc, cum flagitante Ecclesiastica necessitate providendum esset civitati de Presbytero, Beatus Valerius Hypponensis Episcopus, comperta Augustini fama, eum ad se accersiri fecit. Cumque idem Antistes de providendo & ordinando Presbytero Plebem alloqueretur, & exhortaretur, astante in populo Augustino securo,

& ignaro quid futurum esset (Solebat enim Laïcus ab iis tantum Ecclesiis quæ non haberent Episcopos suam abstinere præsentiam.) Eum ergo tenuerunt, & ut in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerunt, omnibus id uno consensu & desiderio fieri petentibus, magnoque studio & clamore flagitantibus, ubertim eo flente & renitente. Cumque multa & magna vitæ suæ pericula de regimine Ecclesiæ provenire consideraret, flevit. Nonnulli quidem lachrymas ejus superbe interpretantibus & tanquam eum consolantibus & dicentibus, quod locus Presbyterii, licet majori dignus esset, appropinquaret tamen Episcopatui. Tandem flentem & frustra renitentem Beatus Valerius de turba segregavit, & licet invitum Presbyterum ordinavit. Hæc possid.

Invitus sacerdotio initiatur.

Possid. c. 4.

Reverso itaque Augustino ad Monasterium suum. (Non enim sine Monastica disciplina voluit vivere) placuit Sancto Seni Valerio Ordinatori ejus, ipsum cum suis fratribus in Eremo paternè visitare, & eis ad tempus pro devotione commanere. Et tunc cognito proposito Augustini, quod omnino cum fratribus suis nihil habentibus, nihil habens, optabat vivere (Monasterium autem istud in Eremo nimium distabat à plebe, cujus curam ipse jam Presbyter habebat gerere) dedit ei hortum civitati propinquum in quo mox monasterium ædificavit, & in eo de Fratribus prioris Monasterii quosdam secum locavit; colligens nihilominus & alios ejusdem propositi Fratres Clericos servientes, & ibidem Deo pariter & in communi viventes, secundum modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutum. Maximè, ut nemo quicquam proprium in

Alterius Monasterii ædificandi nata occasio.

illa sancta societate haberet, sed eis essent omnia communia, & distribueretur unicuique sicut cuique opus erat, quod jam ipse fecerat, dum de transmarinis ad sua remeasset, ut ait possidonius. Et hæc quæ prædicta sunt, ipsemet in præallegato sermone primo de communi vita clericorum testatur, dicens sic: Apprehensus Presbyter factus sum, & quia hîc disponebam esse cum fratribus in monasterio, cognito instituto & voluntate mea, bonæ memoriæ Senex Valerius dedit mihi hortulum illum in quo nunc est monasterium, & cœpi boni propositi fratres colligere, compares meos nihil habentes, sicut nihil habebam, & imitantes me, ut quomodo ego tenuem paupertatem meam vendidi, & pauperibus erogavi, sic facerent & illi qui mecum esse voluissent, ut de communi viveremus. Hæc ipse ibi. Hoc idem expressius dicit in sermone alio ad Presbyteros Hypponenses, qui incipit: *In omnibus operibus*, ubi loquens de fratribus primi Monasterii, sic ait: Quorum, inquit, fama ad aures Sancti Valerii Episcopi pervenit, & placuit sibi in Eremo nos visitare, & stetit diebus tredecim donans mihi hortum amænitatibus plenum in planitie positum. Et quia à gentibus erat segregatus libenter illum suscepi, ut ædificarem ibi etiam monasterium fratrum quos tales inveneram, quales invenire desideravi. Hæc ipse ibi. Hos quoque fratres idem pater in omni disciplina & observantia regulari instruxit, & nihilominus eos studio sacræ scripturæ erudivit, ut jam non tantum sibi in simplicitate viuerent, sed & aliis prodesse valerent.

Possi. l. c. 5.

Ser. de communi vita cleric.

Ser. Presbi. Hyppon.

Monachos ad studium sacræ scripturæ format, compellit, quò proximis fierent utiliores.

Sanctus autem Valerius ordinator ejus, ut erat

vir pius & timens Deum, exultabat uberius, & Deo gratias agebat suas exauditas à Deo fuisse preces, quas se frequentissimè fudisse narrabat, ut sibi divinitus homo concederetur talis, qui posset verbo Dei & doctrina salutari Ecclesiam Domini ædificare. Cui rei se minus utilem providebat; cum esset natura Græcus, & in Latina lingua & litteris minus doctus: Quocirca Augustino potestatem contulit, ut contra morem Affricanarum Ecclesiarum coram se in Ecclesia prædicaret. De quo cum multi Episcopi ei derogarent; ille sciens illud in Orientalibus Ecclesiis ex more fieri, linguas obtrectantium non curabat, dummodò per eum fieret, quod ipse facere non valebat. Unde accensa & ardens levata super candelabrum lucerna, omnibus qui in domo erant lucebat. Et postmodum discurrente hujusmodi fama, & bono exemplo præcedente, nonnulli Presbyteri, quibus erudita inerat facundia, acceptâ ab Episcopo potestate, cœperunt verbum Dei tractare in populo, & in Episcoporum suorum præsentia. Hæc possid.

Urgente sãcto Valerio Præter morem Affriç. Eccl. præsente Episcopo concionatur.

Possid. c. 5.

Cujus rei gratia Augustinus ordinavit, ut fratres sui de secundo Monasterio per eum in sacra pagina eruditi, quia non tantum distabant à populo ut fratres primi Monasterii, verbum Dei in Ecclesia publicè in populo prædicarent, ac etiam confessiones fidelium audirent, & vita pariter & exemplo Dei populum salubriter ædificarent, prout ipse idem pater testatur in sermone præallegato, qui incipit: *Vt bene nostis fratres*, ubi sic dicit: Et licet fratres nostri collocati in horto S. Valerii Episcopi satis distent ab urbe, eorum tamen fama divinitus divulgata, ordinavi ut Dei verbum populo salubriter prædicarent;

Facultatem prædicandi, fratribus impertit, sub S. Valerii, quod opinandum beneplacito.

Serm. 14 de div.

animæque fidelium, suam vitam & exempla audiendo & videndo, sponte redirent ad illum qui ex nihilo cuncta creavit. Ecce quomodo terram judicant, ligant & soluunt quæ volunt, semper Deo favente. Hæc ipse ibi. Eo tempore in illa Hypponensi Urbe Manichæorum pestilentia multos tam cives, quam Peregrinos infecerat, quos præcipuè illius hæresis Presbiter nomine Fortunatus loquaci versutia seduxerat, qui in eadem urbe conversans magnus apud multos habebatur. Interea multi Hypponensium, tàm Christiani, quam Donatistæ Hæretici Beatum Augustinum adeunt, summopere postulantes, ut prædictum Fortunatum conveniret, & cum eo de lege Dei disputaret. Ille vero paratus omni poscenti se reddere rationem de fide, & spe quæ in ipso erat, potensque exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, quod petebatur, non renuit: sed, & ut ille hoc fieri vellet, siscitatus est. At illi statim ad prædictum Fortunatum accedentes, petunt instanter, ut id non recuset. Ille vero quia apud Carthaginem Sanctum noverat Augustinum, cum adhuc secum eodem errore detineretur, nisus est vitare congressum: sed cogente verecundia, & illorum instantia tandem promisit. Unde, condicto die & loco convenerunt in unum concurrentibus quam plurimis studiosis, turbisque curiosis; apertisque tabulis Notariorum ad excipienda verba singulorum: prima die disputatio est cœpta, & secunda die finita. Erat autem disputationis illius quæstio; unde sit malum? Augustinus enim tenebat, & dicebat; quod malum est exortum in homine ex libero voluntatis arbitrio. Fortunatus autem tenebat; quod natura mali Deo

Publica disputatione Fortunatum Manichæum confutat.

Quale fuerit disputationis argumentum.

est coæterna. In qua disputatione Doctor ille Manichæus, nec Catholicam Augustini assertionem infirmare, nec Manichæorum sectam adminiculo veritatis potuit comprobare; sed deficiens responsione, & digna affectus confusione, veritati volens nolens cessit. Nec tamen catholicus factus est, sed paulò post de civitate confusus, abscessit. Ac sic per Dei servum Augustinum de omnium cordibus, tam præsentium quam absentium ad quos illa pervenit disputatio, ille error ablatus est, & intimata, & confirmata est catholicæ veritatis religio. Hæc Possidonius. Prædictam autem disputationem Augustinus in librum contulit, & plures alios libros eodem tempore Presbyterii sui contra Manichæos, & alios hæreticos scripsit. Libros etiam de *Sermone Domini in monte*, & quàm plures alios edidit, ut dicit in primo libro retractationum. Prædicabat autem Augustinus privatim & publicè, loquens verbum Dei cum omni fiducia, omnem hæreticum destruens, catholicos instruens, infundente ei spiritu Sancto ineffabilem gratiam, mirantibus cunctis disertam ejus facundiam. Cujus famam nominis, non solum Ecclesia Affricana, verùm & Transmarina jam noverat, gaudens quod talem ei Deus lucernam contulerat, cujus verbo, & exemplo illuminari meruerat. Hæc Possid.

Possid. c. 6. Acta hujus disputationis in librum contulit: aliaque divulgat volumina.

L. 1. retract. c. 16. ad fin.

Gratia sermonis celebris ubique Augustinus.

Possid. c. 7.

Cum vero præ cæteris Senex ille Valerius exultaret, cœpit, ut se habet humana fragilitas, formidare, ne suus ille Augustinus Presbyter ab alia quæreretur Ecclesia, & sibi ablatus, in Episcopum eligeretur. Quod utique evenisset, nisi hoc præcognito idem Episcopus illum fecisset absentare, ne quæsitus posset inveniri. Unde ampliore timore

concussus, præsertim cum & corpore esset infirmus, & ætate defessus, egit secretè apud Primatem Episcopum Carthaginensem, allegans infirmitatem sui corporis, ætatisque gravitatem, & obsecrans, ut Augustinus Hypponensi Ecclesiæ Episcopus ordinaretur; qui suæ Cathedræ non tam succederet, quàm sacerdos accederet. Cujus ille piis precibus clementer annuens, rescripto mediante, concessit quod petebat. Demum veniente ad Ecclesiam Hypponensem tunc primate numidiæ, cum Megalio Orilamensi Episcopo, Valerius Antistes, Episcopis qui forte tunc aderant, & Clericis Hypponensibus, ac universæ plebi inopinatam cunctis suam insinuat voluntatem. Omnibus igitur audientibus, gratulantibus, atque id fieri, perficique ingenti desiderio clamantibus, in Episcopum Augustinus electus est. Sed cum hoc Augustinus vivente suo Episcopo omnimode recusaret, compulsus tandem & coactus succubuit, & Episcopalem tam locum, quam ordinem cum beato Valerio suscepit. Quod quidem non debere fieri, postea dixit, & scripsit, cum universalis consilii cognovisset decreta, quæ tunc temporis ei erant incognita; nec quod sibi factum esse doluit, aliis fieri voluit. Factus vero Episcopus quò majore dignitate refulsit, eo majore instantia & auctoritate verbum Dei prædicavit, non in sua tantum civitate, sed ubicunque eum Ecclesiastica necessitas invitavit, vel ad instruendum Catholicos, vel ad destruendum hæreticos. Hæc Possid.

Vivo Valerio Episcopus designatur præter Canones.

Leg. Calamensi: *Possid. c. 8. Vid. & Aug. l. 3. contra petil. c. 16.*

Possid. c. 8. & 9.

Videns autem Beatus Augustinus, quod necesse erat Episcopum assiduam hospitalitatis humanitatem quibusque venientibus sive transeuntibus

Tertium extruit Monasterium, idque in Episcopio.

exhibere, quod in Monasterio Fratrum convenienter fieri non valebat: Voluit in ipsa Episcopali domo Monasterium secum habere Clericorum, ut qui Presbyter in horto cum Fratribus vixerat, in Episcopio nihilominus pauper cum pauperibus Deo regulariter serviret. Hæc in legenda famosa unde etiam ipse in sermone primo de communi vita Clericorum, qui incipit: *Propter quod volui*, sic ait: placuit Deo mihi dicere: sursum ascende; sed adeo timebam Episcopatum, ut quia cœperat jam alicujus momenti inter servos Dei fama mea, in quo loco sciebam non esse Episcopum, ne illò accederem, cavebam. Sed servus contradicere Domino non debet. Et infra: perveni ad Episcopatum, vidi necessitatem habere Episcopum exhibere humanitatem assiduam quibuscunque venientibus, sive transeuntibus, quod si non fecisset Episcopus, inhumanus diceretur. Si autem illa consuetudo in Monasterio permissa esset, indecens esset; & ideo volui habere mecum in domo ista Episcopii meum Monasterium Clericorum. Hæc ipse ibi. In alio quoque sermone ad Presbyteros Hypponenses, qui incipit: *In operibus vestris*, sic ait: Ædificato Monasterio Fratrum in horto, placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, & vocavit me per gratiam suam, mihi dicere: Amice, ascende superius; & sic cum molestia & grandi anxietate factus sum Episcopus. Et qui cum fratribus meis, ut hactenus feceram, semper corpore habitare non poteram, propterea infra domum Episcopi, vos Clericos habere volui, & mox vobiscum secundum formam Apostolicam vivere cœpi. Hæc ipse ibi. Memorata tria Monasteria per eumdem Sanctum

Legenda famosa.
Ser. de comm. vita Cleric. de div. 49.
Clericorum fuit illud Monasteriũ.
Ser. ad Presb. Hyppon.

Patrem constructa, & instructa ipse similiter commemorat in Sermone ad Fratres suos in Eremo. Qui incipit: *Vt bene nostis*, ubi sic dicit: Ut bene nostis Fratres Charissimi, tria Monasteria apud Hypponem Dei gratia merui laudabiliter ad honorem Sanctæ Trinitatis construere. Quorum primum hoc est, in quo jam multis annis modico pabulo contenti alacriter commoramini, bestiis associati, avibus ministrati, ciborumque spernentes delicias, visus hominum fugientes; & ideo non solum ego miser, sed vos sæpe Angelorum estis assueti colloquiis. Aliud quoque Monasterium in horto ædificatum est, quem mihi Sanctus Pater noster Valerius dedit. Et quoniam postquam Episcopus factus sum, nec semper hic vobiscum habitare potui, nec cum Fratribus qui in prædicto Monasterio in horto sunt; propterea intra domum Episcopi mecum habere volui Monasterium Clericorum, & cum eisdem pariter vivere secundum Apostolicam traditionem. Hæc ipse ibi.

Ser. 14. ad fr. in Eremo.

Sanè propter Episcopatus dignitatem se à fratribus Priorum Monasteriorum suorum minime alienavit, sed apud se, eorum aliquos semper esse desideravit; vel saltem, se eis in pristina vita religionis, quantum potuit, conformavit. Unde ipse in sermone ad eosdem fratres, qui incipit: *Vt nobis per litteras*, sic ait: Et ecce postquam Episcopus factus sum, Vitalem, Nicolaum, Stephanum, Dorotheum, Paulum, Jacobum, Cyrillum frequenter rogavi, ut me solum in Episcopatu non dimitterent. Quia licet Episcopus essem, non credebam tamen paupertatem despicere, sed cum Abraham, Isaac, & Jacob inter delicias vivere, &

Ser. 21. ad frat. in Er.

Satagit fratres Eremitas ad se accersere, vixque annuunt, Cœnobium Episcopio præferentes.

veram paupertatem servare optabam, ut de numero eorum essem, de quibus dicit Apostolus; *tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Hos igitur frequenter rogavi, ut venirent, non ut essent rebelles eremo, sed solitariè, & in charitate viventes habitare possemus in placito sancto. Sed ecce noluerunt venire, tanquam de seipsis timentes, ne à sæculo caperentur. Noluerunt venire. Quare noluerunt? Non quia non digni, sed quia non solum pauperes esse voluerunt, sed etiam supra id quod in speculo nostro edidimus, facere voluerunt. De quo nunc summum gaudium habere debemus, quia facere voluerunt, quod Deo, & mihi promiserunt. Et quia solus stare non poteram Episcopus, ideo rogavi Sanctum Senem Valerium, qui mihi jam potestatem prædicandi in populo dederat, ut intra domum Episcopi Monasterium Clericorum constituerem. Et placuit Sancto Episcopo mihi condescendere, & sic cum eisdem in omni paupertate vivere cœpi, non manducans carnes, nisi cum hospites veniunt, sed tantum olera, & legumina absque oleo & butiro, sicut ante vobiscum cum gaudio consueveram. Igitur, Fratres mei, licet me in Cathedra Episcopali videatis, paupertatem mihi charam sponsam tenere congratulor: quia est etiam Christi sponsa, sanctorum possessio, Beatorum gloria, fidelium securitas, Clericorum ornamentum, Monachorum vita, nobilium pulchritudo, divitum magnificentia. Hæc est illa sancta paupertas, quam qui tenet & amat, nulla indigentia laborare potest. Nec mirum, fratres, quia sibi datur omnium dominium possidere. Ipsa est enim sperantibus in se, thesaurus in paupertate,

2. Cor. 6.

Paupertatis laus.

solatium in solitudine, gloria in abjectione, honor in contemptu, umbraculum in omni protectione. Hæc ipse ibi.

Sæpe etiam ipse strepitum sæcularium negociorum fugere volens, ad alterum Monasterium Fratrum in Eremo declinabat, & cum illis aliquibus diebus pro suâ devotione & fratrum exhortatione manebat; ita ut de hoc etiam nonnunquam sui Canonici murmurarent. Unde ipse in sermone ad Presbyteros Hypponenses prællegato, sic ait, loquens Canonicis. Cur, inquit, murmurastis, si in his Paschalibus diebus præsentialiter vobiscum non fui. Placuit enim mihi segregare me à vobis, & pergere ad fratres meos in solitudine, quos, ut dixi, tales inveni, quales invenire desideravi. Cur ergo turbamini? Et infra: Cur de mea absentia dolorem habere ostenditis: facite quæ placita sunt mihi, & tunc vobiscum ero usque ad consummationem sæculi. Decreveram enim cum eisdem rusticanis meis in charitate humiliter habitare usque ad festum sanctæ Ascensionis Domini, nec ad vos redire optabam, quousque vos emendatos esse cognovero. Sed quoniam Fortunatum adversarium ad partes occultè velut lupum pervenisse jam sentio, ideo compulsus, reversus sum ad vos, cupiens illum videre, & cum eo pariter disputare, & illum conculcare Domino auxiliante, qui totis visceribus dissipare conatur, & jugulare filios quos peperi in visceribus charitatis. Hæc ipse ibi. Fratres autem prædicti, sicut de præsentia patris tanti potissimè consolabantur, ita de ejus recessu quam plurimum turbabantur. Unde in sermone de prudentia ad eosdem fratres, sic dicit: supplico vo-

Ad eos, seu ad pacatissimum portum confugiebat frequens, solitudinis, paupertatis, &c. amator ardens.

Ser. ad Presb. Hyppon.

Ser. de prudētia ad frat. in Eremo.

Quanta fuerit consolatio fratrum ex S. Patris præsentia.

bis, Fratres, ut non turbemini de meo recessu, decreveram enim diu inter vos conversari, & vobiscum habitare usque ad festum Ascensionis Dominicæ: Sed quia adversarius noster Fortunatus ad partes pervenit, ideo venire Hypponem omnino compellor, cupiens illum videre, & cum illo pariter disputare. Hæc ipse ibi. Consolabantur nimirum memorati fratres sæpius ab ipso patre, non solùm sua dulci præsentiali conversatione, & sermonum suorum suavi refectione, sed etiam charitativa temporalium provisione. Unde ipse in sermone de oratione ad eosdem Fratres, sic ait: Non tædeat vos orare, quia non familiam regere, sed tantum Deo placere debemus. Et ut bene psallere & orare possitis absque magno corporis impedimento, de bonis Episcopatus Ecclesiæ Hypponensis centum & quadraginta vestimenta cum calceamentis vobis Dilectis Fratribus meis deportari præcepti, ut tempore frigoris, quantùm necesse fuerit unusquisque recipiat, reponentes ea, & custodientes in communi vestiario, cum omni diligentia & charitate: Scientes, quod vera charitas non quærit quæ sua sunt, sed quæ Dei. Hæc ipse ibi.

Ser. de orat. ad Frat. in Eremo.

Eius in eosdem liberalitas: Eremitæ Calceati.

Proficiente igitur Sancti Viri sana & sancta doctrina multi divino afflati spiritu valefacientes sæculo ad monasteria sua confluxerunt, ibique relicta sæculari proprietate, & propria voluntate, sub tali ac tanto Patre & Doctore Deo devotè servierunt: Quorum sancta continentia, paupertas voluntaria, humilis obedientia, longè latèque suavem odorem effudit. Ut de nonnulli Episcopi tantæ sanctitatis æmulatores effecti, multos ex iisdem Monasteriis Fratres sibi donari petierunt,

Eo auctore Monastica vita multum proficit.

runt, sub quorum cura multas Ecclesias ad serviendum Deo commiserunt; ex quibus etiam ferè decem in Episcopos sunt sublimati. Illi verò propositi sui non immemores, & doctrinam salutarem quam à sancto viro acceperant, redolentes, monasteria etiam collectis fratribus instituerunt: è quibus postmodùm multos proficiente eorum religione, & fidelium devotione ad instituenda alia monasteria emancipaverunt, & sic non solum in Affrica, sed & in transmarinis Partibus hujus sanctæ Religionis propositum dilatatum est. *Possid. c. 11.*

Denique Vir iste Sanctus in cultu, gestu & habitu, in sermonibus & moribus talem se exhibuit omnibus, ut ad utilitatem omnium, omnia fieret omnibus. Religiosis quippè honestè maturus, sæcularibus verò maturè jucundus aderat; ut illos in sanctitate cœpta exemplo sui confirmaret, & istos ad sanctitatem congrua hilaritate invitaret. Indisciplinationes quoque & transgressiones suorum regula recta & honesta arguebat, & tolerabat, quantùm decebat, & oportebat; in talibus præcipuè docens, ne cujusquam cor declinaret in verba maligna ad excusandas excusationes in peccatis. Indumenta ejus, & calceamenta, & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum. Plerumque enim sicut nimia vestium pulchritudo; sic arguitur earum nimia turpitudo. At ipse medium tenebat, volens etiam seipsis dare aliis formam vivendi, non materiam detrahendi. Hæc Possid. Unde ipse in sermone de communi vita clericorum, qui incipit: *Charitati vestræ*, Sic ait: nolo quod talia sanctitas vestra, quibus ego quasi de-

Qualis fuerit in cultu, vestitu, victu.

Varii ejus mores.

Possid. c. 25.

Qualia fuerint ejus indumenta.

Possid. c. 22. Ser. 50. de divers.

centius utar: verbi gratia: offeratur mihi Byrrum preciosum. Fortè deceret Episcopum, sed non decet Augustinum, hominem pauperem, de pauperibus natum. Ne fortè dicturi sint homines, quod inveni preciosas vestes, quas non possem in domo patris mei habere. Talem debeo habere, qualem, si non habuerit, fratri meo possim dare. Si quis in eleemosinam dederit, vendo; ut quando vestis non potest esse communis, pretium vestis possit esse commune. Si hoc eum delectat ut habeam ego, det talem de qua non erubescam. Fateor ego vobis, quod de preciosa veste erubesco: Quia non decet hanc admonitionem, non decet hanc professionem, non decet hæc membra, non decet hos canos. Hæc ipse ibi.

Nec nimis abjectis, nec splédidis nimis usus unquam fuit.

Mensa frugali, & parca semper usus est, & inter olera & legumina propter infirmos & hospites plerumque carnes habebat. Semper autem vinum habuit, quo sobrie utebatur, juxta consilium Apostoli ad Timotheum scribentis: *Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere, propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates*. Pauper quippe sibi & parcus, aliis dives & largus habebatur. Sibi jejunans, aliis epulabatur. Ostium ejus viatori patuit; mensa ejus hospitibus servivit. In ipsa autem mensa magis lectionem, vel disputationem, quàm epulationem diligebat. Et contra pestem detractionis hos versus scriptos habebat.

Possid. c. 22.

1. Tim. 5.

Mensa ejus parca, ad quã hospites sẽper adhibuit, detractores nunquam.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
*Hanc mensam * vetitam, noverit esse sibi.*

* MS. indignam corr. ex Possid.

Nam & aliquando cum sibi quidam Familia-

rissimi Coepiscopi ad detractionem linguam laxassent, adeo dure eos redarguit, ut diceret; quod nisi desisterent: aut versus illos delerent, aut de mensa recederent. Quod profecto aliquando contigit, ut surgens in cubiculum suum ingrederetur, cum in mensa aliquis plus justo loqueretur. Quadam vice, cum quosdam suos familiares ad prandium invitasset, unus eorum curiosior cæteris coquinam ingressus est, cumque omnia frigida reperisset, reversus ad Augustinum, interrogavit: Quid ciborum pransuris paterfamilias ipse præparasset? Cui Augustinus talium epularum nequaquam curiosus, respondit; & ego vobiscum nescio.

Vasa domus ejus, vel marmorea, vel lignea erant, vel testea, non inopia necessitatis, sed proposito voluntatis; coclearibus tantum argenteis utens. Pauperum semper memor erat, eisque ex iis quæ habere poterat, erogabat. Nam & de vasis dominicis propter pauperes & captivos aliquando jubebat frangi & conflari, & indigentibus dispensari. Cum autem Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc ipsum in populo christiano denuntiabat, se non habere, quod indigentibus erogaret. Consanguineis sic bene fecit, non ut divitias haberent, sed ut aut nihil, aut minus egerent. Hæc Possid. Unde ipse in sermone ad Fratres in Eremo Hypponensi, qui incipit: *Ut nobis per litteras*, sic ait: non debemus habere temporalia ad possidendum, nec ego qui Episcopus sum, habere debeo, nisi tantum ad dispensandum: Quia bona Ecclesiarum patrimonium pauperum sunt. At ego qui Episcopus sum, summe cavere debeo, ne res pauperum quas Hypponensis Ecclesia conserva-

Ejus pauperrima suppellex. *Possid. c. 22.*

In pauperes quanta providentia:

Possid. l. c. 24. Serm. ad fr. in Erem. inc. ut nobis

Sacra vasa jubet conflari, ut indigentibus ferat subsidium

re videtur, divitibus largiantur. Quod bene feci huc usque: nam Consanguineos habeo, & nobiles se dicere non erubescunt, ad me Episcopum veniunt, & aliquando cum minis, aliquando cum blanditiis, dicentes: da nobis aliquid Pater, caro enim tua sumus; & tamen Dei gratia, & vestris orationibus mediantibus, aliquem consanguineum me ditasse non recolo. Chariores eos mihi reputo pauperes, quàm divites: quia habentes victum & vestitum fideles omnes contenti esse debent; maximè nos Clerici, in cujus signum capita tonsa & rasa habere debemus, ne divitiarum capilli occupent mentem servorum Dei. Hæc ipse ibi.

Miracula eius enumerantur: à languoribus, à dæmonibus vexatos liberat.

Pupillos & viduas in tribulatione constitutas postulatus visitabat, eisque supplicibus manus imponens, facta oratione infirmitates eorum sanabat. Acceperat enim donum curationis ab eo qui dixit: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Quadam etiam vice rogatus ut pro quibusdam Energumenis patientibus oraret; ipse eis compatiens, & lachrymas fundens, Deum pro eis oravit, & dæmones ab illis hominibus fugavit. Hæc Possid.

Marc. 7. 18.

Poss. c. 27. & 29.

Ipse etiam in Libro Vigesimo Secundo de Civitate Dei, duo miracula de se, tanquam de quodam alio refert, dicens: Hyppone quamdam Virginem scio, quæ cum oleo se perunxisset, cum pro illa orans Presbyter lachrymas suas instillaret, mox à dæmone fuisse sanatam. In eodem etiam libro, sic ait: Scio etiam Episcopum semel pro adolescente quem non novit, orasse, illumque à dæmonio curavisse. Nullum autem dubium videtur, quin de se loquatur, sed humilitatis causa seipsum non vult nominare.

l. 22. de civ. De.

senibus quoque ætate defessis valde compatiens erat, quos etiam cum quadam veneratione pie supportabat. Unde ipse in sermone ad Fratres in Eremo Hypponensi, de ociositate fugienda, qui incipit: *Apostolus Petrus. Fratres Charissimi*, sic ait: Et si aliqui sunt ex vobis, qui per annos octoginta & amplius sunt sanctissimè in Eremo conversati, jugo sanctæ obedientiæ, paupertatis, & castitatis decorati, jam gaudeant, expectantes beatam spem & adventum Domini. Isti enim, ut videmus, amplius jejuniis & orationibus, & operibus monasterii insistere non possunt: fecerunt enim, dum potuerunt; propterea, Filioli mei, si modo non faciūt ea quæ facere consueverant, non sit vobis molestum. Si quiescunt, non miremini. Si venerentur à me, ut patres, non tristemini, quia ipsi digni sunt. Non enim dolere debetis: quia charitas non cogitat malum, gaudet autem de bono. Ideo volumus, & in Christi nomine ordinamus, ut & ipsi qui centum annorum sunt & amplius, pater noster, sedendo à lectulo, dicant; & diligenter eis sine murmure serviatur, ut & ipsi pro nobis intercedant in cœlis, quorum habitatio jam ibi est. Hæc ipse ibi.

Ser. ad fur de ociosit. fugien.

Piissima constitutione senum infirmitati subvenit.

Denique in his quæ Ecclesia possidebat, implicatus amore non erat. Domum, vel agrum nunquam emere volebat, multas etiam hæreditates sibi dimissas respuebat, eo quod mortuorum filiis propinquis potius ipsa deberi dicebat. Domus curam, omnemque substantiam ad vices valentioribus clericis delegabat, à quibus de perceptis & expensis completo anno rationem audiebat, nunquam clavim hujusmodi distributionum in manu habens, nec se talibus implicationibus im-

Fundationes inofficiosas recusabat.

Temporalibus fugiebat implicari.

plicans, sed in superioribus & spiritalibus suspensus ad dispensanda temporalia aliquando descendebat, non propria ductus voluntate, sed fratrum coactus necessitate. Iis vero pro tempore dispositis, tanquam à spicis & tribulis evocans animum, ad superiora & interiora revocabat mentis intuitum, in lege Domini meditans die ac nocte. Novarum quoque fabricarum studium nunquam habere volebat, devitans in eis implicationem sui animi, quem semper liberum habere volebat ab omni molestia corporali, ut libere vacare posset continuæ meditationi, & assiduæ lectioni. Non tamen illa ædificare volentes prohibebat, nisi forte immoderatè fieri conspexisset.

Possid. c. 24.

Fœminarum nullam unquam intra domum suam passus est conversari, nec etiam Germanam Sororem, ac Fratris sui Filias, quæ Deo pariter serviebant. Dicebat enim, quod etsi de Sorore vel Neptibus nulla mali possit otiri suspicio: tamen quia tales personæ non possunt sine aliis sibi necessariis esse, & ad eas etiam aliæ advenirent, & viri sancti sine aliis clericis & laicis non sint, ex illis possent infirmiores, aut humanis tentationibus commoveri, aut certe malis hominum suspicionibus infamari. Nec unquam cum muliere solus loqui volebat, etiamsi secretum aliquod interesset. Ea propter si fortè aliqua earum, ut ei loqui dignaretur, petebat, nunquam sine Fratribus aut Clericis testibus eam accedere permittebat. Docti ergo viri cautela, magna debet nobis esse instructio. Hæc Possid.

Commendatur eius castitas.

Attendant, tum clerici, tum Monachi.

Poss. c. 26.
Lib. de cohabit. Cleric. & mul.

Ipse enim dixisse legitur in libro de cohabitatione Clericorum & mulierum: Experto crede: Episcopus loquor, coram Deo non mentior: ce-

drus Libani, duces gregum, sub hac peste cecidisse reperi, de quorum casu non magis suspicabar, quam Ambrosii, vel Hyeronimi impudica turpitudine. Quocirca familiaritatem fœminarum sicut venenum fugiendam docuit. Nec minus, ut dicebat, eæ timendæ sunt, quod religiosæ videntur: quia quantò religiosiores videntur, tantò citius alliciunt; & sub prætextu pietatis, latet viscus libidinis. Hæc ipse ibi. Fœminarum etiam monasteria nonnisi urgentibus necessitatibus visitabat. Poss. c. 27.

Tria retulit se à beato Ambrosio didicisse. Primùm, quod uxorem cuiquam nunquam peteret. Secundum, quod militare volentem ad hoc non commendaret. Tertium, quod ad convivia invitatus non iret. Causa primi est, ne si illi inter se non conveniant, sibi maledicant. Et utique satis videtur incongruum, ut Vir Religiosus Professus continentiam, aliquos carnalem invitet ad copulam. Causa secundi est, ne si militantes calumniam exerceant, in eum alii culpam refundant. Causa tertii est, ne temperantiæ modum perdat. Ibid.

Tria didicit à S. Ambrosio, quæ nunquam oblitus, nunquam trangressus est.

Omnia juramenta etiam quæ à nonnullis religiosis frequentantur, & à quibusdam simplicioribus juramenta non putantur, videlicet: *Deus testis est*, *Deus scit*, & cætera hujusmodi summa cura, summaque vigilantia, tanquam pestem exhorruit. Et si quis commensalium suorum in aliquod hujusmodi juramentum laberetur, statutum fuit, ut unam de statutis perderet potionem. Erat enim suis secum commorantibus, & convivantibus numerus poculorum præfixus. Asserebat enim summopere tenendum esse illud Evangelicum: *Sit sermo vester: Est, est: non, non*, ne consuetu- Poss. c. 25. Mat. 5. 37.

Exhorret, & punit juramenta.

dine jurandi, quis laqueum incidat perjurandi.

Quibus moriendi desiderium inerat hos laudabat plurimum.

Laudabat vir sanctus plurimum illos quibus moriendi desiderium inerat; & super hoc exempla trium Episcoporum sæpius recitabat. Beatus enim Ambrosius cum in extremis esset, & rogaretur, ut prolongationem vitæ sibi precibus obtinerent; respondit: *Non sic vixi, ut pudeat me inter vos vivere, nec mori timeo, quoniam bonum habemus dominum.* Quod responsum Augustinus mirabiliter extollebat. De quodã etiam alio Episcopo retulit, quod cum ei diceretur, eum Ecclesiæ multum fore necessarium, & ideo eum adhuc Dominus liberaret, ait: *Si nunquam, bene: si aliquando, quare non modo?* De alio quoque Episcopo, aiebat Cyprianum, quod cum infirmitate gravi laboraret, adhuc sibi sanitatem restitui exoptabat; Juvenis speciosus apparens cum indignatione infremuit, & ait: *Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?*

Trium Episcoporum dicta refert & exempla, Ambrosii, &c.

Possid. c. 27.

Raro intercedebat, ac inter disceptantes amicos judicabat.

Poss. c. 20.

Raro pro aliquo litteris vel verbis intercedere volebat, recolens quemdam Philosophum contemplatione suæ famæ amicis multa non præstitisse, addens: quoniam plerumque potestas quæ petit, premit. Cum autem id faciebat, sic stilum temperabat, ut onerosus non esset, sed mereretur urbanitate dictaminis exaudiri. Volebat potius inter ignotos, quam inter amicos causas audire, dicens: quod inter illos libere poterat cognoscere iniquum; & unum ex iis esset amicum facturus pro quo scilicet justitiam mediante sententiam daret; ex amicis vero esset unum perditurus, scilicet contra quem proferret sententiam.

Poss. c. 19.

Quomodo se habuerit ad hæreticos.

Hæreticos Vir iste Sanctus validissimè confutabat, ita ut ipsi inter se prædicarent; peccatum

non esse interficere Augustinum, quem tanquam lupum occidendum esse dicebant, & occisoribus omnia peccata sua à Deo dimitti indubitanter asserebant. Multas ab eis insidias pertulit, sed Dei providentia ita pugilem suum præservavit; quod nec vi, nec dolo sibi nocere potuerunt. Nam aliquando cum armati in insidiis laterent, & illum de more ad visitandas, instruendas, vel exhortandas Catholicas plebes euntem occidere disponerent, contigit, ut divina dispensatione, sed ductoris hominis errore, recto itinere amisso, vel dimisso, per aliam viam vir sanctus quo tendebat perveniret, & sic præsidio erroris manus illorum evaderet. Quo postea agnito Deo gratias egit, qui quomodo vult, liberat, quos salvare disponit.

Poss. c. 9.

Multas ei struunt insidias, quas divinitus evadit.

Poss. c. 12.

Verumtamen à prædicatione verbi Dei terrore incusso propter hoc non destitit, sed semper, & ubique, cum tempus & locus exigeret, illorum errorem pressit, & oppressit, & pro eis nonnunquam damnatis apud principes intercessit.

Nec earum terrore à prædicatione destitit.

Poss. ibid.

Eodem siquidem tempore multæ & infinitæ hæreses in Affrica pullulabant. Donatistæ namque velut sub professione continentium ambulantes erant in ingenti numero per omnes ferè Affricanas religiones constituti, qui Circumcelliones dicebantur, superba audacia homines, & violenter, & cum armis ad suam sectam trahentes. Manichæi nihilominus versuta calliditate multos seducebant. Pelagianistæ similiter novas hæreses publicè, & per domos disseminare callidè conabantur. Fœlix etiam Hæreticus, Maxentius, Pascentius, Fœlicianus, Faustus, Secundinus, Petilianus, & multi alii hæretici quos enumerare longum, & superfluum esset, doctrinas varias & prophanas in

Multæ ejus tempore hæreses: Manichæi, donatistæ, Pelagiani, &c.

Quarum Fautores cōvertit plurimos, omnes confutavit.

cordibus infirmorum seminabant, cōtra quos omnes præclarissimus Magister Ecclesiæ & veritatis, velut fortissimus Athleta, pro fidei sinceritate scriptis & dictis continuè dimicavit, & eos publica disputatione confutavit. Quorum multi divina inspiratione, & Augustini disputatione & prædicatione ad fidem Catholicam sunt conversi.

A proposito inter concionem digrediens Manichæum fidei adducit.
Poss. c. 15.

Plerumque etiam ei prædicanti accidit, ut digressionem à materia faceret, & tunc dicebat: Hoc Deum ad profectum salutis alicujus ordinasse; sicut in quodam Manichæorum negotiatore patuit, qui in quadam prædicatione Augustini, ubi ipse digressionem faciens, contra hunc errorem prædicaverat, conversus fuit.

Quo animo conciliis, &c. interfuerit.

Poss. à cap. 9. usque ad. 19.

Concilia etiam Episcoporum, & synodos Sacerdotum, colloquia principum, ab iis invitatus, frequentavit, à quibus nunquam sua, sed quæ Jesu Christi sunt, quæsivit, ut scilicet, quod justum erat, confirmaretur, quod injustum discrete corrigeretur. Hæc Possid. Eodem præterea tempore, scilicet Episcopatus sui, multos scripsit libros ad ædificationem fidelium, & roborationem fidei orthodoxæ.

Quos scripserit libros Episcopatus sui tempore:

Ad Simplicianum libri duo.

l. 2. Retract. c. 1.

Primò quidem scripsit *librum ad Simplicianum*: Cum enim Augustinus eruditione Simpliciani, ut supra dictum est, conversus fuisset, & ipse Augustinus ad Affricam remeasset, ipse Simplicianus Mediolanensis Episcopus factus, Beato Ambrosio succedens, audivit famam celeberrimam de Augustini sapientia, & ejus admirabili doctrina, eumque Episcopum esse factum; propter quod ei misit quasdam quæstiones subtiles de sacra Scriptura solvendas. At Augustinus suis quæstionibus respondens, hunc librum *duos libros* continentem, transmisit.

Item scripsit *librum confessionum tredecim libros continentem*; in quibus de malis suis propriis confitetur, & de bonis Deum laudat justum & bonum. Quos quidem Libros fecit, ut excitaret suum intellectum, & inflammaret ad Deum suum affectum. In tantum namque ipsum excitabant & inflammabant, quod non est aliquis ita durus & indevotus, qui non excitetur ad devotionem, & inflammetur ad amorem, si ipsos libros cum attentione legerit. Omnia enim verba in ipsis libris posita sunt ad Dei amorem inflammantia, melle divinæ dulcedinis condita, & devotione suavissima plena.

Tredecim confessionum libri.
L. 2. Retract. c. 4.

Item scripsit *librum de opere Monachorum*. Cum enim in Affrica cœpissent esse multa Monasteria Monachorum, inter eos magna quæstio est exorta. Quidā enim dicebāt, quod propriis manibus operari oportebat, juxta verbum Apostoli dicentis: *Qui non laborat, non manducet*. Et iterum: *nocte & die laborantes fuimus, ne vestrum aliquem gravaremus*. Alii vero è contrariò dicebant, quod ipsi nihil debebant propriis manibus operari; adducentes pro se verbum Evangelii dicentis: *Respicite volatilia cœli, & cætera*. Et iterùm: *Respicite lilia agri*; & in tantùm augebatur ista contentio, ut ex hoc fere tota Ecclesia turbaretur; aliis defendentibus istos; aliis, illos. Propter quod Aurelius Carthaginensis Episcopus rogavit Augustinum, ut super hoc aliquid scriberet, & doceret, & * digereret tàm ipsos Monachos, quam alios. Augustinus ergo de hoc librum composuit, in quo ostendit, quod certis horis, & temporibus orationi est insistendum: ostendit & ibi quantæ necessitatis & utilitatis sit propriis manibus laborare.

L. 2. Retract. c. 21.
Lib. de opere Monachorum.
1. Thes. 2.
Mat. 6. 26.
* An. *digererat?*

L. 2. Retrat. c. 15. Libri 15. de Trinit.

Scripsit præterea *librum de trinitate*, quem Juvenis incœpit, & Senex edidit, libros *quindecim* continentem.

Libri 22. de Civitate Dei.

Item scripsit *de Civitate Dei continentem viginti duos libros.* Cum enim Gothi Romam cœpissent, Pagani & Infideles insultabant Christianis, & Deum verum blasphemaverunt, dicentes; quod postquam Roma à cultu deorum recesserat, & Christum coluerat, semper ab hostibus victa fuit. Unde Augustinus zelo Dei plurimùm exardescens, hunc librum scripsit. In primis quinque libris refellens errorem illorum qui dicunt quod omnia bona, & omnia prospera illis accidunt qui diversos Deos colunt, in aliis quinque refellitur error illorum qui dicunt, quod in hac vita bona & mala nunquam defuerunt, & nunquam deficient, sed variantur diversimodè secundum loca, tempora & personas: In duodecim vero aliis libris sequentibus, adversa prædictorum redarguit, omnes justos in hac vita premi, & impios florere debere. Ubi de duplici civitate, scilicet Hierusalem, & Babilonia, & eorum regibus, ait: Quia Rex Hierusalem Christus, Rex Babilonis Diabolus. Quas duas civitates, ut ibidem dicit, duo amores sibi fabricant. Civitatem diaboli constituit amor sui crescens usque ad contemptum Dei: civitatem vero Dei amor Dei constituit crescens usque ad contemtum sui. Hæc ipse in Secundo Libro Retractationum.

V. l. 2. Retract. per tot. & Poss. in indice. l. vit. c. 18.

Præter hos plures alios & penè *innumerabiles* scripsit *libros*, *Tractatus*, *Epistolas* ad diversas personas, *Homilias*, & *Sermones*: in tanta copia, ut vix aliquis possit sufficere ad legendum, cum Augu-

stinus sufficeret ad scribendum. Multos quidem scripsit adhuc Laicus, multos Religiosus & Presbyter factus, plurimosque Episcopus dictavit. Hæc Possid.

Infinita pene scripsit August.

Cum autem ipse prædictos libros, & tractatus fecisset, voluit relegere omnes, & diligenter examinare; ut, si quæ essent in eis non sanè dicta, ea providè retractaret; si quæ dubia, explanaret; & si quæ obscura, elucidaret; maximè ea, & circa ea quæ scripsit dum adhuc Cathecumenus & Sæcularis esset, sæcularis scientiæ consuetudine adhuc inflatus, sicut ipse in prologo libri retractationum refert. Ut autem ad faciendum hoc majus otiū haberet, maximè quia in duobus Conciliis episcoporum ab omnibus Coepiscopis ipsi Augustino cura de scripturis esset imposita, per aliquot annos ante suum obitum petiit humiliter à Clero & populo, ut per quinque dies in hebdomada liceret sibi assiduè vacare ocio; immo potius litterali inservire negotio, & in reliquos dies exteriorum negotiorum tumultus differre: quod quidem ei concessum extitit, sed cogente necessitate frequentius interruptum fuit. Quapropter, ut adhuc liberius posset vacare studio, attendensque ætate se grandævum, & eum qui ordine naturæ præteriri non potest terminum non longe abesse; & timens, ne post discessum suum aliquis ambitiosus, vel minus idoneus Cathedram Episcopalem acciperet, vel forte in electionis negotio schisma in Ecclesia fieret, consuluit, & consulendo petiit, ut eo vivente Religiosum eligerent Episcopum, qui eo decedente absque dissensione Episcopatum susciperet, eoque vivente ille negotia Ecclesiæ & populi pro eo disponeret, & majora, cum opportu-

Satagit de conscribendis retractationum libris.

Ad id muneris tempus, & succe. orem impetrat à populo, Hypponensique clero.

Ad ejus precem Eradius ejus loco sufficitur omnium suffragio, ac plausu.

num esset suum consilium, ad ipsum referret; sicque factum est, ut ipse quemdam virum religiosum, Eraclium nomine, ad succedendum sibi eligeret, quem ipse Augustinus in scola Christi erudierat, & tam sanctitate, quam scientia imbuerat apprimè. Hujus electioni, tàm clerus, quàm populus consensu unanimi acclamarunt. In quem etiam Augustinus de omnium consensu suarum occupationum sarcinam refudit, ipse vero studio vacavit. Tunc igitur omnes libros suos revidit, relegit, & examinavit, atque ad unguem correxit, & sic *librum retractationum* fecit. Et nihilominus plures libros postmodum conscripsit. Hæc in legenda famosa.

Ita noster cod. non, Eradius.

In eius humeros Episcopale onus refundit, quo morosius scripta sua pervolutet, & retractet liberius.

Fusè de hac electio. Ep. 110. quæ est in edit. Benedict. 213.

Verum aliquantò post tempore, cum Vuandali, adjunctis sibi Alanis, & Gothis totam Africæ Provinciam occupassent, vastantes omnia, nec parcentes sexu, ordini, vel ætati, demum ad Hypponensem Civitatem venerunt, & ipsam manu valida obsederunt. Sub hac tribulatione Augustinus præ cæteris suæ senectutis amarissimam & lugubrem duxit vitam; fueruntque sibi lachrimæ suæ panes die ac nocte, cum videret alios hostili nece extinctos, alios effugatos, Ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, virginesque sacras, & quosque continentes ubique dissipatos, & in iis alios tormentis defecisse, alios in captivitate, perdita animi & corporis integritate ac fide, malo more & duro, hostibus deservire, Hymnos & laudes Dei de Ecclesiis deperiisse, ædificia Ecclesiarum pluribus locis ignibus concremata, solemnia divinorum desiisse, sacramenta divina, vel non quæri, vel quærenti, qui tradat non facile reperiri, ipsosque Ecclesiarum præpositos & Cleri-

De irruptione barbarorum Augustini mœrere, extremoque morbo.

Quanta clade.

eos, qui fortè necem evaserant, rebus omnibus spoliatos atque nudatos egentissimos mendicare, si tamen essent qui eis subvenirent. Inter omnia tamen haec & multa alia mala, cujusdam sapientis sententia se consolabatur, dicentis: *Non est magnus magnum putans, quod cadunt ligna & lapides, & morimur mortales.* Convocatis autem fratribus dixit eis: Ecce rogavi dominum, ut aut nos ab istis periculis eruat, aut patientiam tribuat, aut me de hac vita suscipiat. Et hoc ipsum Coepiscopi, & alii qui aderant per eum exhortati à Domino petiverunt. Et ecce tertium quod petivit, obtinuit, & tertio obsidionis mense febribus laborans lecto decubuit.

Quo aegrotante quidam aeger ad ipsum venit, & ut sibi manum imponeret, & ab infirmitate curaret ipsum instanter rogavit. Cui Augustinus respondit: Quid est hoc, fili, quod loqueris. Putas, si tale quid facere possem, mihi hoc ipsum non facerem? Ille autem instabat asserens sibi in visione dictum esse: Vade ad Augustinum Episcopum, ut tibi manum imponat, & salvus eris. Videns autem Augustinus fidem ejus, facta oratione manum aegroto imponens, infirmus infirmo sanitatem restituit. Intelligens autem Vir Dei dissolutionem sui corporis imminere: quia frequenter praedicaverat non debere Presbiterum & quemlibet quantumcunque laudatum Christianum de hac vita sine luctu & poenitentia egredi, hoc ipse adimplere voluit, & *septem psalmos poenitentiales* quos sibi scribi fecerat, in lectulo suo contra parietem habebat, eosque legebat, & relegebat, & inter legendum ubertim flebat. Et ut Deo vacaret liberius, ac ejus intentio à nullo dis-

Tria Augustini vota. Morte, quod tertium erat, obtinet.

Infirmus, infirmum sanat.

Reliquum vitae tempus poenitentiae concedit.

traheretur, ante decem dies sui obitus nullum ad se ingredi præcepit, nisi vel medicus ingrederetur, vel cibus, vel quodlibet aliud necessarium inferretur. Et per illud tempus assiduè incubuit orationi, & devotioni, ac plorationi. Ad extremam autem horam veniens, scilicet quinto Kal. Septemb. membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, fratrum conventu astante, & exitum ejus cum orationibus domino commendante, Senex & plenus dierum obdormivit in pace.

Mors eius.

Testamentum nullum fecit, quia unde faceret pauper Christi non habuit. Clerum sufficientissimum, & Monasteria tam Virorum quam Fœminarum plena, continentibus reliquit instructa moribus, & ornata libris, quos ipse dictavit: in quibus nobis adhuc vivit, quamvis carne obierit. Vivit quippe Deo, vivit & nobis: quia, & perfectè inhæret Deo, & per scripta sua loquitur nobis, prout quidam poëta eleganter designavit, qui suis, quos moriens relinquebat, in tumulo suo hos versiculos scribere mandavit.

Quæ monumenta reliquerit posteris: non aurum, &c. sed clerum sufficientissimū, Monasteria plurima Bibliothecam.

Vivere post obitum vatem, vis nosse viator,
Quæ legis ecce loquor, vox tuâ nempe mea est.

Ex Possid. à c. 28. ad finē usque libri sui.

Vixit autem in clericatu, vel Episcopatu annis fermè quadraginta: ætatis vero illius an. septuaginta sex. Hæc Possid. Talem igitur Virum & tantum Patrem, ac doctorem omnes venerentur Catholici, & præcipuè Religiosi & Clerici: cum & illius doctrina omnium sit instructio Catholicorum, & illius vita sit forma & norma omnium Religiosorum & Clericorum. Ipse quippe est decus

Vixit ann. 76. at in Episcopatu. ann. 40. De iis vide supputat. in fine.

ctus & forma hujus nostræ professionis, ipse speculum & regula nostræ religionis. Nulli dubium, quin ipse jam receptus in consortium Angelorum, ubi videt principium in splendoribus sanctorum, non immemor est fratrum suorum. Sed quantùm spero, & præsumo de eo, nos sibi subditos reconciliabit Deo, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen. Hæc Possid. & in legenda famosa.

TRACTATUS
DE
TRANSLATIONE PRIMA
SACRI CORPORIS
S. P. AUGUSTINI.

DEfunctus Augustinus in civitate Hypponensi, tertio mense obsidionis ejusdem, quinto Kalendas Septembris à sanctis Episcopis qui præsentes aderant, & fratribus suis ibidem cum luctu & mœrore sepultus est. Sed postmodùm invalescente Gentis Vuandalorum perfidia, Hypponensi civitate per eos capta & devastata, locus in quo Venerabile Corpus Beatissimi Patris Augustini requievit, nefando gentilitatis & idololatriæ ritu prophanatus est. Veruntamen qui vivens tanquam potentissimus veritatis & fidei Catholicæ Atleta blasphemos ubique confuderat, etiam exanimis execrandã infidelitatis spurcitiam, fugiebat.

Anno ergo Dominicæ incarnationis quadringentesimo nonagesimo octavo, tempore Symmachi Papæ & Anastasii Imperatoris, ab obitu ejusdem sancti Patris anno sexagesimo secundo, Trasemundus Rex Vuandalorum filius Genserici, secutus Patris & Hunnerici Fratris sui perfidiam, in Affrica Catholicas Ecclesias clausit, & ducentos viginti Episcopos in Sardiniam exulavit: Quibus beatus Symmachus Papa quotidiana subsidia ministravit. Ea tempestate corpus sanctissimi doctoris Augustini ab Hypponensi civitate sublatum, divino disponente consilio in Sardiniam est translatum, pridie Kal. Martii. Illic verò fere usque ad ducentesimum octogesimum quintum obitus sui annum honorificè jacuit; donec occulto, sed non injusto Dei judicio, eadem quoque civitas prædationi succubuit. Irruentes quippe Saraceni percusserunt eam in ore gladii, & ignorantes Deum, omnia quæ Dei erant, subverterunt. Et quod detestabilius est, ipsa etiam sacra loca omni veneratione obligata, indignè fœdaverunt. Veruntamen cum eadem civitas hostili succumberet excidio, non sustinuit divina providentia ut viri sancti fama obrueretur silentio.

TRACTATUS * ALTER

De secunda ejusdem corporis translatione.

* Ceu melius præcedentis tractatus continuatio.

EO igitur tempore Religiosus Rex Luitbrandus Deo disponente regebat Italiam, qui diligens quæ Dei sunt sanctam summopere vene-

rabatur Ecclesiam. Is nimirum Luitbrandus devotione pulsatus non modica, in honorem Beati Petri Apostoli foras muros civitatis Papiæ Basilicam ædificavit, quam insignem ornatu Regio, *aureum cælum* nominavit. Cui dum sollicitè impenderet studium, audivit quod hostilis impietas Saracenorum Sardiniam depopularetur, & locus venerabilis in quo Beatus Augustinus diu honorificè requieverat, contemptui haberetur. Assumens igitur legatos quos fideles & strenuos judicavit, cum multo auri & argenti pondere eos illo destinavit, orans, & orando impetrans, ut vel prece, vel precio, vel quolibet ingenio sanctum illud corpus de Sardinia tollere, & sibi niterentur afferre. Dicebat enim princeps devotus Ecclesiam suam digno fulgore clarescere, si tanto mereretur thesauro ditescere. Illi vero injunctum fideliter exercentes officium, Sardiniam profecti sunt, & assumpto corpore, dato multo pretio, cum gaudio reversi sunt. Pervenientes autem ad Portum Januensis civitatis, ibidem jactis anchoris aliquantisper quieverunt. Rex autem Luitbrandus cognito quod voti compotes nuncii redirent, nullo stipatus milite, illuc eis lætabundus occurrit, & sanctum illud corpus genu flexo ruens in faciem humiliter adoravit. In cujus præsentia per Beatum Augustinum multa Deus illic miracula operatus est; ut cujus vita extitit mirabilis, post mortem nihilominus appareret laudabilis. Ipse est enim de quo scriptum est: *Quis est hic, & laudabimus eum : fecit enim mirabilia in vita sua.* Eccl. 31. 9. Domum soluta statione navali, sublato Corpore, Rex & sui inde profecti sunt, & venientes in Episcopium Terdonense quemdam vicum regium, qui

mons Savinarius dicitur, ingressi sunt. Quia vero peracto labore diurno sol jam petebat occubitum; & instante vespere dies urgebat ad exitum, deposito corpore ibidem quieverunt, cereisque & lampadibus, hymnis & laudibus totam noctem festivam reddiderunt. Rex moræ impatiens ipso diluculo jussit corpus tolli, sperans juxta solitum sine aliqua difficultate proficisci. Jussu Regis audito, arripuerunt pheretrum bajuli, invenientes rem plenam miraculi; corpus enim illud tantæ gravedinis, tanti inventum est ponderis, ut non solum levari ab illis prioribus, verùm & moveri non posset ab omnibus. Expavescunt & mirantur nocte recens transita quasi culpam contraxerint, quasi tantam psallendo, & laudando offensam meruerint. Tandem Rex divino instinctu commonitus, recolens quod scriptum est: *Date eleemosinam, & omnia munda sunt vobis*, ad placandum Virum sanctum munus obtulit Domino. Si te, pater Augustine, ad locum quem elegi deferri permiseris, hanc villam in qua sumus, & omnia quæ ejus sunt in perpetuum dabo tibi ad usus ministrantium tibi. Mira res. Beatus ille Sanctus, qui juxta scripturam suas manus excussit ab omni munere, hujusmodi placatur munere, corpusque suum, quod ante prorsus erat immobile, audita oratione se reddidit portabile. Enimverò quantum sentio, quantùm affirmare præsumo, non eum muneris temporalis illexit cupiditas, sed devoti Regis spiritalis utilitas, scientem, quod hæc est vera & fructuosa devotio quam firmat operatio Tunc enim fortè sufficere potest devotus affectus, cum facultas non sufficit ut sequatur effectus. Verùm si facultas con-

cedatur operandi, voluntas non est fructuosa, si remanet otiosa. Dato ergo & confirmato, quod Rex Luitbrandus devotè promiserat, sanctum illud corpus omni difficultate remota bajuli sustulerunt; & aggredientes iter optatum, cum gaudio Papiam pariter devenerunt. Præcurrentibus autem nunciis lætitia ineffabili, tota civitas commota est, & utriusque sexus innumera multitudo cum hymnis & laudibus obviam egressa est. Qui laudantes Deum cujus incomprehensibili gratia tantas reliquias suscipere meruerunt, ad Basilicam Regiam revertentes, eas ibidem Quinto Idus Octobris honorificè recondiderunt, sub anno Dominicæ Incarnationis Septingentesimo tertio, Præsidente in Sede Apostolica Gregor. Papa Secundo, & imperante Leone Tertio; Quod quidem festum reconditionis ejusdem sanctissimi corporis ibidem, tam à Canonicis Regularibus, quàm à fratribus Eremitarum ordinis, in eadem Basilica S. Petri in Cœlo Aureo, Deo & eidē Beatissimo Doctori & Ductori ac Institutori utriusq; Ordinis pariter famulantibus, honorificentia condigna peragitur, & usque in hodiernam diem annis singulis solemniter celebratur. Regnante Domino nostro Jesu Christo cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Annotatio temporum Beati Augustini.

DE decursu annorum Beati Augustini diversi diversimode scripserunt. Sed salva veritate, quantum ex dictis propriis constat, sic est tenendum. Tractatus Iordano ascribendus.

Natus quippe fuit idibus Novembris, ut ipse in libro de beata vita testatur. Cum autem reversus domi de Madauris disponeret ire ad studium Carthaginense, fuit sexdecim annorum, ut ipse dicit secundo libro confess. capitulo tertio. Cum verò lecto Hortensio jam flagraret amore sapientiæ, erat decem & novem annorum, ut ipse dicit tertio lib. confess. capitulo decimo. Et anno illo, scilicet decimo septimo ætatis suæ incidit in sectam Manichæorum, ut ipse dicit tertio lib. confes. cap. 6. & 10.

Differunt nō nihil ab ed. cap. sectiones.

Anno suo vigesimo legens Cathegorias Aristotelis, eas ipse intellexit, ut dicit lib. quarto confes. c. 16. In prædicto autem errore permansit usque ad annum suum 28. ut ipse dicit, quarto lib. confess. in principio & sic; per novem ferè annos stetit in illo errore, usque ad adventum Fausti, ut ipse refert quinto lib. conf. c. 6. Et tunc incœpit agere annum vigesimum nonum, ut ipse dicit eodem libro quinto cap. 3. Et ex tunc quia non enodabantur sibi suæ quæstiones per illum Faustum, ut diu speraverat, omnem conatum proficiscendi in illa secta deposuit. Perduravit tamen fluctuans in eodem statu per illum annum & sequentem in parte, donec per prædicationem Ambrosii error ille ab eo fugatus est, ut infra sequitur.

Eodem igitur anno, scilicet vigesimo nono, venit Romam, & inde Mediolanum, ut haberi potest ex quinto libro confessionum, ubi locuturum se dicit de illo anno vigesimo nono, ut ibi capit. tertio. De transitu autem suo Romam dicit eodem lib. cap. 8. & de perventione sua in Mediolanum, dicit eodem lib. cap. decimo tertio.

Anno suo trigesimo per prædicationem Ambrosii conversus est ab errore Manichæorum, ut dicit in fine lib. quinti confess. sed nondum ad fidem Christianam; & hoc patet sexto libro confess. cap. undecimo, ubi dicit se jam tricenarium, & adhuc in eodem luto hæsitantem.

Anno suo trigesimo primo perrexit ad Simplicianum, de quo ipse narrat octavo libro confess. capit. primo. Quod autem hoc fuerit, post annum suum trigesimum completum, patet ex eo quod ipse in sexto libro dixerat se tricenarium, & tunc interposito toto libro septimo, in octavo dicit se perrexisse ad Simplicianum, & post subdit referens de Pontiano, & de compunctione sua quam habuit in horto sub ficu, ut dictum est. Et quoniam hoc factum fuit viginti diebus ante vindemiales ferias, ut ipse dicit lib. 9. confess. cap. sexto, patet quod non potest stare dictum eorum qui dicunt, quod anno illo fuerit baptisatus: quia annus ille terminabatur idibus Novembris, qui fuit dies natalis sui, ut dicit in libro de beata vita, quem librum fecit in rure existens: in quo rure fuit à principio vindemiarum usque ad tempus paschale, ut colligitur ex lib. nono confess. cap. 2. & cap. 6. Anno igitur trigesimo tertio baptisatus est tẽpore Paschali. Nec potest dici quod prius fuerit baptisatus, salvo contextu narrationis suæ in lib. confessionum ut ex dictis patet. (Et hoc etiam expressius habetur ex lib. suo de Academicis, in cujus proœmio sumpto ex lib. Retractat ipse dicit, quod illum librum scripsit nondum baptisatus. Et iste eodem libro de Academicis dicit, quod cum scriberet illum librum erat agens annum trigesimum tertium ætatis suæ. Ex quo in-

Quod parenteli includitur, ad marginem alia manu eaque recentiori scriptũ erat.

fertur, non prius ann. 33. fuisse baptisatum.) Et transierat jam de illo anno, quantum est ab idibus Novembris, usque ad Pascha. Quod autem tempore Paschali baptisatus fuerit, hoc expresse dicit Possid. & potest haberi ex illo quod dicit nono confessionum cap. sexto. Inde ubi tempus advenit, quo me nomen dare oportuit. Tempus enim quo Cathecumeni in Ecclesia nomen dare solebant & baptisari, erat tempus Paschale.

Anno eodem ætatis suæ scilicet trigesimo tertio, Mater sua apud ostia Tyberina defuncta est, ut ipse dicit nono libro confession. cap. undecimo in fine. Ex quibus patet quod dictum illorum stare non potest, qui dicunt eum in trigesimo suo anno fuisse baptizatum: nec aliorum qui dicunt tempore baptismi sui eum fuisse tringinta tantum annorum complete. Prædicta ergo omnia absque scrupulo certissima sunt ex dictis suis propriis.

Ea vero quæ sequuntur, non innituntur autoritate Possidii, & Chronicæ Eusebii. Deinde reversus in Affricam ad agros proprios ibi fermè per triennium cum suis Deo pariter servientibus in ordine adhuc laicali commoratus est, ut dicit Possid. Et in illo termino comprehenditur etiam tempus illud, quo adhuc Laïcus existens construxit monasterium in Eremo apud Hypponem usque ad Presbyteratum. Sic enim oportet dicere, si volumus salvare calculationem Possid. qui dicit eum vixisse in cœlibatu annis ferme quadraginta. Et secundum hoc factus est Clericus & Presbyter anno suo trigesimo sexto.

Stetit autem in Presbyteratu antequam fieret Episcopus per biennium, vel circa, ut colligitur ex Chronica Eusebii, qui inter conversionem

suam per Beatum Ambrosium factam, & Episcopatum, calculat octo annos: quorum tres transegerat Mediolani; & Romæ, & apud Ostia Tyberina usque ad mortem Matris, ut patet ex supradictis. Tres vero alios exegit morans apud agros proprios, eo modò quo dictum est. Restant duo anni in Presbyteratu, quod tempus videtur satis proportionatum, considerata numerositate librorum quos ipse Presbyter se scripsisse fatetur in libro primo Retractationum Et secundum hoc non vixit in Episcopatu nisi annis triginta & octo, Obiit autem Annorum septuaginta sex; ut dicit. Possid. Et idem in Chronica memorata. Et sic intelligendum est quod ait Possid. Vixit, inquit, in Clericatu vel Episcopatu annis fermè quadraginta, ut duo anni referantur ad Presbyteratum, & residui ad Episcopatum. Et sic totum tempus Clericatus sui fuerunt anni quadraginta.

Natus est quippe præclarissimus Doctor August. quantùm colligitur ex Chronica Eusebij, anno Domini 360. Pont. Liberii Papæ, anno quinto. Imperii vero Constantii quondam Constantini Magni Filii anno decimo nono. Conversus fuit idem Doctor Augustinus per Beatum Ambrosium ann. 390 Pontif. Damasi Papæ, anno 22. Imperii vero Theodosii Primi, anno secundo. Factus vero Episcopus fuit anno Domini 398. Pontific. Siricii Papæ anno quarto, Imperii vero Theodosii Primi anno decimo.

Obiit autem idem Sanctissimus Pater anno Domini 436. Pontif. Sixti Papæ tertii anno secundo. Imperii vero Theodosii Junioris anno decimo nono.

Translatio vero corporis sui prima, scilicet de

Hyppone in Sardiniam, facta est anno Domini 498. Pontificatus Symmachi Papæ ann. 4. Imperii vero Anastasii Imperatoris, anno quinto.

Secunda vero translatio, scilicet de Sardinia in Papiam, facta est anno Dom. septingentesimo vigesimo tertio, Pontificatus Gregorii Papæ Secundi ann. septimo, Imperii vero Leonis Tertii Imperatoris ann. quarto.

Aliter calculantur isti ann. Domini, Pontificum & Imperatorum secundum Chronicas aliorum. Sed ego Chronica Eusebii contentus fui ad præsens.

Loquitur Jordanus.

LIbet in fine Opusculi magnifica ejusdem gloriosissimi Patris & Doctoris Eximii laudum subjicere præconia, quæ ex plurimorum Venerandorum atque Præcipuorum Doctorum auctoritatibus, ac nonnullorum Præclarissimorum Virorum dictis & scriptis autenticis sunt congesta.

OBSERVATIO.

CVm ea quæ subjicit S. P. Augustini elogia ex variis collecta, si solam ordinis sedem excipias, ab iis quæ leguntur in fronte Milleloquii Augustiniani à nostro F. Bartholomæo Vrbinate Episcopo digesti, vix differant: Aptius mihi visum est, paucissima recensere, in quibus (ceu aliquid novi) reperire sit. Primum habes apud Vrbinatem; illud vero transumpsi, quo patesceret pluscculis in citationibus leviuscula ex nostro MS. Codice sit posse

emendari. Secundum indicat ex uno eodemque auctore sæpe plurima proferri, ab Vrbinate prætermissa, veluti. Tertium, cæteraque nove accedunt.

Commendatio Augustini.

Alipius in fine libri de Academicis alloquens socios secum cum Augustino disputantes, sic de Augustino concludit: Quid hujus sermonis lepore jucundius, quid sententiarum gravitate perpensius, quid benevolentia promptius, quid doctrina hac peritius videri aut exhiberi * potest? Prorsus nequaquam digne admirari possum, quod tam facetè aspera, tam fortiter desperata, tàm moderatè convicta, tam dilucidè obscura pertractata sunt. Quare jam socii mei expectationem vestram, quâ me ad respondendum provocabatis certiori spe * una mecum ad discendum convertite. Habemus enim ducem, qui nos in ipsa veritatis arcana Deo monstrantè perducat.

Alipius. Cap. vult. lib. 3. contra Acad. Benedict. edit. * Posset. Abest in Bened. * Unâ.

Richardus de sancto Victore in sermone de sancto Augustino. Gaudeamus, fratres, & lætemur in eo qui hodie thesaurum sapientiæ vocavit in cœlum. Gaude & tu, ô sanctissima anima quæ hodie suscepta es ab Angelis, locata cum Archangelis, magnificata à Prophetis, honorata ab Apostolis, Martyribus, & Confessoribus, atque Virginibus paradisi. In quorum omnium laudibus manu & lingua laborasti.

Richardus de S. Victore.

Item in lib. contra hæretic. c. 3. Commemorans de Augustino sic ait: ô palma perseverantiæ ere-

Auctum Augustini ea gemina citagone encomium.

cta generans saluberrimos dactylos! ô Patriarcharum nobilitas, ô Prophetarum perspicacitas, ô Apostolorum simplicitas, ô Martyrum aviditas, ô Confessorum sublimitas, quis dignè poterit te laudare & commendare, meritis extollere, & glorificare præconiis!

Item super Ioannem in prologo: Augustinus virtutum omnium forma & speculum extitit in natura, fuit intelligentiæ pane cibatus, & aqua sapientiæ velut alter Joannes potatus, fuit super omnes doctores velut aquila super aves sublimatus, in tantũ ut in omnem terram exiret sonus ejus.

Calcedonius.

Calcedonius in tractatu de Sacramentis: Sanctus Augustinus virtutum caterva excellentissimè inter sanctos effulsit. Circa sanctæ fidei defensionem, pro qua totus ardebat, sic prævaluit, & profecit, quod contra nequissimorum hæreticorum hostes intrepida mente, ferventique spiritu continuum certamen exerceret.

Non est apud Vrbinat.

S. Basilius alius à Græco.

Sanctus Basilius Episcopus in quodam sermone de Sancto Augustino. Celebraturi sumus hodie, Fratres, Natalem Sancti Augustini, apud quem fuit fons vitæ, & in cujus lumine & splendore tota Ecclesia hodie radiatur. Ecce hodie magnum spectaculum positum est ante oculos mentis nostræ, illius magni Augustini Aurelii, qui vere norma, & spectaculum extitit in natura. Ecce Pater orphanorum, & judex viduarum qui peccatores convertit, & conversis vitam æternam promittit. Ecce Magnificus Augustinus Aurelius doctor, qui pigros hortatur, afflictos consolatur, docuit studiosos, instruxit ignaros, adjuvit dimicantes, liberavit oppressos, fugavit hæreticos, sanavit infirmos, Ecce magnum vas electionis,

Non est apud Vrbinatatẽ.

qui nomen Christi portavit coram regibus, & principibus, & filiis Israël semper prædicando; & fornax charitatis quem nihil separat à charitate Christi. Ecce Aurelius Augustinus margarita cœlestis, arca Noë, & antiquæ legis, sanctitatisque exemplum. Quod si vidissemus, fratres, quanto fervore bonos diligebat, quanta charitate malos reprehendebat, quanto desiderio captivos redimebat. Verè nos dixisse puto. Ecce homo, qui cum Angelis volat, cum Archangelis cantat, cum Seraphim ardet, cum Thronis sedet, cum Virtutibus mirabilia operatur. *Et infra:* Iste est ille Doctor Doctorum qui clericos Apostolica vita ditavit, conjugatos exemplis ornavit, Virgines disciplina sublimavit, viduas eleemosinis & orationibus decoravit, totamque Ecclesiam sua doctrina illuminavit. *Et infra in fine sermonis concludit:* Nos vero, fratres, ad illum preces fundamus, cujus anima Seraphica à sanctis Angelis hodierna die meruit eternaliter sublimari, ut de sua fœlicitate securus, adhuc de filiorum salute sollicitus semper pro ipsis intercedere non desistat. Ad tantam fœlicitatem, fratres, totis visceribus properemus, ut videre possimus regem regum procedentem à patre tanquam sponsum de thalamo suo. Ibi enim, fratres, Angelorum chorus exultat, illic Prophetarum ordo congaudet; illic gloriosus Apostolorum chorus tripudiat; illic Martyrum exercitus candidatus vernat, & rutilat; illic Confessorum fortitudo lætatur; illic virginum & viduarum turba coronatur.

Cunctas Doctores laudes referunt & honores,
Præsulis Aurelii, summi velut Archimagistri. Incerti authoris.

Sic Augustinum, lector, cognosce vocatum;
Hunc dum sacra fides suscepit fonte renatum.

Quod in mense Augusti celebretur Festum S. Augustini.

AVgustus fervet, dat fructus, dat vina nova;
Horrea dat plena, pro cæteris optima grana,
Sic Augustinus dat fidei dogmata sana,
Implens amœnâ doctrina pectora bona.

De Superioribus Opusculis.

BIbliothecam unde ii tractatus prodeant, collectorem, scribam præfixum in fronte codicis sequens edocet testimonium. Quia juxta dictum Sapientis: *Ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant.* Hinc est quod Ego *FRATER IORDANVS de Saxonia dictus de Quedelingberg* inter Scolares Parisienses minimus, quosdam Sermones Beatissimi Patris nostri ac Doctoris Eximii Augustini, cum quibusdam aliis Tractatibus, seu opusculis, vel legendis, de Vita & Gestis ejusdem Sancti Patris, ac suæ piæ Matris Sanctę Monicæ, atque de Translationibus eorumdem, prout ad me fide digna, assertione ac fideli communicatione, undequaque exemplaria devenerunt, quibusdam quidem de Parisius; quibusdam vero de Curia Romana, nonnullis quoque de antiquis & approbatis Monasteriis ad me perductis, in unum volumen collegi, ipsumque ad locum Parisiensem, mare utique copiosum, unde

Eccl. 1. 7.

Nota in advehendis undequaque codicibus operum S. P. Augustini summam diligentissimi viri solertiam.

omnia scientiarum flumina exire dinoscuntur, destinare sategi; quatenus exinde fluat iterum per ordinem universum, obsecrans in visceribus charitatis, ut quicunque Fratrum de Studio Conventus nostri Parisiensis, hunc Librum, in Libraria ejusdem Conventus ad communem utilitatem ponendum pro munusculo charitatis donare decrevi, in eo legerit, vel eum forsitan transcribi fecerit; Oret pro donantis anima, ut Augustini meritis cœli fruatur gaudiis.

Ecce opusculorum exscriptorem novimus & collectorem, Virum sane omni merito conspicuum, quaque vel eo solo nomine plurimi sunt facienda. Forte an eorum, vel saltem alicujus censendus sit auctor? In eam non concedo sententiam, cui disertis, vel ipsemet, adversatur verbis. Quædam tamen loca notis exornare non piguit, ubi visum est expedire, veluti infra, de legenda famosa. *An Vualterius Canonicus Regularis Aroasiensis in Artesia vita S. Matris Monicæ ex variis S. P. Augustini libris excerptæ compositor? Florebat an.* 1160. *Suaderet cum iis opusculis hujusce vitæ in eodem codice compactio. Edita est ab Henschenio ad 4. Maii: suaderet & datus Possid. Canonic. at in Eremitas animus propensior. omnino dissuadet.* Forte *an F. Barth. Urbinas, cujus ad opusculorũ calcem collecta præconiorũ S. P. Aug. sequitur congeries? Dictio tamen virum Urbinate antiquiorem subindigitat. Cæterùm quis ille sit operosius perquirere ferme supervacaneum est, cum in iis tract. præter ordinem vix aliquid Author afferat sui, perpetuo innixus, S. P. Augustini, Possidii, Datii, Legendæ famosæ testimoniis, ut jam demonstrabimus, acceptissimis.* De Possid. vid. *infra.*

Atque vero ne autoritati hujus Legendæ Fa-

mosa quis præscriberet, *Jordanus cavit his verbis*. Sciendum quod LEGENDA FAMOSA appellatur hîc Legenda quædam solemnis & antiqua stilo venusto more veterum compilata à quodam, qui Philippum se nominat, circa finem ejusdem Legendæ, sic dicens: *Eligant alii quòd sua cuique suggerit ambitio; sed, si Philippo daretur optio, mallet sanctam paupertatem, quâ Deus Pontificem ditavit Augustinum, quàm regnum & divitias quibus regem extulit Alexandrum.* Et habetur illa legenda in multis antiquis Monasteriis Canonicorum Regularium, & Premonstratensium.

Quid Legenda Famosa ex eodem cod.

Quod verò Possidii est, ubi de Vita S. P. Augustini agitur, nemo est qui non credat testi, ut aiunt, Attico; secus aliis de eodem Possidio calculum suum ferentibus. Hujuscemet Vitæ historicum noto, cui placuit indivulsum Augustini Discipulum Canonicum creare, quem verius nostræ disciplinæ numerasset Eremitis. Eo quippe tempore quo factus Presbyter Augustinus Monasterium opitulante Valerio construxit, multosque sibi socios ascivit. Vid. serm. 49. de diu. Credere dignum est ex eorum numero fuisse Possidium, *qui se cum Augustino fermè quadraginta annis vixisse profitetur æque familiariter, ac suaviter cap. 31. Vita S. Aug. & prolog.* At nemo *solitarii familiari consuetudine utitur, nisi sit ejusdem ac ipse propositi. Memorati igitur anni complectuntur universim institutum ejus cum Augustino, tum in Monachali habitu, tum in Episcopali officio, in quo succedens Megalio Calamensi circiter ann. 397. Sancto Patri ac Magistro supervixit. Augustino enim sublato, Hyppone capta, cum aliis Dei servis navigio in* Apuliam *appulit, ibique moritur: cujus sacræ Reliquiæ Ludovico Pio Imperatore*

Possidii monachatus Episcopatus.

Sacri corporis translatio.

in

in Germaniam primò, deinde Rhegium Lepidi delata, postremò in agro Mirandulano collocatæ sunt ann. 816. Ejus Festum ex concessione SS. Papæ Clementis decimi ann. 1672. ritu duplici quotannis celebramus. Bulla vero Eremitis eum tribuit, cujus sane oraculum summum pondus apud omnes obtineat, cum effluxerit à Pontifice Sanctissimo juxta & Doctissimo, post examen, ac tria Decreta Sacræ Congregationis Rituum, cui praerant viri in historia, ac S. P. Augustini lectione versatissimi. Unum ex multis nomino Cardinalem de Bona.

Iam vero ad Datium Mediolanensem Episcopum veniamus, cujus auctoritati miramur cur tot Critici reponant; atque, ut alia ejus Chronica non attingam, præsertim ubi Hymni TE DEUM ab Augustino alternis vocibus cum Ambrosio decantati fidem facit. An dolum parit vir sanctus, de eo enim Martyrol. Rom. ad diem 14. Maii, aut ipsemet fraudem passus est Perspicax Historicus hujusce Ecclesiæ Antistes, vicinusque temporum quibus res fuerat celebrata: Vix enim uno plus sæculo ab Augustino distat, cum diem clauserit an. 553. quod latissimè, suoque more doctissime probat dissertatione sua ad quintam synodum c. 6. P. noster Henricus de Noris; reclamantibus tamen, Ripamontio, l. 7. Historia ejusdem Ecclesiæ ad ann. 556. obitum ejus recedente; Bollando & Baronio qui anno superiore vivis exemptum contendunt, immemores litterarum Vigilii hoc anno nonis Februarii, in quibus Datius tanquam superstes connumeratur; Victore Tunnensi (aliis Tunonensi) cujus illud commentum est, ut scribat eum Constantinopolim an. 554. advenisse, Triaque Capitula damnasse, eademque die percussum occubuisse. Atque

ut ad hymnum TE DEUM redeamus, quem ut iterũ sanctissimis doctissimisque viris iidem abjudicent, inelegantis formæ arguunt, ceu vicaria dialogismi colloquia inconcinnè referentem. Enimverò ita est: at alterius esse artis dedeceret, ex tempore, in raptu dictum Canticum prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis: Extatica proferri debuit affectio, non periodica oratio; tripudium cordis, non studium mentis. Eumdem hymnum Augustino simul & Ambrosio vindicant Lancelot. Coriolanus, Rivius & Liturgista; iique asserunt omnes totum esse errori, qui historiæ tam solemni contradixerit, quæ in dypticis Ecclesiæ Mediolanensis legitur, coævis celebratur historicis, veteratis, redivivisque objicitur picturis, traditionibus discitur, divinis firmatur revelationibus, oraculis, miraculis.

Debiti mei jam esset vel etiam in Augustino aliquid expendere; an scilicet ejus suffragari debeamus toties in hac vita sua de seipso testimonio, non quidem ex libris confessionum, aut aliis ejus indubiis operibus deprompto, sed ex quibusdam ad Fratres in Eremo sermonibus, quos tanquam Augustini non admittunt omnes. Pigeret sanè retractare iterum rem sæpissime actam à Præstantissimis, emunctæque naris Viris. P. Carolo Moreau, in Apologetico, P. Lupum speciali dissertat. &c. Propeque diem ad amussim discutiendam per R. P. Congregat. sancti Mauri proximo tomo editionis operum Divi P. Augustini qui statim exibit prælo, nisi opportuna adeo minimeque dissimulanda sese daret occasio, circa ejusmodi Sermonum ad Fratres in Eremo collectionem, & hocce nostro Iordanisque codice nova quæ sequuntur edocere.

Ex propria laude diligentia qua Iordanus testa-

tus est, undecunque quæsitos accersitosque sermones, tractatus, &c. In suo volumine admisisse, eum ejuscemodi sermonum in unum fasciculum eo quem habemus ordine, primum evinco fuisse collectorem. Si enim eo in studio fuisset prævenius, nec fugisset viri vigilantissimi solertiam, nec tantam in pervestigandis diversis hinc inde è remotissimis etiam regionibus, libris qui hujus argumenti rariores Augustini sermones haberent, impendisset curam. Codices qui omnes simul referrent facillimum fuisset comparare, ex instructissimis quibus Gallia abundabat Bibliothecis, præsertim Monachorum, quorum institutum cum ii sermones spectent maximè, iis exemplaribus minimè caruissent. Accedit vel Bartholomæum Vrbinatem paucis annis Iordano superiorem, collectionem eam ignorasse, nullumque alium ante Iordanis tempora ejus meminisse; quin nec priora ejus ævo reperiuntur exemplaria. Porro cum facile sit inventis addere, ut ait proverbium, fasciculique partes nihil sibi cohærentes, alia sede pro libitu suo transmittere; inde factum est, ut adjectis aliis ejusdem propositi multis sermonibus, intumescente collectione, ordo primùm à Iordano servatus à posteris neglectus deinde fuerit, ad quem tamen sæpissime redit, ut ostendemus, partitione principali etiam prætermissa, qua eos sermones distinxerat in tres classes. Prima complectebatur sermones ad fratres Eremitas: secunda, sermones ad Presbyteros Hypponenses: tertia sermones ad populum, quod tibi sequens exponit sistema.

SERMONUM
S. AUGUSTINI
AD FRATRES IN EREMO
Syllabus ex Jordanis de Saxonia Autographo.

S*Ermo primus, de Margaritis Regularis Institut. Inc.* Fratres mei, & lætitia cordis mei. *Alium præfert titulum in edit. Sermonum* 2. 3. 4. *eadem series. At serm.* 5. *qui in ed. Inc.* In omnibus operibus vestris, *in exemplari Iord. est primus ad Presbyteros Hypponenses.* Vid. infra.

In serm. 6. 7. *& sic deinceps ad ser.* 17. *nihil nova observatione dignum est, cum ed. & cod. conveniant. Tamen ser.* 4. *ed.* 15. *ea præfigitur epigraphe :* Contra loquentes sublimia & sapientes hujus mundi. *& ser,* 15. *ed.* 16. de memoratione extremi judicii *insignitur.*

Ser. 18. *ed.* 26. *de murmuratoribus, & pœnis inferni : Inc.* Demorantibus nobis. *Debiliori attramento, atque secunda, quod opinamur, manu, sequens observatio ad calcem paginæ appenditur. Discutit eam sermonis sententiam* : Melius esset non esse, quam cum esse perpetuò affligi. *Eamque cum altera Augustini sic conciliat. Huic dicto repugnare videtur quod idem Augustinus dicit tertio libro de libero arbitrio c.* 11. *ubi sic ait* : Si quis dixerit non esse, quam miserum esse me mallem. Respondebo ; mentiris. *Sed ibi loquitur secundum judicium rationis, quo non esse nullo pacto est eligibile : hic autem loquitur secundum inclinationem appetitus quantùm ad desiderium, vel fugam commodi, vel incommodi. Et ad hunc sensum ipse idem descendit eodem libro*

t.13. ubi loquens de iis qui seipsos interimunt, dicit sic : Cum aliquis credit quod post mortem non est, intolerabilibus tamen molestiis ad cupiditatem mortis impellitur, & decernit, atque arripit mortem. In opinione habet errorem omnimodæ defectionis, in sensu autem naturale desiderium quietis. *Et infra*: omnis itaque appetitus in voluntate mortis, non, ut qui moritur non sit, sed ut quiescat intenditur. *Hæc ibi. Et idem quod dicit hic, dicit & in alio sermone infra de eo quod scriptum est*: Beatus qui post aurum non abiit, *& incipit*: In scripturis divinis legimus: *Qui sermo allegatur in decretis 14. est*(ho. 9. ex 50.)*q. 5*. Si quid invenisti. *In quo sermone dicit sic*: O infœlix anima si te Deus mittat in pœnam, & tantummodò te videre faciem suam non permittat &c. non melius fuisset tibi, non fuisse natum. *Hæc ipse ibi.*

In ser. 19. 20. 21. 22. *Nihil inter MS. & ed. discriminis. At ser 23. de obedientia & superbia. Inc.* Nihil sic Deo placet, fratres charissimi, quemadmodum obedientia: Cham maledictus fuit. *Reperitur. t. 9.*

Expliciunt sermones S. Augustini ad Fratres Eremitas. Ita cod.

CENSURA.

Vis tum de iis sermonibus, supra, tum de sequentibus, brevi dicam, lector, quid sentio: pauci mihi stilum ingeniumque S. Doctoris exhibent: plures mentiuntur: plurimi offendunt.

SERMONES AD PRESBYTEROS Hypponenses.

D*Einde refert codex sermones ad Presbyteros Hypponenses, ea serie, iis verbis.*

Incipit sermo eiusdem ad Presbyteros *Hypponenses*: *Inc.* In omnibus operibus vestris. *Quintus est in serie sermon. ad Fratres in Eremo. Notatur in nostra collectione n. 26. At oscitantia fuit exscriptoris: nihil quippe deest, nullusque distraxit ab ea, vel folium.*

Sermo primus de communi vita Clericorum: *Inc.* Propter quod volui, & rogavi. *Est 49. de diversis, edit. Lovan. & serm. 52. ad fratres in Eremo.*

Sermo secundus de communi vita Clericorum: *Inc.* Charitati vestræ hodie. *Est ser. 50. de diu. & 53. ad Fratres in Eremo.*

Ad huius sermonis finem istæc legitur annotatio eodem scripta calamo, eodemque contextu quo sermones, quamobrem Iordani esse existimo. Sic autem habet... Sicut notatur in decretis. 12. q. 1. Nolo: *Augustinus fecerat tres constitutiones. Prima fuit, quod Clerici non possent habere propria: sed illa male servabatur. Secunda. Et quia plurimi erant transgressores, ideo revocavit eam. Tertio de consensu Clericorum suorum confirmavit primam constitutionem. De prima constitutione sua loquitur in primo sermone de communi vita Clericorum, qui incipit*: Propter quod volui, *usque ad illum locum*: Certe ego sum qui statueram: *Et ibi loquitur de secunda constitutione revocatoria prima, ut 12. q. 1. certè. De tertia loquitur in secundo sermone de communi vita Clericorum, qui incipit*: Charitati vestræ, *ibi*: Ecce dico, audistis: qui habere voluerit proprium. *Vbi mentio fit de omnibus tribus constitutionibus. De prima cum dicit*: Ecce dico, audistis, &c. *De secunda, ibi*: Dixeram enim, & scio me dixisse, &c. *De tertia ibi*: Ita modo quia placuit illis, &c. *Et omnes has tres complectitur Gratianus ibidem, sub*

eodem capitulo, Nolo, *ubi hos duos sermones, qui de communi vita Clericorum intitulantur, accipit pro uno, in quo etiam contextu, ille sermo*, Propter quod volui, *præcedit istum qui incipit :* Charitati vestræ. *Alibi tamen, sicut* 13. *q.* 11. Si quis irascitur, *idem Gratianus allegans illum sermonem :* Propter quod volui, *dicit eum esse sermonem secundum. Ibi vide si placet.* Hæc Jordanus, cui consentit glossa Gratiani, eo loci.

Sequitur sententia S. P. Augustini cum hac epigraphe : Quod non liceat habere proprium : *Ex libro sancti Augustini de vita Clericorum. Et habetur* 12. *q.* 1. Non dicatis. *Iis autem incipit verbis* · Cum hujus nostræ congregationis fratres, *&c.* in ordinis susceptione, *&c.* priori insinuetur. Et sic accipiatur, sicut ipse prior mandaverit, vel voluerit. *Ita legit codex : Gratianus vero sic habet :* Cum, *&c.* Ordinationis, *&c.* insinuetur, & sic suscipiatur, si ipse mandaverit. De quo tamen nihil fiat aliud, nisi quod priori placuerit. *Idem penè legere est in decreto observantia regularis, seu fragmento regula Clericis tradita, de quo infra. Sequitur sermo cui titulus de legendo sacram scripturam : Inc.* scriptum est, Fratres Charissimi, quod Moyses. Tandem succedunt.

Reperitur & in cod. Regularũ, mutato titulo.

SERMONES AD POPULUM.

S*Ermo de Epiphania, & quærendo Christum : Inc.* Audistis Fratres Charissimi, reges. *Est* 43. *ad fratres in Eremo.*

Sermo de charitate & pietate : Inc. Fratres Charissimi non recordor : *est* 44. *ad fratres in Eremo.*

Sermo de eo quod scriptum est : Beatus qui post Eccl. 31. 8.

aurum non abiit, *de inventione reddenda: Inc.* In scripturis divinis. *Est homilia nona in libro 50. homiliarum, seu melius consarcinatio quædam ex ser. 19. de verbis Apostoli, ait censor inter opera S. P. Augustini, qui & ideo omisit.*

Consule ed. *Sermo sancti Augustini de pœnitentia: Inc.* Admoveo fratres in conspectu Dei timori vestro timorem meum, &c. *Est ho. 41. ex lib. 50. homiliarum 22 circiter lineis initio truncata, tamen longe illa mendis exemptior.*

Sermo de jejunio & oratione: Inc. Adversus dęmonum nequitiam. *Est serm. 230. de tempore.*

Ser. de cogitationibus: Inc. Primum quidem cogitationibus: *finit:* Malarum cõsilia destruentes. Amen.

Hactenus sermonum collectio: tum sequentes succedunt tractatus, in quibus perlustrandis paulisper hareamus.

DEcretum observantiæ Regularis sancti Augustini Episc. *In edit. Benedictin. ad tomi primi appendicem, pag. 39. reperitur sub hoc titulo, cui tamen nostrum merito praferimus:* Regulæ Clericis traditæ fragmentum (*consule nos supra*) *cœterum iis locis ex nostro codice reformandum.*

A. fol. 39. qui in unum esse videntur. *Cod.* quę in unum esse videtur. Sibi tollat, & crucem suam. *Cod.* collat crucem, *&c. B.* quid editis, aut quid vestiemini. *Cod.* quid edatis, aut quo tegamini, *&c.* adjicientur. *ed.* apponentur.

Ibid. In Monasterio fuerunt, sive etiam quæ secum aliquando attulerat. *Cod.* fuerint, sive ea quæ aliunde attulerat.

Palmariæ correctiones. *Fol.* 40. B. Impossibile sit fratribus in unum fugam petere. *Cod.* impossibile sit fratribus in

unum manere, sed necesse sit fugam petere.

Ibid. Contra dictum Apostoli agere videtur. *Cod.* contradictor Apostoli esse videtur.

Ibid. Potuerint pervenire. *Cod.* potuerint venire.

In fine: subscribent qui boni esse desiderant. Verum propter illos sunt cauta, id est, scripta. *Cod.* subscribant qui unum esse desiderant. Verumtamen propter illos ista scripta sunt qui in omnibus stabiles esse noscuntur. *Sanior lectio*, qui unum esse desiderant, *initio quippe dixerat*: unum sentire in Domino, *&c.*

Consule codicem Regularum, Holstenii, & concordiã Aniani.

Tum subtexuit Iordanus Regulam sancti P. Augustini, quam edit. Benedict. Regulam secundam appellat, ipse vero primam: ut pote qui praecedentem solo decreti nomine designauerat. Porro sequentibus locis edit. emendatior est.

Pag. 41. *in append. ad tom.* I. *littera A. Edit.* dicantur Psalmi III. LXII. VI. & LXXXVIII. cum debitis antiphonis, versibus, & responsoriis. Ad primam. *Cod. sic habet*, Psalmi tres, sexagesimus secundus; sexagesimus sextus, octuagesimus. *Differt etiam ea lectio ab Holsteniana*: *at meo in MS. nullus errori locus est, cum ea descripta non sint abbreviationis compendio. Caeterum praetermittit*: cum debitis, *&c. usque*, Ad primam.

Ibid. Ad primam, *&c. cod. sic legit*: *in quo etiam nonnihil discrepat ab Hoblstenio.* Ad primam vero & tertiam primus psalmus ad respondendum dicatur, deinde Antiphonæ duæ, lectio, & completorium: simili modo sexta & nona. Item ad vesperas, psalmus unus, responsorium, lectio & completorium. Et tempore opportuno post lucernarium omnibus sedentibus legantur lectiones. Post hæc quoque consuetudinarii psalmi ante

somnum dicantur. Nocturnę autem orationes. *&c.*

B. Operentur à mane. *Codex novam habet eo loci sectionem, ceu esset aliud opusculum, cum ea superscriptione* : de opere manuum : *Incip. autem* : Operentur fratres.

Ibid. Apostolicam enim vitam optamus vivere. *Cod.* Apostolica enim vita peroptamus vivere. Nemo cum murmurio, &c.

Pag. 42. A. Præposito suo deferant. *Interserit MS.* reverentiam : præposito suo, *inquit*, reverentiam deferant.

Ibid. Aliquid opus fuerit : *cod.* aliquibus.

Ibid. Post orationem tertiæ. *cod.* orationes.

B. Sed contumaci. *cod.* contumaci vero.

Vicina est deinde Regula sancti Patris eo insignita titulo. Regula sancti Augustini, quam speculum appellat. Hæc sunt quæ ut observetis, &c. *Ad cujus finem titulus legitur* : Quid nomine præpositi importetur ex quodam sermone S. Augustini. *Incip. Quamvis omnes* qui præsunt præpositi rite dicantur, &c. *finit* : qui strenuè peragere possint substituantur. *Sequitur elegans satis* Exhortatio sancti Augustini ad fratres. *Sic enim inscribitur. Inc.* Fratres, oportet nos assiduitatem habere legendi, & instantiam orandi, &c. *finit* : Qui nescit tenere moderamina vitæ suæ. *Post habetur Ep. ad sanctimoniales initium, est* 211. *ed. Bened. alias* 109. *eo notata titulo* : Exhortatio S. Augustini ad sanctimoniales sorores. *Inc.* Sicut parata est severitas.

Edidimus infra pag. 653. 654.

Edit. Benedict. reparantur plurima quæ sequuntur.

P. 782. *tom.* 2. *littera B. ed.* Elegi non ut exhiberem faciem meam vobis, &c. *cod.* Elegi non exhibere faciem, sed effundere cor meum Deo

pro vobis, & causam magni periculi vestri agere, ne convertatur in luctum, *&c.*

Littera D. Seditiones, susurrationes. *Addit cod. & quidem optimè*; Elationes, doli malignitates contumeliosæ, superba sapientes, inventrices malorum, suis præsidentibus inobedientes, jussa divina spernentes, & mandatorum superiorum contemnentes non inveniantur in vobis. Non enim sic plantavimus, *&c. Ea namque verba supra:* Ne iterum in contentiones, *exigebant verbum. Paulo post cod. masculinum usurpat*: Qui autem conturbant, *&c.* quicunque: *Ed.* quæ, *&c.* quæcunque.

Littera E. Cogitate quid mali sit, *&c. cod.* cogitate qui manserit ut cum de Deo natis in unitate, *&c. obscurus in edit. ut in MS. sensus: At sequens correctio est fœlicior; crederem de donatistis hic agi, qui supra statim ex nostro cod.* conturbant, *&c.*

Ibid. Mutare præpositam qua, *&c. cod.* mutare præpositam quam in monasterio illo per tam multos annos matrem habuistis, sub cujus obedientia perseverantes vos & numero, & ætate, *&c.*

F. Quæ vos suscepit. *cod.* susciperet.

G. Propter illum quæritis novitatem. *cod.* per illum.

Porro hæc exhortatio desinit ad hæc verba, quæ regulam præcedunt in edit. Sed potius lachrymas Petri pastoris.

Subsequitur aliud fragmentum; De instructione Monachorum, ex quodam sermone sancti Augustini. *Inc.* Heliam & Helizæum filiosque Prophetarum. Edidi. p. 655.

Tandem pervenitur ad opusculum Vita S. P. Au-

gustini impressum supra, atque inde ad tractatus Translationum S. Reliquiarum ejus, vita S. Matris Monicæ, cujus jam memini. Translationis corporis ejus Aroasiam, alterius denique vitæ ejusdem S. Patris, quam doleo capite fuisse præcisam. Incip. tantum ad eam narrationem : Itaque præ cunctis Augustinus eligitur, & Mediolanum destinatur, ubi à præclarissimo Antistite Ambrosio susceptus est, *&c. Caterùm ea quam edi curavimus, longe brevior est, atque in paucis dissimilior.*

In utriusque vita fine iisdem verbis geminæ translationis sacri corporis S. P. refertur historia, quam fusius prosecutus est Petrus Oldradus Mediolanensis Archiepiscopus singulari volumine ad jussionem Caroli Magni à se elaborato, ut ipsemet testatur, an. Salutiferæ Incarnat. Domini septingentesimo nonagesimo sexto. Qui quidem in multis cum authore nostro non convenit. Consule R. P Rivium lib. 4. Vita S. Augustini cap. 12. per tot. qui Oldradi maximam partem retulit, & expendit. Utriusque etiam translationis meminit Baron. in not. ad 28. diem Februarii. Porro præcipuus author primæ translationis fuit S. Fulgentius S. Doctoris insignis discipulus. Hujus diem festum quotannis celebramus die vindecima Octobris: Alterius vero 28. Februar. cujus Beda l. 6. c. 14. de sex ætatibus, mentionem habet, verba ejus noster author pene transumpsit. Refert Ado in Chronic. accidisse ann. 718. Sigebert. 721. Marianus 734. Rivius loco supra laudato Paragrapho sexto. an. 725. Greg. 2. duodecimo. Iam vero ut collectionis B. Iordanis examini finem imponamus ejusque exhauriamus thesaurum, tria quæ re condebat, quorum & mentionem egimus,

ex eodem Autographo subscribamus opuscula, ceu melius fragmenta. Et primum quidem ab Augustini sapientia Monachum profitentis, Monachorumque Patris non omnino judicarem alienum: alterum magis recedit, tametsi pium sit, elegansque satis. De tertio R. P. Carmelitas æqui animi judices rogamus pronuntiare.

EX AUGUSTINO TRIPLEX FRAGMENTUM.

PRIMUM.

Quid nomine præpositi importetur ex quodam sermone S. Augustini.

QUamvis omnes qui præsunt Præpositi rite dicantur, usus tamen obtinuit eos vocari Præpositos qui quondam prioratus curam sub aliis prælatis gerunt. Ii tamen qui juxta hunc morem præpositi vocantur, tales & tam strenuè constituendi sunt, qui & vitæ probabilis sint, & ea quę sibi injuncta sunt fideliter humiliterque expleant. Et pro eo quod aliis prælati sunt nequaquam parvipendant Canonica instituta; sed quantò plus implicantur in fratrum curis, tantò magis studeant cœlestibus obtemperare monimentis. Debent igitur cunctæ congregationi utiles esse, & de ministerio sibi commisso fideliter prodesse. Ea vero quæ fratribus dare debent cum charitate, tempore opportuno incunctanter præbeant, quatenus à Domino fideli administratore gradum bonum acquirant. Oportet igitur Ecclesiæ Prælatos

De præposit. late in concord. Regularum, c. 27.

ut de congregatione commissa tales eligant boni testimonii fratres in quibus onera regiminis secure possint partiri. Quibus etiam talem conferant potestatem, ut vice illorum fungentes, & inobedientes Canonica censura corripere, & obedientes orando ad meliora valeant provocare. Non enim constituendi sunt personaliter, aut eo ordine quo in collegio fratrum admissi sunt, sed secundum meritum, & spiritualium donorum prærogativam. Qui & in Congregatione assidui sint, & fratrum curam pervigili studio gerant. Et sicut alios præcedunt magisterio; ita omnes innocentis vitæ informent exemplo, ut juxta Apostolum exemplo sint cæteris, *in verbo*, *in conversatione*, *in charitate*, *in fide & castitate*, *&c.* Qui etiam superioratus sui causa intumescere cœperint, si crebro admoniti incorrigibiles extiterint, à ministerio propellantur, aliique in loco illorum qui strenuè peragere possint, substituantur.

SECUNDUM.

Exhortatio S. Augustini ad fratres.

Lectioni orationi, manuum labori vacandum.

OPortet nos assiduitatem habere legendi & instantiam orandi: Quia vita viri justi lectione instruitur, oratione, & assiduitate lectionis munitur à peccato, juxta illum qui dicebat. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.* Hæc enim sunt arma, videlicet lectio & oratio quibus diabolus expugnatur. Hæc sunt instrumenta quibus æterna beatitudo acquiritur. Iis armis vitia comprimuntur, iis alimentis virtutes nutriuntur. Sed & si quando à lectione cessatur,

debet manuum operatio subsequi: quia otiositas inimica est animæ. Et antiquus hostis quem ab oratione vacantem invenit, facile ad vitia rapit. Per usum namque lectionis discetis, qualiter, & vos vivatis, & alios doceatis. Per usum orationis, & iis quibus in charitate conjuncti estis prodesse valebitis. Per manuum operationem & corporis macerationem, & vitiis alimenta negabitis, & vestris necessitatibus subvenietis, & habebitis unde necessitatem patientibus porrigatis. Admonendi sunt fratres ut perpendant, quia quidquid à fidelibus datur redemptio peccatorum est; & ideo non glorientur talibus sumptis uti; sed magis timeant quæ in veteri testamento de sacerdotibus dicta sunt, iniquitatem populi eos debere portare. Et ideo cum magno timore super eos solliciti sint quorum donis participantur: quia magnum periculum est judicem fieri vitæ alienæ, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ.

TERTIUM.

De Institutione Monachorum: ex quodam sermone sancti Augustini.

HEliam & Helisæum filiosque Prophetarum quos constat veraciter veteris testamenti Monachos fuisse imitari curate. Melius est cum Helia Carmelum, & filiis Prophetarum ripas Jordanis frequentare, quam cum quibusdam Israëlitis carnalibus Bethel, & Samariam, & Bersabeé civitates inhabitare. Melius est enim cum Helia in deserto subcinericium panem & vas aquæ accipere quam post Monachi professionem delicias de-

siderare carnales. Nullusque vestium ignorat melius esse cum filiis Prophetarum aridis oleribus vesci, quàm cum deliciis giezi varietate lepræ fœdari. Igitur primum veniamus ad Monachum Novi Testamenti Joannem Baptistam, qui propter sanctitatem & munditiam vocatus à Domino Angelus, propter austeritatem potest vocari Monachus, quem nos dicere possumus Angelum terrenum, & hominem cœlestem, qui ab Angelo in spiritu & virtute Heliæ Dominum præcursurus prædicatur. Si vultis scire Joannem ipse est Helias. Hos duos viros magnificos exordium monasteriis prætulisse credimus. Quorum unus, ut legimus, igneo curru est raptus: Alter verò legitur, ante prophetatus quam natus. Quorum exempla fratres charissimi in ordine imitari debetis, ut à recto tramite, à Monastica via nullatenus recedatis. Hos secuti sunt Paulus, & Antonius, & multi alii hujus propositi sectatores.

LECTORI.

QVò parcèremus, suppleremusque aliquantulum labori quibus fama B. Iordani forte necdum adeò innotuit, animusue esset ampliora apud varios autores de excellentissimi viri merito perquirere, placuit pauca quæ commendationem ejus magis faciunt subtexere testimonia. Decet hoc famæ pensum bene merito solvere collectori.

Ambrosius Coriolanus, sive Coranus sacri nostri Ordinis Generalis, in Chronica Ordinis, parte secunda, insigne illud tulit suffragium de sanctitate nostri Iordani, sequuntur

tur, *inquit*, nunc beati qui quamvis multis claruerint miraculis, non tamen adhuc sunt canonisati. Primus fuit beatus Joannes Bonus de Mantua, *&c.* Vigesimus octavus fuit Beatus Jordanus de Saxonia, *&c. Enimverò ea cum divinis habuit commercia, ut visione mirabili recreatus fuerit ann.* 1327. *qua protendebatur corpus S. P. Nostri Augustini esse Ordini Eremiticoredonandum, cujus etiam digiti particulam non sine miraculo obtinuit. Ea à sanctis obtinuit Patrocinia, ut dum in Germania Vicarii Generalis totius Ordinis fungeretur munere, voto nuncupato limina Apostolorum invisendi, ut sopiatur pestis: statim sedatur. Bis à naufragio, semel à latronibus, semel à morsibus canum, indubiis miraculis est liberatus. Lugduni in Gallia gravi morbo correptus S. Martini intercessione sanatur. Pietati summam rebus gerendis peritiam adhibuit. In ordine primas dignitates gessit. Lector Erfordiensis simul cum præposito B. M. Virginis Commissarius in causa cædis Burchardi tertii Archiepiscopi Magdeburgensis, rem omnem felicissime conclusit. An* 1336. *Tangermundam in Diœcesi Brandeburgensi purgat hæresi. Tandem de ejus doctrina sic Iosephus Pamphilus Signinus Episcopus in Chronic. Ordinis.* Iordanus, *inquit*, Saxonicus in Quintelingeburgensi patria natus, ex illo Theologorum numero qui in Germania divinam sapientiam profitebantur princeps agnitus, doctrinæ suę eminentia, non solum suprema in gymnasiis Germanorum obtinuit subsellia, sed & per universam Germaniam ordinis Pręfecturam. Scripsit plures & utiles tractatus, & libros quibus nominis sui memoriam posteris reliquit, &c. *Deinde libros ejus enumerat, quorum pene omnium MS. co-*

Jordani pietas.

In rebus gerendis peritia.

Doctrina ejus, & libri.

dices in Parisiacis Bibliotecis vidi, sæpe triplici, quadruplicive geminatos exemplari, tanto fuerunt omnibus doctis semper in pretio. En librorum ejus ex eodem Episcopo Signino Syllabus. Liber qui dicitur, Vitas Patrum, Apologia Ordinis, Vita S. Matris Monicæ. In Apocalypsim B. Joannis De Passione Domini. Sermones de Sanctis. Hoc opus, *inquit*, tanta est exuberans doctrinę fœcunditate, tamque distincto digestum ordine, ut ad sui lectionem omnes, pręsertim divini verbi Concionatores merito provocet, *prosequitur enumerare*, sermones de tempore, quadragesimale, lib. 1. quęstiones varię. *Addunt alii*, tractatum de spiritu libertatis, Commentaria in Reg. S. P. N. Augustini, Tractatum de oratione Dominica. *Obliviscuntur tamen omnes multa singulatim recensere volumina, quæ ex abstrusis Bibliothecarum monumentis eruit. Id unum testatur noster Iacobus Bergomensis l.* 14. *Chronica*, ob multarum Antiquitatum indagationem universo ordini magno in pretio fuisse. *Cui suffragatur Artmanus Schedel in Chronicis magnis de historiis ætatum mundi. Nostri R. P. Herrera, Elsius in Encomiastico Augustiniano,* &c. An *collectiones ex authoribus aliis congestas, propriis Iordani operibus spreverunt accensere? id quidem existimo. Certè tamen nostra (ut de nihil mihi notis sileam) singularem meruisset laudem, nec ejus merito datum est satis eam cum cæteris tumultuariè designasse Quidquid sit, si non laudata saltem designata est, tum eorum Authorum supra, tum maxime ipsiusmet Iordani & nostro qualicunque suffragio; adeo quasi pervicacia percellendus sit judicio, qui sermonum* ad fratres in Eremo, *ex variis Bibliotecis, ubi forte adhuc delites-*

Laudatur seu antiquitatũ indagator diligentissimus.

cerent, B. Iordanum primum fuisse pernegaverit conquisitorem, inventorem, ordinatorem, compactorem, scriptorem. Quibus eam præfixit epigraphen, quam in MS. legit. Idque, ne verum dissimulem, per omnia non probo. Obiit Viennæ Austriæ ann. 1380. B. Henrici de Vrimaria, dum viveret, multum familiaris, Alberti de Padua, &c. Sed de eo articulo, forsan prolixius quàm licebat. Quibus erit tædio, prætereant. Oblitus sum monere, me sectionem capitum quæ erat in codice vitæ S. Augustini non secutum: distinctio quippe inconcinna mihi visa est. Erant & quædam ad marginem, sed eadem manu descripta judicavi.





SUPPLEMENTUM CONCILII BASILEENSIS,

SIUE ORATIO PRÆAMBULA RESPONSIONIBUS DEPUTATORUM S. HUJUS CONCILII AD ARTICULOS BOEMORUM.

Per Dominum Abbatem Cistercienſem; addenda tomo duodecimo Conciliorum Edit. Pariſiaca. 1672. ad pag. 1013.

PRÆFATIO.



Vjus orationis Autor declamatorque fuit Ioannes 38. Ciſtercienſis Abbas. Hic cognomento de Alneto, ex Abbate Vrſicampi 1428. Synodo Baſileenſi 1435. tam pro ſuo ordine, quam nomine Pariſienſis Academiæ adfuit, & inter Patres maximam laudem promeruit: quippe qui Orator ſolus ad Bohemos. à Carlerio, Ioan. de Raguſia, de Palomar, Ænea Silvio multum efferatur. In cauſa fidei cum. 2. Epiſcopis judex deligitur an. 1440. occubuit. Porro huic orationi maximam lucẽ afferent, quæ habentur tomo

duodecimo Conciliorum pag. 442. *& seq. in cōpendiosa narratione hujus synodi actis præfixa, quæ ex Ænea Silvio & M. Ortuvino Gratio describitur*, quomodo Bohemi vocati productique sint ad Basileensem Synodum Oecumenicam, & quid illic egerint. *Inter alia multa pauca hæc excerpsisse sufficiat quæ hujus dicendæ institutum scopumque aperiunt; additis præsertim egregiis ex nostri MS. margine notis, iisque historicis, quarum certus autor me latet, tametsi eum hujus conventus fuisse oratorem, alias dicēdis, suspicer conjecturis*, Ambassiatores, *inquit*, Oratores, &c. Bohemorum quarta die Ianuarii Basileam venerunt. Porro nono die ejusdem mensis cum Synodum accessissent habuit orationem Julianus Cardinalis, de eo quod quidquid uspiam dubiorum est, id autoritate Concilii definiri debeat, *&c.* quæ quidem oratio non omnibus probabatur. Habuit & Roccizanus orationem nomine Bohemorum, diem postulans quo audirentur. Is fuit destinatus decimo sexto hujus mensis. Quo die Joannes Roccizanus pauca præfatus, primum articulum de communione sub utraque specie proponere cœpit usque in tertium diem, semper ante meridiem. Deinde Vvenceslaus Taborita secundum articulum de corrigendis & eliminandis peccatis publicis in medium protulit, per bidui spatium. Post quem Uldaricus Presbyter orphanorum tertium articulum de libera prædicatione Verbi Dei, duobus item diebus propsuit. Postremo Petrus Payne, Anglus, de quarto articulo, qui erat de civili Dominio Clericorum per tres dies differuit. Fecerunt autem copiam suarum disputationum Sacro Concilio in scriptis, & gratias egerunt quod auditi fuissent. Posterio-

Notæ ex Ænea Silvio.

resque tres satis inciviliter in nostros invexerunt, Joannem Vuiclesum, & Joannem Hussum à doctrina laudantes, nihil veriti, Doctores Evangelicos vocare, quos pridem Ecclesia damnârat. Exigebat res ut Bohemis aliquid responderetur. Itaque surgens Joannes de Ragusio, Theologiæ Professor Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis, petiit clara voce in medio congregationis potestatem sibi dari, ut responderet privato nomine ad primum Bohemorum articulum. Assensit Synodus, octoque diebus respondit horis antemeridianis. Antequam autem inciperet respondere, Joannes Abbas Cisterciensis orationem ad Bohemos habuit ut se submitterent determinationi sanctæ matris Ecclesiæ, quam id sacrum concilium repræsentaret, &c. *Iam ad notas ex codice veniamus quarum statim prælusimus mentionem: sic autem habet ad primi folii marginem infimam:* Est sciendum quod in prima die audientiæ Bohemorum Magister Joannes Rochisana habuit propositionem primam in præsentia sacri Concilii Thema illius fuit: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum.* Nam & hic actus infra octaviam Epiphaniæ (*16. mensis Ian. vid. supra*) aut circa, agebatur. ann. Dom. 1433. Post ipsam Magister Petrus Anglicus Ambassiator Bohemorum habuit secundam propositionem cujus thema fuit: *Ortus est sol & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Intellexerunt per solem prædicatorem Joannem Vviclefum, aut Joannem Hus hæreticos in Concilio Constantiensi damnatos, qui miserunt quatuor radios, quatuor, ut dicunt veritates, scilicet quatuor suos articulos, ad quorum notitiam gens Bohemorum congregata est, & in regione sua, sive

Notæ ex codice MS.

cubili collocabuntur. Quod igitur hic dicitur, per solem intelligi ab eis Concilium generale, dicitur ex quadam benignitate. Et revera in ista oratione, (*versiculum sacræ scripturæ nomine orationis, quantum assequor, hîc indigitat.*) Per solem recte ipsum sacrum Concilium intelligitur. *Oratione integre descripta ad ejus finem hæc adhuc appenditur observatio.* Sciendum est quod sacrum Basileense Concilium deputavit quatuor doctores, videlicet Magistros Joannem de Ragusio, Ægidium Carlerii, Henricum Kaltisem, & Joannem de Palomar, primum & tertium Religiosos de Ordine prædicatorum, secundum & quartum seculares, ad respondendum quatuor articulis Bohemorum propositis per quatuor viros Ambassiatores, scilicet per Magistrum Joannem de Rochizana, Dominum Nicolaum de Secta Taboritarum, Dominum Vulricum de secta orphanorum, & Magistrum Petrum Anglicum, ut primus à Concilio Deputatus primo Bohemorum Ambassiatori de primo articulo sic responsurus. Secundus secundo, tertius tertio, & quartus quarto. Veruntamen Concilium retinuit sibi potestatem addendi, diminuendi, interpretandi, corrigendi ac definiendi in præmissis & aliis materiis. *Hactenus notæ jam ad orationem veniamus.*

Vide supra & *Venceslaum Taboritam.*

SAcrosancta Basileensis Synodus in Spiritu sancto legitimè Congregata, quæ in medio tui habes illum natum Regem Judæorum, quem dudum Magi ab oriente venientes adoraverunt fideliter, omnem infaillibiliter potes docere veritatem, quæ specialiter à Domino constituta & electa esse crederis, ut per sanam doctrinam &

Thema oration. Rochisan.

Tt iiij

judicium rectum evellás & destruas errores, & hæreses, per sanctam denique desideratam ac toti mundo summè necessariam omni statui reformationem ædifices, & plantes seminaria virtutum, peneque, heu! derelictas sanctæ conversationis operationes: verba mea, quæso, tuis auribus benignissimis clementer percipe, & patienter intende voci orationis meæ: neque enim à te rem expostulo tibi difficilem, quam vel conveniat tuæ gravitati denegare: pro fide namque Catholica, pro lege Dei nostri, pro justitia, pro omni populorum utilitate loqui mihi animus est. Talibus namque hostiis, juxta modum loquendi Apostoli, promeretur Deus; iis oblectamentis, ni fallor, ne dum hominum, sed etiam Angelorum mulcentur aures, hoc adipe vivit singulariterque saginatur anima

Math. 4. 4. fidelis, dicente salvatore: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.*

Job. 32. 18. & 19. *Plenus sum* quidem *sermonibus*, & sicut beatus Job loquitur, *quasi mustum quod absque spiracula novas laguncula disrumpit, sic coarctat me spiritus uteri mei,* nec dimittere te potero, nisi benedixeris mihi:

Job. 4. 2. *Conceptum* enim *sermonem*, ait ipse Job, *quis poterit continere?*

Thema orat. Petri Anglici. Insuper enim ex ore hic astantium Ambassiatorum incly ti regni Bohemiæ suscepimus Christum, quod jam vvlgatur per

Psal. 103. 23. orbem: *Ortus est sol, congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Sed quænam provenire poterit mundo ex hac consolatione lætitia, si quominus festinanter efficaciterque impleatur quod

* Thema hujus orationis. Ibid. 23. sequitur: **Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperam:*

Eccli. 20. 32. *Thesaurus* enim *invisus*, ait Sapiens, *& scientia abscansa, quæ utilitas in utrisque?* Per solem autem, ni me fallat me-

moriâ, Ambassiatores ipsi sacrum generale Concilium accipiunt, quæ si quidem acceptio tanto commendabilior redditur, quanto inter solis corporalis sacrique Concilii proprietates convenientia invenitur major. Sol quippe, sicut scriptura testatur, omnia illuminat, *Gyrat ad meridiem, & reflectitur ad aquilonem, lustrat universa, & semper in circulos suos revertitur*. Sacrum autem Concilium quid aliud facit, quam suis exhortationibus piissimis orbem universum illuminare, purgare & perficere, gyrat ad meridiem, reflectitur ad aquilonem, & lustrat universa, continuè videlicet ad omnes christianitatis regiones, ut omnes lucrifaciat, solemnes nuncios destinando; illos revocando ab erroribus, istos ad pacem & concordiam reducendo, cunctos, prout prævalet, attrahendo ad salutem, semper tamen in suos circulos revertitur: quia propter agenda extrinseca numquam omittit exire ad opus suum, sanctam videlicet Ecclesiæ reformationem, ipsum opus, Domino largiente, continuaturus usque ad vesperam, id est, usque ad Deo acceptam ejusdem reformationis consummationem. Cum enim, teste scriptura, *homo nascatur ad laborem*: ita ut primus homo qui justitia originali præditus erat, &, secundum multos doctores, in gratia fuerat creatus, in paradisum voluptatis fuerit positus, ut operaretur. Quisnam putabit ob aliud hunc solem exortum esse, nisi quatenus homines sub ipso congregati, ad opus, propter quod vocati sunt, exeant, per hocque totus mundus accipiat benedictionem à Domino & misericordiam à Deo salutari suo? Sanè cum omnium opifex Deus suâ ineffabili providentiâ res creatas non solùm propter esse, sed

Concilium soli comparat.

Eccl. 1. 6.

Iob. 5. 7.

magis propter operari produxerit, dicente salvatore, *ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut ardeat?* Necesse est ut homines, quos Deus inspirat & adjuvat, quamdiu lux orta est eis, ad opus exire non morentur, sicut scriptum est, *quodcumque potest manus tua facere, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia erunt apud inferos quo tu properas.* Nam & beatus Apostolus suum instruens Timotheum, maximè ipsum ad operandum sollicitabat, dicens: *Sollicitè cura teipsum exhibere Christo Deo operarium inconfusibilem verè tractantem verbum veritatis.* Parum quippe est, inquit, gregis mala fugere, inquinamenta hujus mundi devitare, nisi etiam quisquis studeat bonis operibus abundare. Hinc salvator noster quorumdam arguens pigritiam qui volunt & non volunt, post ipsos clamabat: *Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant: Quia qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.* Hæc igitur magnus ille regiusque Propheta David, qui se super senes intelligere gloriabatur solerti mente considerans, plenéque spiritu sancto ipsum docente concipiens ortum solis parum prodesse, nisi ejus lumine irradiati exirent in opus, cum præmisisset: *Ortus est sol: congregati sunt, sed in cubilibus suis collocabuntnr.* Convenienter subjunxit: *exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperã.* Sed jam pulsat animum quæstio, quodnam sit illud opus ad quod Propheta hominẽ sollicitat dicens: *Exibit homo ad opus suum.* Itaque licet plurimæ secundùm utrumque hominem conveniant hominibus operationes; ex ipsis tamen omnibus duas dumtaxat mente considero, de quarum qualibet pro præsentis operis complemento

Luc. 12. 49.
Eccl. 9. 10.
2. Tim. 2. 15.
Psal. 103. 22.
Ibid. 23.
Ibid.

prout ab alto mihi conceditur, satagam breviter aliquid aperire. Duplex igitur opus meæ occurrit considerationi, ad quod per præmissa prophetæ verba homo dici potest rationabiliter excitari. Primum est unitatis & concordiæ vinculo corda fidelium dissociata conjungere. Secundum est salutaris sapientiæ poculo sitibunda fidelium corda reficere. Primum opus per Apostolum omnibus hominibus generaliter injungitur, cum dicitur: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Secundum opus Catholicæ veritatis doctoribus per eundem Apostolum in persona Christi fuisse videtur specialiter impositum, quando eidem Tito dictum est: *In omnibus te prabe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. Verbum sanum & irreprehensibile, ut is qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Ad primum igitur opus exercendum, quod est per unitatis & concordiæ vinculum dissociata fidelium corda conjungere: Tria, ni fallor, homines efficaciter stimulant & impellunt: videlicet, natura, caritas, & humana necessitas. Natura quidem ad procurandam unitatem & concordiam hominem inclinat & impellit: quoniam secundùm imaginationem Boetii in libro de unitate & uno. Tam essentiale & proprium est creaturæ appetere esse unum sicut esse: & ita sicut creaturæ naturaliter diligunt sui esse conservationem, ita naturaliter fugiunt divisionem per quam desinunt esse unum, & quodammodo in plura dividi incipiunt. Quoniam omnium, inquit ipse Boetius, substantiarum motus est ad unum: nihil eorum quæ sunt, appetunt esse multa; sed omnia sicut appetunt esse, ita & unum esse, & hoc

Divisio orationis.

Duplici operi incumbat Concilium. 1. Concordiæ 2. Disciplinæ.

Ephes. 4. 3.

Tit. 2. 7. & 8.

1. Pars: triplex ad ineundam concordiam stimulus.

I. Natura.

provenit : quia omnia egrediuntur & producuntur à Deo, qui est summè unus, ipso dicente; *Audi Israël Dominus Deus tuus Deus unus est.* Et hac ratione forsan moti fuerunt quondam beatus Augustinus, cœterique tam Theologi quam Philosophi tractatores unanimiter ponentes, quod omnia naturaliter pacem appetunt, in hocque suam fortasse fundant imaginationem, Plinius, cæterique antiqui Philosophi de proprietatibus rerum differentes, qui in suis scriptis reliquerunt multas aves multaque animalia bruta ad unitatem & concordiam sic affici, ut si casu ab-invicem fuerint divisa, quietem numquam recipiunt; donec, prout pax & concordia ipsis competere possunt, unitatis & concordiæ vinculo reunita extiterint, & hoc est quod dicit Sapiens : *Omne animal sibi simile diligit.* Et ex hoc patet quod homines ab aliis se dividentes seu divisi, ad ipsorum reconciliationem cum his à quibus divisi sunt non laborantes inclinationem non sequuntur naturalem, sed eidem repugnant, se per hoc inferiores brutis animalibus constituentes. Caritas insuper hominem ad laborandum pro unitate & concordia inclinat & inducit, dicente Beato Gregorio, Caritatis proprium est nutrire concordiam, servare composita, conjungere dissociata, & virtutes cæteras perfectionibus munimine solidare. Hinc clementissimus Deus se Caritatem, & Deum pacis nominat: Quia essentia ipsius est dispersos congregare, divisos unire, & homines adinvicem, & cum se ipsis, secumque reconciliare : propter quod benè determinat Apostolus Corintiis scribens, quod homo si linguis loquatur Angelorum, fidem habeat, omnia bona opera exequatur,

Deut. 6. 4.

Eccl. 13. 19.

II. Charitas.

1. Cor. 13. 1. & 2.

caritatem autem non habeat, nihil est. Et ex his patet, quod homines ab aliis se dividentes, seu divisi ad ipsorum reconciliationem non laborantes, caritatem non habent, neque actus ipsorum ex caritate procedunt, licet interdum habere videantur speciem pietatis. Et inde est quod multi tractatus incœpti pro pace his diebus malis votivum non sortiantur effectum: quia homines caritatem non habent sine qua pax non habetur. Joseph enim, sicut in libro Geneseos legitur, omnia benè dirigebat, & erat vir in cunctis prospere agens. *Gen. 39. 23.* Cur hoc certè: quia Deus erat in eo: nempe cum Deus sit autor pacis, qui sine Deo pacem facere vel habere credit, plane desipit. Demum ad laborandum pro unitate, & concordia fidelium hominem inclinat & inducit humana necessitas: cuilibet enim homini quamdiu peregrinatur à Domino duplex unitas necessaria est. Una videlicet civilis & politica, quâ reguntur & conservantur corpus & bona mundana, sine quibus spiritualia diu continuari non possunt: qua unitate necesse est illos esse unitos qui eodem regimine politico participant, & sub ipso esse volunt, sicut in Esdra scribitur: *Omnis populus congregatus in Ierusalem, erat quasi vir unus.* In hac unitate populi stabilimentum consistit, Res publica cuiuslibet politiæ continuatur, & per ipsam, sicut dicit Salustius, parvæ res crescunt, quemadmodum discordia magnæ dilabuntur. Quantæ autem sit necessitatis, ut homines ad hanc unitatem conservandam laborent ex desolationibus lamentabilibus ad quos miserabiliter reducuntur regna, provinciæ communitates & populi, in quibus talis unitas non viget, longè certius quàm ra-

III. Humana necessitas.

Duplex unitas.

Esd. 3. 1.

I. Politica.

tionibus speculativis potest demonstrari. Quis enim in suo gemitu per singulas noctes stratum suum lacrymis lavare sufficeret in amaritudine animæ suæ recogitans clarissima regna & dominia christianorum ob defectum prædictæ unitatis illi subjacere maledictioni quam dudum salvator prædicat: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur & domus supra domum cadet.*

Luc. 11. 17.

Proinde satis explicare mortalis lingua non sufficit, quanta sit, & erit perpetuis temporibus dignum commendatione hoc sacrum generale Concilium, quod nimia devictum caritate inter alias causas specialiter congregari continuarique voluit pro eorundem regnorum & dominiorum ac totius christianitatis pacificatione. Alia vero unitas homini necessaria est, unitas spiritualis & Ecclesiastica, quam describens Apostolus dicebat: *Vnus Dominus, una fides, unus spiritus, unum baptisma.* Hæc quidem unitas, quousque homini necessaria est, ut extra ipsam nemini sit salus. Ab hac unitate nemo volens in ipsam ingredi secernitur. Per hanc unitatem homo efficitur membrum Christi, suoque corpori mystico incorporatur & tam triumphantis quam militantis Ecclesiæ, si obicem non ponat, suffragiorum recipit participationem. Ad hanc unitatem obtinendam, conservandam, & retinendam tanto ferventius quilibet homo laborare tenetur, quanto minus sine ipsa quisquam, sive spiritualiter, sive temporaliter diu potest subsistere. Sanè cum unitas Ecclesiastica, secundum traditionem Apostoli, sumenda sit & mensuranda per comparationem ad corpus humanum: necesse est, ut sicut membrum à corpore præcisum continuò arescit & in

II. Ecclesiastica & spiritalis.

Ephes. 4. 5.

Obscure.

pulverem revertitur; ita homo, gens, provincia, & communitates & populi, qui, vel quæ ab unitate se dividunt Ecclesiastica, ne dum spiritualiter, sed etiam civiliter tandem redigantur ad nihilum; etiamsi post ipsorum divisionem ad tempus floreant & exaltentur sicut cedrus Libani. Quemadmodum filii Benjamin postquam se divisissent à reliquo populo Israël, ad tempus floruerunt, plurimaque obtinuerunt prælia: sed tandem, sicut Judicum tradit historia, cum rogati ad unitatem fratrum suorum redire non vellent: Sic *à viris usque ad jumenta gladio deleti fuerunt & consumpti, sicque eorum urbes & viculos vorax flamma consumpsit*, ut postmodum *filii Israël pœnitentia ducti dicebant*: *Ablata est una tribus de Israël*. Unde si ab initio sæculi scriptas revolvamus historias, neque unicum reperimus, ante vel post adventum Christi, qui se pertinaciter ab Ecclesia diviserit, in suaque pertinacia permanserit, cui dicenti; *pax & securitas, repentinus non supervenerit interitus*, quemadmodum de Dathan & Abiron, Arrio, Manichæo, Sabellio, ac aliis supra numerum olim multiplicatis hæreticis exemplificari perfacile est. Postquam igitur, reverendissimi patres, misericors & miserator Dominus qui mortem non vult peccatoris, in languores varios quibus ob defectum prædictæ duplicis unitatis populus Christianus pene ad mortem opprimitur, suæ pietatis oculos sic dignatus est dirigere, ut, quasi sæcula aurea Saturniaque regna redierint ad dirigendos pedes nostros in viam universalis unitatis & pacis, hunc solem diebus vestris fecerit oriri, ut jam verbis Apostoli utar, hortamur vos, ne gratiam hanc per-maximam, dum vobis, sed

Iud. 20. 48.

Iud. 21. 6.

1. Thess. 5. 3.

Ad Patres Concilii reflectit.

etiam toti mundo, si boni æmulatores fueritis, sanctam, in vacuum recipiatis; *hora est*, ni fallor, *jam nos de somno surgere.* Jam non est opus ut dormitet vel dormiat qui custodit Israel: *Nox præcessit, dies appropinquavit.* Ortus est sol, vox turturis, id est, vox Ecclesiæ audita est non solum in terra nostra, sed etiam usque ad aures pervenit Bohemorum, qui ad gratissimam ipsius vocis melodiam salubriter excitati & surgentes venerunt ad vos, quærentes, & dicentes: *Ubi est qui natus est Rex Judæorum?* Parati vestris orationibus, vestris informationibus Catholicis, vestrisq; laboribus & studiis, cum inter vos ipse rex fuerit inventus, ipsum vobiscū suppliciter adorare. O mira Dei clementia! O ineffabilis erga nos divinæ bonitatis miseratio! O inæstimabilis dilectio caritatis, quæ mortalibus hominibus simul in unum congregatis vocem tantæ virtutis conferre dignatur, ut ab extremis finibus mundi homines valeat attrahere, attractos sic humiliare sufficiat, ut ultro pacem offerant quam mundus non potest dare. Quod enim apertius, quodve majus habere vel quærere potestis experimentum ejus qui loquitur in vobis Christus, que in medio vestrum residet sicut ipse dudum promisit: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum.* Quid ergo dicemus, viri Patres & Fratres? An non nobis ultra dormiendum, vel vacandum otio, aut retro respiciendum? An non manus in sinum sunt trahendæ ubi tam aperte regiones albescunt ad messem, immo prorsus necesse est, sicut consulit Apostolus, quod *dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maximè autem ad hos domesticos fidei:* Ipsi enim caro nostra

Rom. 13. 11. Ibid. 12. Matth. 2. 2. Matth. 18. 20. Gal. 6. 10.

nostra ipsi fratres nostri sunt. Qua fronte ergo ipsos suo fraudatos desiderio permitteremus, ut per aliam viam reverterentur in regionem suam. Procidamus igitur ante Deum, ploremus coram Domino Deo nostro. Plorent & ipsi nobiscum & in cinere & in cilicio prostrati ante altare incessanter clamemus in cœlum, donec ipsis & nobis misereatur Dominus Deus noster. Vos autem convenio, ô Bohemi, & nunc ad vos sermo meus specialiter dirigitur, utinam ad me vacuus non redditurus, sed ea qua profertur caritate recepturus à vobis. Jam audistis, quod certus sim ante vos non latuisse, quam pro vestra cunctorumque fidelium concordia obligamini diligenter laborare. An nescitis quid de vobis homines sentiunt & loquuntur? Si quidem ferè apud omnes vulgatur proverbium, quod salus christianitatis dependet à vobis & in manibus vestris est. Cur hoc? Quia si cum sacro Concilio perfectam feceritis unionem, de pace & concordia regum & principum, cunctorumque dominorum & populorum christianitatis reconciliatione nullus ambigit: exemplar enim ipsis eritis qualiter se suasque controversias & dubia totaliter debent sacro submittere Concilio quod tam efficaciter direxerit pedes vestros in viam pacis. Cum igitur, ô viri, caractere christiano insigniti evidenter de præmissis possitis habere certitudinem, cum vobis constet per Apostolum, quod *accedentem ad Deum primum oportet credere*; cum quoque sciatis sinceram vos non posse fidei capere veritatem, nisi spiritus sanctus huic Concilio sacro præsidens ipsumque dirigens vos specialiter edoceat & adjuvet. Cur eidem concilio universalem repræsen-

Psal. 94. 6.

Sermonem dirigit ad Boëmos.

Hebr. 11. 6.

Vu

tanti Ecclesiam tamdiu tardatis vos submittere? Cur non attenditis ad petram unde excisi estis, & ad Saram quæ genuit vos? Si filii estis Ecclesiæ, cur matrem vestram non honoratis, cum lactari uberum consolationis ejus non contentamini? Cur non captivatis intellectum vestrum in obsequium fidei communis, articulos vestros, cæteraque omnia quæ putatis obesse fidei judicio & determinationi Ecclesiæ, non submittitis. Si aliquas scripturæ sacræ sanctorumque doctorum habeatis autoritates, ipsasque sic debere intelligi dixeritis, ego autem & alii multi dixerimus sic: dicemus oppositum: quis inter nos & vos æquior judex, quàm Spiritus sanctus huic præsidens concilio poterit constitui? Cui securius cujuscumque causæ decisio quam sacro potest submitti concilio, quod errare non potest, neque quemquam vult aut potest decipere? An non vultis quod ex toto vobis credatur? An non putatis nos legisse Virgilio-centonas & Homero-centonas & fuisse meditatos in lege Domini? Nec tamen petimus quod ex toto nobis credatur, sed satis erit nobis, si videat Dominus & judicet: quoniam profecto quod homini in sua causa totaliter credatur honestas non suadet, justitia non patitur, nec id fieri sapiens requiret. Quid ergo opus est vobis aut nobis disceptationibus aut pugnis uti verborum, cum non venerimus ad Concilium generale magis ad expugnandum bestias Ephesi, quàm ut induamur virtute ex alto. Itaque etiamsi per centum annos disputaverimus finaliter, necesse erit ut vos & nos reverenter & humiliter sacro submittamus colla concilio; Nec unquam, ni fallor, quam per sacrum generale concilium dubia

Conciliorum necessitas, veritas.

per vos proposita felicem sufficientemque declarationem accipient. Quid ergo necesse est vobis aut nobis quasi ambulando in circuitu autoritates adducere, multiplicare rationes, ubi sic paratum habemus Spiritum sanctum ad repente dandum nobis sensum, ut intelligamus scripturas? Ubi enim legitur quod Spiritus sanctus, qui est spiritus disciplinæ & pacis, super discipulos disputantes aut contendentes descenderit? Spiritus sanctus in die Pentecostes invenitur visibiliter descendisse super Apostolos utique non contendentes vel disputantes, sed perseverantes in oratione, tuncque docuit eos omnem veritatem. Sane mysteriorum fidei cognitio non disputatione, sed humilitate acquiritur, sicut scriptum est: *Confiteor tibi, Domine, Pater cœli & terræ: quoniam abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & revelasti ea à parvulis.* Unde raro legitur quod in Conciliis generalibus vel alibi aliquæ materiæ fidem concernentes aliter quàm per homines qui plus in Spiritu sancto quàm in disputationibus confidebant, terminatæ exstiterint. Hinc beati Apostoli de cessatione legalium, aliisque materiis fidelium regimen concernentibus diversa sentientes, cuiquam autoritati seu propriis inniti rationibus nullatenus præsumpserunt: sed quamquam Spiritu sancto essent repleti, suum captivarunt intellectum in obsequium fidei, ac judicio & determinationi Ecclesiæ omnes suas opiniones humiliter submiserunt: profecto sentientes quod quæstiones de fide exortas aliter quam per Ecclesiam sufficienter declarari vel determinare impossibile est. Itaque nihil habet autoritatis quæcumque scriptura, seu doctrina, vel determinatio nisi

S. Spiritus super concordes descendit, non vero super disputantes.

Luc. 10. 21.

Quo spiritu Apostoli Concilia celebrarunt, iis inter fuerunt.

illam solam quam sibi confert Ecclesia, dicente beato Augustino: Evangelio non crederem, nisi me commoveret Ecclesiæ autoritas. Si ergo beati Apostoli se maluerunt sacro submittere generali Concilio, quàm quibuscumque rationibus vel autoritatibus inhærere, cur Apostolos, quos tam constanter asseritis in suis operibus esse imitandos non imitamini, & vestros articulos vestraque dubia examinationi & determinationi sacri Concilii totaliter submittendo vos nobiscum per unitatis & concordiæ vinculum non unitis & conjungitis? O sentiretis quantum gaudium esset angelis Dei, si pariter essemus uniti in vinculo pacis! quanta tristitia dæmonibus qui occasione divisionis vestræ à nobis, heu, tot animas devorarunt precioso Christi sanguine redemptas! quantus denique pavor Turcis, Saracenis & aliis inimicis crucis Christi, qui, prout nostis, occasione divisionis vestræ à nobis longè plus solito cornua levaverunt, infestarunt christianos, parati forsan & dispositi vos & nos de super terram erumpere, si diutius in ea quam, proh dolor! nimis continuavimus, adhuc permansissemus divisione. Si, inquam, hæc sentiretis, quis crederet vos vel ad monumentum dare velle requiem animabus vestris donec ex vobis & nobis esset factum unum ovile, essemusque omnes cor unum & anima una. O, si vestris laboribus piissimis, per mediumque unionis & reconciliationis vestrę nobiscum, illa clarissima Franciæ & Bohemiæ regna antiquo fœdere specialiter conjuncta, & ad recuperandam terram promissionis si pacata unitaque forent; haud dubium sufficienter ad plenam reduci possent concordiam.

Regna Franciæ & Boëmiæ antiquitus fœderata.

Quid Octavianus, Julius Cæsar? quid Carolus Magnus? Quid Augustinus? Quid Hieronymus, Ambrosius, cæterive cujuscumque status vel probitatis nati homines fecisse leguntur, quod ad indelibilem pro vobis & posteris vestris gloriam hujus operis tam gloriosi & necessarii consummatio vos fecisse non probaret? Eia igitur viri caractere christiano insigniti: *Hodie si audieritis vocem Domini nolite obdurare corda vestra*; sed postquam Deus, sol & astra vobis favent, levate capita vestra: quoniam procul dubio, nisi per vos steterit, ecce appropinquat, non solum vestra, sed etiam redemptio nostra. *Ortus est sol, congregati sunt: in cubilibus istis sunt collocati* omnes isti reverendissimi Patres doctissimi Viri. Ad quid? Certe, ad dandum vobiscum scientiam salutis in remissionem peccatorum vestrorum, ad impendendum seipsos pro animabus vestris. Postremò, ad dandum & procurandum vobis pacem & reconciliationem cum Deo, & Angelis, ac omnibus hominibus. Quid amplius desiderare, quidve ultra petere potestis, vel accipere? Quid aliud facere vel præstare potest natus & inventus Rex Judæorum? Iam ergo totum pondus belli vestris humeris imponitur super vos, cum amodo veniet accusatio, nec de cætero vobis ullius excusationis locus patebit: quoniam profecto posse pacificandi vos & totum mundum, vobis suppetit si velle adjaceat. Concedere vobis dignetur altissimus, sic in hac materia exire ad opus vestrum, vestramque operationem taliter ad vesperam, id est, ad finem debitum perducere, quod vos nobiscum, & nos vobiscum in perfecta caritate uniti & radicati sinceram fidei veritatem de-

Psal. 94. 8.

Psal. 103. 22.

Triplex utilitas Concilii Basil.

clarare, ut Deo gratam in capite & in membris facere valeamus universalis Ecclesiæ reformationem; omnibusque poscentibus sibi rationem reddi de his quę docuerimus & fecerimus, pro omni argumento autoritate & ratione secure possimus respondere: Ita *visum est Spiritui sancto, & nobis.* Fides enim non habet meritum cui humana ratio præbet experimentum, & hæc dicta de primo opere sufficiant.

Act. 15. 28.

Hujus orationis pars altera: Concilium secũdum opus.

NUnc superest, Reverendissimi Patres, ac Deo Amabiles Viri, verbum facere brevissimum de secundo opere ad quod Propheta hominem sollicitat dicens: *Exibit homo ad opus suum.* Ad opus, esse prædixi salutaris sapientię poculo sitibunda fidelium corda reficere. Quia scripturæ sacrę laudes descripturus non adveni, cum de ipsa scriptum sit: *Alta profunditas, & quis inveniet eam?* Ipsam proinde supponens esse legem illam de qua dicit Propheta: *Lex Domini immaculata convertens animas testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis.* Paululum, ut arbitror, tetigisse satis erit quod ipsam fidelibus ministrare opus est Doctorum Catholicę veritatis. Licet igitur scriptura sacra in cortice seu superficie plana sit, seque tangi permittat ab omnibus, dicente Hieronymo: sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant: in sensibus tamen eo usque altissimis repleta est mysteriis, ut homines absque speciali dono Dei ipsam tractando vel exponendo tangentes, se vulneratos potius quã sanatos inveniant: Et dum continuasse crediderint, tunc necesse sit ipsos incipere. Hinc beatus Hieronymus illos redarguens qui in

Psal. 103. 23.

Eccles. 7. 25.

Psal. 18. 8.

scripturæ sacræ littera, quæ, dicente Apostolo, occidit, nimis se fundant & arestant dicere solebatis; Non putamus in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermone, sed in radice. Propter quod etiam Venerabilis Hugo de Sancto Victore modum tradens perveniendi ad salubrem ipsius scripturæ sacræ intelligentiam & expositionem dicebat: Ad scripturæ sacræ cognitionem opus est intima compunctione potius quàm profunda investigatione, suspiriis quàm argumentis, crebris gemitibus quàm copiosis argumentationibus, lacrymis quàm sententiis, oratione quam lectione, gratia lacrymarum quàm scientia litterarum. Ipsi etenim scripturæ sacræ sensus spirituales & mystici quibusdam corporalibus teguntur velaminibus, absque quibus, secundùm beatum Dionysium, divinum lumen nobis lucere non potest, & ita cum hujusmodi sensus naturæ facultatem excedant, necesse est ut qui eos attingere voluerint, supra naturam eleventur, omnemque interim humanam rationem & scientias naturales captivent in obsequium fidei, nec se quicquàm prorsus scire arbitrentur, nisi Dominum nostrum Jesum Christum, & hunc crucifixum. Cum enim in scripturarum sanctarum expositione homo sensui proprio innitens ascendit ad cor altum, tunc exaltatur Deus; sicque frequenter verificatur quod scriptum est. *Scrutator majestatis opprimitur à gloria*. Hujus autem scripturæ sacræ proprietates allegans beatus Augustinus, ipsam vocat scientiam qua fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur & roboratur, cujusque autoritas vi inge-

Quid conducat ad sacræ scripturæ intelligentiam.

1. Cor. 3. 1. & 2.

nii humani & perſpicacitate major eſt. Hac ſcientia tanquam ſpirituali cibo mentes reficiuntur fidelium, dicente Gregorio: ſcriptura ſacra aliquando nobis cibus eſt, aliquando potus: cibus eſt in locis obſcurioribus, & quaſi exponendo frangitur & manducando glutitur; potus vero eſt in locis apertioribus: quia ita abſorbetur ſicut invenitur. Hujus autem cibi potuſque ſpiritalis miniſtratio propterea non omnibus, ſed ſolis hominibus in catholicis veritatibus eruditis & exercitatis ſuumque intellectum in obſequium fidei captivantibus rationabiliter committitur: quia cum, teſte beato Hieronymo, ex verbis inordinatè prolatis fiat hæreſis, periculoſum nimis foret ſcripturam ſacram ab aliis præter quam ab hujuſmodi eruditis exponi, applicari ſeu miniſtrari. Nempe ſicut cibus corporalis ex ſe bonus frequenter nocet, ſi ei cui non eſt conveniens, vel aliter quam fieri debet miniſtretur: 2. Tim. 3. 16. ita *Scriptura ſacra*, licet, ſecundùm Apoſtolum ſit *utilis ad docendum, ad arguendum ad corripiendum* ad erudiendum, ſi tamen modis indebitis exponatur, aut miniſtretur, nonnumquam nocet, ſcandalizat, illoſque perimit quos ſanare debuerat. Undè ſi liber beati Auguſtini de hæreſibus, cæteràque volumina doctorum in quibus ab initio Eccleſiæ hæreſi exortæ conſcribuntur, ſolerti revolvuntur indagine, vix una reperitur quæ in Scriptura ſacra ſiniſtre intellecta, expoſita, vel applicata, fundamentum non acceperit. Magna proinde omnibus Catholicæ veritatis Doctoribus incumbit neceſſitas, ut cum ad opus ſuum, ſcripturæ videlicet ſacræ expoſitionem, exeunt, ipſam

ſic miniſtrent & elucident, autoritateſque ipſius ſic interpretentur, exponant & applicent, perſonarum quibus loquuntur, qualitate diligenter penſata quod mentes fidelium ſuis reficiantur doctrinis & expoſitionibus, & ad ſuſceptionem incrementi virtutum reddantur validiores. Quem etiam modum beatus Apoſtolus erga illos obſervaſſe videtur quibus dicebat: *ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam parvulis in Chriſto. Vobis lac potum dedi, non eſcam.* Quia ergo vos Venerabiles & Egregii Noſtri Magiſtri qui accincti & parati eſtis ad reſpondendum articulis per hos Ambaſſiatores Bohemorum propoſitis, ipſoſque ambaſſiatores informandos de irrefragabili & catholica veritate ſuper eiſdem articulis à quolibet fideli tenenda, multas habebitis ſcripturæ ſacræ autoritates declarare & exponere magno, ut arbitror, debetis diligentiæ ſtudio providere ut taliter in tractando exponendo & applicando hujuſmodi autoritates modeſtiam ac circumſpectionem teneatis, quod veſtris mediantibus claris informationibus & inſtructionibus catholicis, eidem Ambaſſiatores illuminati & excitati toto corde ſe convertant ad nobiſcum adorandum natum Regem Judæorum, quem utique ſi diligenter proſpexerint invenerunt in loco iſto, ſeque & omnes pro quibus huc advenerunt ſacro Concilio per unitatis & concordiæ vinculum conjungendo & uniendo, deinceps operationem ſuam, ideſt, perfectam unionem, & in caritate non ficta firmatam concordiam cum Eccleſia continuaturi uſque ad veſperam, ideſt, uſque ad præſentis vitæ


1. Cor. 3. 1. & 2.

Alloquitur 4. Doctores.

terminum, & transitum ad gloriam sempiternam, quam ipsis & nobis ipse inventus, laus Deo. Rex Judæorum concedere dignetur, qui vivit & regnat, & imperat in sæcula sæculorum. Amen.

FINIS.





INDEX
RERUM ET VERBORUM
LOCUPLETISSIMUS.

A

Concilium

D

E

I

M

P

FINIS.